Pamph
HR
Z

UNIVERSITY
OF
TORONTO
LIBRARY

/c. 63.

Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/studiaromanasive00zump

Gotmar

HR
Z

AUGUSTI WILHELMI ZUMPTII

STUDIA ROMANA

SIVE

DE SELECTIS ANTIQUITATUM ROMANARUM CAPITIBUS
COMMENTATIONES QUATTUOR.

54749
12/9/02

BEROLINI
APUD FERDINANDUM DUEMMLERUM
MDCCCLIX.

A. W. ZUMPTIUS LECTURIS s. p.

Quas virorum doctorum benevolentiae commendaturi sumus de selectis antiquitatum Romanarum capitibus disputationes, etsi videmus commentationibus epigraphicis, quarum duo volumina olim edidimus, propemodum esse similes, pauca tamen praemittenda esse putavimus, non ut rationem nostram quaerendi exponeremus, quae si iis qui harum litterarum studiosi sunt placuit, expositionis non eget, si non placuit, oratione nostra gratior fieri non potest, sed ut et veterem morem observaremus, et quid in quaque disputatione secuti essemus, breviter significaremus. Coepimus quidem haec scribere ante quattuor fere annos: quae cum postea locupletaremus, componeremus, adornaremus, saepe nos magna dubitatio subiit, an, quae Latine ex consuetudine nostra scriberemus, hac lingua nostra communi Germanice narrari praestaret. Nam olim lingua Latina huius generis existimabatur esse propria, ut non qui ea uteretur, excusatione, sed qui non uteretur, vituperatione dignus esse videretur quaeque antiquis temporibus acta sunt, si antiquo sermone exponerentur, ea quae argumento unice conveniret, forma electa esse putaretur. Nunc mutato more plurimi etiam de antiquitatibus tradunt Germanice: qui Latinam orationem servant, eo prope redacti sunt, ut eam non publicae utilitatis, sed sui cuiusdam studii aut doctrinae ostentandae causa elegisse videantur. Habet tamen sua utraque oratio commoda. Nam Latine scribentes quamquam dubium non est, quin a paucis omnino expetamur, a paucioribus in-

telligamur, tamen plurima non modo brevius, verum etiam aptius dicemus: est etiam hoc Latinae linguae ingenium, ut facilius argumenti, quod propositum sit, finibus contineare nec, dum multitudini placere cupias, ad ea, quae specie magnifica eademque minus vera sint, deducare. Germanice longe promptiores ad audiendum hominum aures invenimus, plurium studia invitamus, minore cum molestia cognoscimur, ne eorum quidem, qui antiquitatem propter communem quandam utilitatem attingere cupiunt, voluntatem deterremus: sed et multa saepe pluribus exponere et nostrarum rerum temporumque similitudinem nec subtilem satis et multiplicis fraudis plenam adhibere cogimur. Sit igitur nostra oratio iis, qui universam aliquam disciplinam complectantur, aptissima, qui curam non maiorem in inveniendo quam in digerendo atque adornando ponere solent, Latina certe in iis, qui dum scientiam ipsam antiquitatis augeant, multis placere nolunt, vituperari non poterit neque a nobis, qui reconditiora atque ignotiora persequeremur, videbatur esse deserenda: ex quibus quae vera erunt, aliorum virorum doctorum industria propagabuntur atque ad eorum, qui ab Latinis libris abhorrent, notitiam pervenient. Quamquam ne cui abstrusa prorsus atque a nostris temporibus aliena, quae multorum cognitione indigna essent, tradere existimaremur, cum coram pluribus dicendi forte oblata esset occasio, non inviti fecimus, ut particulam aliquam ex his quaestionibus, eam, quae de imperatorum tribunicia potestate est, etiam Germanice exponeremus: nec reliqua, quae hic disputavimus, aut dissimili ex genere sunt aut minus commode, si usus ita ferat, Germanice possint narrari.

Argumentum autem harum commentationum cum quadrifariam a nobis divisum sit, duplex tamen quodammodo est, ut altera cohaereat cum prima, tertiae adiungatur quarta. Etenim prima disputatio est *de Gallia Romanorum provincia*, cuius historia ab ipsa origine usque ad imperatorem Vespasianum narratur. Quo tanto temporis spatio quot quantaeque res in republica Romana acciderunt! Quarum nulla prope est, quae non aliqua ratione cum Gallia coniuncta sit. Nam quoniam diu quicquid in Gallis subactum erat, coniunctim cum Italia

ab consulibus regebatur, multa de provinciarum divisione, quae in antiqua republica fuit, dicenda erant, deinde condita est provincia, postquam C. Marius maximo bello Cimbros Teutonosque vicit, de quo ipso pauca disputavimus necessario, plura de bellis civilibus, quae insecuta sunt, adiunximus, quorum causae, nisi Galliae ratio teneatur, vix satis possint intelligi. Tum altera addita est provincia Gallia, cum C. Caesar suae potentiae augendae causa leges civitatis commutaret, maximique belli civilis origo atque occasio ex eadem hac provincia haud dubie repetenda est. Postea vero ad Galliam Transalpinam qui populi accesserunt, validissimam imperii partem efficiebant, cuius historiam qui persequitur, non potest non praestantissimos Romanorum duces cognoscere, artes imperatorum in regenda republica investigare, maximarum mutationum fontem aperire. Deducitur idem ad provincias finitimas, ex quibus Raetia ab ipsa quodammodo nata est, Noricum Pannoniaque certe non aliena fuerunt, ut vix ulla res maior sub imperatoribus acciderit, quae non cum Gallia vel origine vel exitu vel aliqua affinitate coniuncta fuerit. Praecipua autem diligentia eum locum, qui ad dictatoris Caesaris tempora pertinet, tractavimus, in quo cum multa obscura vel incerta esse videremus, peculiarem *de dictatoris Caesaris honoribus* disputationem instituimus, magnarum profecto difficultatum plenissimam, sed eandem, ut speramus, non infructuosam. Dicendum enim erat de dictatura, de consulatu, quaedam etiam de fastorum nummorumque ratione, imprimis autem animadvertenda illa honorum cumulatio, quae tunc inventa paulatim potentiam imperatorum effecit. Qui locus totus aptissime illa, quam significavimus, quaestione de origine tribuniciae potestatis, qua imperatores usi sunt, concluditur. Veruntamen, id quod molestum nobis fuisse fatemur, etiam amplificare haec coacti sumus, ut disputationem nostram ab diversis doctissimorum hominum opinionibus defenderemus: quae cum non contendendi, sed veri inveniendi causa inviti scriberemus, ne reliquae quaestionis series distraheretur, in appendicem coniecimus criticam necessitatisque, ex qua nata sunt, ut excusationem inveniant, magnopere optamus.

Artior vero est colligatio tertiae et quartae commentationis, quae hoc commune habent, quod in civitate Romana versantur, quae quomodo proximis finitimis populis data, deinde cum Italia communicata, denique per provincias propagata sit, examinavimus: qua in quaestione insigne ipsius civitatis discrimen reperisse ac certissimis scriptorum testimoniis videmur constituisse. Imprimis autem municipiorum, quae et in Italia et in provinciis plurima fuerunt, rationem persecuti sumus, quam aliam ac quidam censuerunt, neque omnino simplicem fuisse demonstravimus. Potueramus hoc totum argumentum alio modo digerere praeceptorumque more civitate ipsa Romana definita tum originem eius, propagationem, oppidorum ea praeditorum genera recensere, quae praeceptio quam utilis futura fuerit, non dissimulamus; verum quoniam nec totam de civitate Romana doctrinam tractare placebat et viris doctis scribebamus, qua quidque ratione invenissemus, eadem quod invenissemus, proponere maluimus. Quare duabus inscriptionibus Latinis usi sumus tamquam ducibus, quarum auctoritate disputatio nostra et regeretur et contineretur.

Habere igitur videntur hae commentationes, quare viris litterarum Latinarum studiosis commendentur. In quibus si cui nec res, de quibus agimus, placeant nec quae quoque loco effecimus, probentur, at hoc profitemur nos ubique esse secutos, ut ab omni quaerendi ac dicendi temeritate abessemus longissime. Quod num assecuti simus, aliorum sit iudicium: diligentissime certe quid de quaque re traderetur, examinavimus, nullum testimonium contempsimus, neminem ut ipsi saperemus, peccasse statuimus, tam diu denique quaesivimus, dum in magna saepe auctorum discrepantia quod cum omnibus quodammodo conveniret, reperissemus. Hanc rationem scimus nos quidem ad studia multorum hominum concilianda animosque opinionum novitate quasi praestringendos parum esse aptam; sed eandem rectam et litteris nostris utilem et denique ad id quod verum est inveniendum unam esse nobis persuasimus.

Scripsimus Berolini Kal. Iun. 1859.

Quattuor commentationes sunt hae:

1. De Gallia Romanorum provincia usque ad imperatorem Vespasianum . . . . . p. 3
appendix critica . . . . . - 156
2. De dictatoris Caesaris honoribus . . . . . - 197
3. De Malacitanorum et Salpensanorum legibus municipalibus . . . . . - 267
4. De propagatione civitatis Romanae . . . . . - 323

DE GALLIA ROMANORUM PROVINCIA

USQUE

AD IMPERATOREM VESPASIANUM.

Quod in universo imperio Romano veteres scriptores solent praedicare, ab exiguis id profectum initiis paulatim ita crevisse, ut magnas terras innumerosque prope populos complecteretur, idem dicere licet de Gallia, Romanorum provincia. In qua quae gentes habitabant, cum maxima saepe pericula ipsamque prope perniciem Romanis attulissent, paulatim ita subiectae sunt, ut quae olim accessio quasi quaedam Italiae fuerat, ea magna pars fieret imperii multasque in provincias divisa ipsum reipublicae Romanae robur efficeret. Nulli populi Romanis antequam subigerentur maiora aut plura intulerunt damna, nulli postquam servitutem ferre didicerunt, firmiores vires addiderunt. Est igitur operae pretium hanc incrementorum rationem persequi. Neque ea a viris doctis, qui antiquitati Romanae studerent, aut silentio praetermissa aut leviter tractata est, qui si non ipsius argumenti copia ac gravitate allicerentur, quia hodie illos populos humanitate ac potentia florere videbant, movebantur, ut quae eorum sub imperio Romano fortuna fuisset, cognoscere cuperent. Veruntamen quod solet fieri in rebus cotidianis omniumque aspectui expositis, ut externa earum species cum sit notissima, causas rationesque qui diligentius perscrutetur, obscurissimas esse inveniat, idem dixerim accidere in Gallia provincia. Nam quid nobilius quam Gallorum in Italiam impetus? quid celebrius quam cum aliorum magnorum imperatorum tum dictatoris Caesaris bella Gallica reliquorumque imperatorum, qui soli rei Romanae praefuerunt, expeditiones in Germaniam susceptae? Sed si quaeras, quod fuerit provinciae initium, quando ea in duas, tum in plures

partes divisa sit, quae fuerit rectorum ratio, similiaque multa, quae ad summam rempublicam pertinent, non pauca reperias a nullo esse exposita, reliqua ab aliis tradi aliter, ut qui virorum doctorum studia quasi colligant neque ipsi novas coniecturas excogitant, nihil nos scire incertisque opinionum quasi fluctibus agitari fateantur. Quare cum nuper de provinciali imperii Romani ratione agere coepissem ac Syriam et Macedoniam, quae maximae sunt transmarinae provinciae, quales fuisse viderentur exposuissem, ubi ad occidentem me converti, Galliam imprimis tractandam esse statui, quippe in qua et maximam quaerendi materiem relinqui et insigne momentum ad universam rempublicam cognoscendam proponi intelligerem. Nec vero ita mihi ab initio omnia explicanda esse putavi, ut bella ipsa, quibus temptata primum, tum perdomita est provincia, enarrarem: in quo argumento etsi sunt multa et magna nec infructuosa, minus tamen ea ad provincialem rationem, in qua hoc quidem tempore versari constituimus, referuntur. Initium igitur disputationis nostrae ab eo tempore ducetur, quo provincia, quae proprie dicitur, constituta est: exitus erit imperator Vespasianus, ad quem eundem in Syriae et Macedoniae historia exponenda descendimus.

Ipso autem provinciae nomine Romani utuntur varie eoque tandem devenerunt, ut quodvis negotium vel publice vel privatim impositum provinciam appellarent, a qua significatione, quae apud optimos Latinitatis auctores reperitur, si recedimus in eaque, quae ad propositum nostrum propius pertinet, consistimus, dupliciter provinciam dici invenimus. Etenim primum quicquid extra Italiam imperio populi Romani paret, quamvis parvum sit, provincia vocatur, velut Graecia, quia populi Romani erat, quamvis Macedoniae quaedam appendicula fuerit, recte dicetur provincia, item dicentur singulae eius civitates, quas proprie in provincia potius esse existimemus. Haec vocabuli potestas ab hac disputatione, qua Gallica bella originemque imperii Romani praetermittere statuimus, aliena erit: illam sequemur, qua qui populi in unum quasi corpus quoddam coniuncti suis ac peculiaribus propraetoribus vel proconsulibus obtemperarunt, provinciam efficere dicuntur. Haec provincia

Gallia quo tempore orta sit, quos praesides habuerit, quas finium mutationes subierit, explicabimus.

Ac de origine quidem provinciae Galliae maximam esse video virorum doctorum dissensionem. Cum enim Car. Sigonius (de antiquo iure populi Rom. libr. I. c. 26) quamvis multa de populis ac bellis Gallicis narret, de tempore provinciae constitutae nihil tradat, P. Fonteinus (de provinciis Romanis, Trai. ad Rhen. 1843 p. 39) a dictatore Caesare demum Galliam Cisalpinam institutam esse putat, Ioach. Marquardt. (in Beck. compendio antiq. Rom. Vol. III p. 47) eandem iam anno 191 a. Chr. in provinciae formam redactam esse censet, reliqui medium aliquod tempus eligunt, ut ex ipsa hac discrepantia ac plus centum annorum spatio et incertam et difficilem rem esse intelligamus. Sed ut ipsi quid verum sit inveniamus nec incerta nostra vagetur quaestio, fines quosdam constituamus, intra quos Galliam provinciam extitisse appareat. Anno igitur 167 a. Chr., in quo Livii annales nobis desinunt, nullam fuisse Galliam provinciam ex verbis eius perspicue videmur cognoscere. Etenim anno 166 Liv. XLV, 44 praetoribus sex ait decretas esse has provincias, duas urbanas, duas Hispanias, Siciliam, Sardiniam: in quibus nulla Galliae mentio est. Nec quod Liv. epit. XLVI narrat consules Claudium Marcellum Gallos Alpinos, C. Sulpicium Gallum Ligures subegisse, propterea Galliam tunc provinciam factam esse statuemus: certe duas deberemus statuere, sed belli tantum gerendi, non provinciae pace administrandae causa consules in Ligures et Gallos Alpinos profectos esse cum hoc docet, quod eosdem consules in Italia versari oportebat, tum annus 167 a. Chr., quo Livius libr. XLV, 16 narrat praetoribus esse decretas duas urbanas provincias, duas Hispanias, Siciliam, Sardiniam, consulibus Pisas et Galliam cum binis legionibus peditum et equitum quadringentis, quibus certe non tantae copiae essent traditae, si pacatam diuque armis subactam provinciam accepissent. Itaque anno 168 a. Chr. Livius libr. XLIV, 17 nihil omnino habet de Gallia provincia: urbanam commemorat et peregrinam et classem et Siciliam et Sardiniam, nec superioris anni consuli, qui in Gallia versatus erat, prorogatum esse imperium

scribit. Multa alia priorum annorum exempla paulo post, ubi de Galliae regimine quale tunc fuerit, exponam, afferentur. Constet igitur anno 167, atque etiam 166 a. Chr. eam, quam hoc loco appellamus, provinciam nondum fuisse Galliam. At fuit eo anno, quo Cicero pro M. Fonteio, repetundarum reo, dixit. Eam orationem postquam lege Aurelia anno 70 iudicia cum senatoribus, equitibus, tribunis aerariis communicata sunt, habitam esse constat, ipsumque Fonteium Cicero c. 3 ait illo tempore provinciae suae praefuisse, cum maximi exercitus populi Romani clarissimique imperatores in Hispania essent, atque exercitus Cn. Pompeii maximus atque ornatissimus in Gallia hibernaret: Pompeium autem anno 74 in Gallia hibernasse discimus ex Liv. epit. XCIII. Quare si hunc primum M. Fonteii annum fuisse putabimus (nam per triennium eum provinciae suae praefuisse ait Cicero c. 22), efficietur, ut ille ab anno 73 usque ad 71 Galliam rexerit, oratioque Ciceronis anno 70 exeunte vel 69 ineunte habita sit. Rexit autem Fonteius solam Transalpinam Galliam. Etenim Cicero cum in defensione hoc maxime ageret, ut eum a civibus Romanis iisque sociis, qui fide praestarent, laudari, ab iis, qui recens subacti omnes magistratus Romanos in invidiam adducere conarentur, accusari doceret, inter laudatores commemorat c. 3 negotiatores, item Narbonenses, Massilienses, sed nullam ex tot coloniis, tot municipiis, quae in Cisalpina Gallia erant, ut huic eum non praefuisse certissime perspiciamus. Nec si Transalpina tunc fuit provincia, necesse est fuerit etiam Cisalpina falsaque est virorum doctorum opinio, qui, quod Cisalpina propius Romam, sedem imperii, sita est, ideo eam priorem in illam, quam hoc loco dicimus, provinciae formam redigi oportuisse existimant.

Habemus igitur centum prope annorum spatium, quo Galliae certe partem aliquam ita videamus esse constitutam, ut suis praesidibus uteretur: quod ut coartemus, primum faciendum esse putamus, ut qua ratione Gallia ante annum 167 a. Chr. administrari consuerit, examinemus. Iam anno 169 Livius XLIII, 11 et 15 narrat praetoribus reliquas, quae tunc erant, provincias obvenisse, consulibus Cn. Servilio Caepioni Italiam, Q. Marcio

Macedoniam; addit deinde de Marcii profectione, de Servilio haec habet: *Caepione deinde referente ad senatum, quas ex novis legionibus duas legiones secum in Galliam duceret, decrevere patres* cet., ut eum, quamvis sorte Italiam accepisset, in Gallia tamen bellum gerere voluisse intelligamus. Ac gessit; nam Livius XLIV, 21 C. Licinium, cos. anni 168, iussum esse scribit *Cn. Servilio Galliam obtinenti provinciam litteras mittere, ut sexcentos equites conscriberet.* Eum igitur, cui priore loco Italiam datam esse ait, deinde Galliae praefuisse vel Galliam provinciam obtinuisse narrat: quo num quod potest maius inveniri documentum, quod Galliam cum Italia ita coniunctam fuisse demonstret, ut nulla peculiaris Galliae esset provincia? Atque illi C. Licinio Crasso, anni 168 consuli, Livius XLIV, 17 scribit Italiam evenisse, cum collega eius L. Aemilius Macedoniam acciperet; at eundem libr. XLV, 12, nihil usquam de mutatione provinciae addens, in Galliam profectum esse ibique adversus hostes rem gessisse refert. Cuius anni similitudo facit, ut quae Livius XLV, 16 de provinciis anni 167 a. Chr. tradit, paulo supra recte interpretati esse videamur; consulesque eius anni, quamquam Pisas et Galliam sorte acceperant ac communiter in Liguribus rem gesserant, tamen et ante exitum anni ambo ad magistratus subrogandos in urbem redierunt (Liv. XCV, 44), et antequam in provinciam irent, aliquamdiu Romae commorati erant, ut de nova provincia tunc subito constituta prorsus cogitari nequeat. Anno autem 170 a. Chr. quae fuerit provinciarum sortitio, apud Livium non extat, sed hoc tamen videmus, praetoribus reliquas datas esse provincias, ex consulibus A. Hostilium in Macedoniam impressionem fecisse (Liv. libr. XLIII, 9), A. Atilium in Liguribus (Liv. ibid.) cum exercitu fuisse, unde illi provinciam Macedoniam, huic Italiam obtigisse statuemus. Nam sic factum erat anno 171, quo Liv. libr. XLII, 31 ait consulibus decretas esse Italiam et Macedoniam, praetoribus Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, urbanam et peregrinam iurisdictionem, denique classem. Qui autem Italiam acceperat C. Cassius consul (Liv. lib. XLII, 32), non in illa sola versatus est, sed

in Galliam quoque profectus gentes Alpinas regemque Gallorum Cincibilum vexarat (Liv. libr. XLIII, 5), ut etiam in hoc videamus Galliae quicquid parebat imperio Romano, cum Italia fuisse coniunctum. Anno 172 ambobus consulibus Ligures decreti sunt (Liv. XLII, 10), i. e., si proprie loqui velimus, Italia, sed ita ut bellum in Liguribus gerere iuberentur. Itaque contendentes cum senatu diu in urbe manserunt, alter ante exitum anni ad consularia comitia habenda rediit (Liv. XLII, 28). Item anno 173 consulibus Ligures decreti sunt (Liv. XLII, 1), nec minus, ut opinor, antecedenti anno; utrumque certe consulem circa eas regiones versatum esse scribit Liv. XLI, 27. Anno 175 consules in Liguribus prospere pugnasse ait Livius libr. XLI, 19, anno 176 Pisas et Ligures esse decretos libr. XLI, 14, similiterque factum erat superioribus annis, nisi quod anno 177 Ti. Sempronius Gracchus Sardiniam extra ordinem accepit. Quae cum ita sint (neque enim plures annos examinare opus est), dubium esse non debet, quin usque ad annum 167 Galliae quicquid armis Romanorum subactum erat, cum Italia coniunctum eidem paruerit, cui ipsa urbs Roma parebat. Casu autem accidit, ut per id quod examinavimus tempus nunquam uterque consul Italia abesset, sed si duo magna bella extitissent, etiam hoc fieri potuisse censeo, ut praetor qui Italiam tueretur, idem Galliae praeesset. Itaque iure mirabimur Pighium in Annal. Vol. II p. 140, qui anno 217 a. Chr. Galliam Cisalpinam in ordinariae, quam appellat, provinciae formam redactam esse existimet atque ex illo tempore eam in provinciarum recensu exhibeat: quem ille annum ideo potissimum videtur elegisse, quod cum in Livii annalibus non enarretur, maximum coniecturis campum praebet. Neque enim, si qui per belli Punici calamitates in Galliam missi sunt praetores, qui tunc extra ordinem non modo in Galliam, verum in omnes Italiae partes hostibus infestas mittebantur, iis uti debebimus; quibus qui utetur, multas, quae nullae unquam fuerunt, provincias efficere poterit.

Veruntamen in examinanda Galliae condicione si ad inferiora tempora descendemus, quid reperiemus? Qua in quaestione nemo postulabit, ut per singulos annos vel fuisse

Galliam provinciam vel non fuisse doceamus, certumque erit illud argumentum, ut, si quo inferiore anno non fuisse provinciam inveniamus, ne superioribus quidem fuisse existimemus. Satis etiam hoc erit ostendere eam fuisse cum reliquarum tum consularium provinciarum divisionem, ut Galliae provinciae nulla peculiaris administratio esse vel potuerit vel debuerit. Constat enim tunc quattuor fuisse provincias, Hispanias duas, Siciliam, Sardiniam, quae, nisi quod gravius bellum instaret, praetoribus mandari solebant, consules fere in Italia subsistebant. Iam anno 166 uni consuli Galliam, alteri Ligures obvenisse ait Liv. epit. XLVI, quare aut Ligures tunc non fuisse in provincia Gallia, aut, id quod superiore anno fuisse demonstravimus, et Galliam et Liguriam cum Italia in unum quasi corpus coniunctam consulibus paruisse statuemus. De annis 165 et 164 nihil prorsus tradi reperio, at anno 163 Ti. Sempronius cos. Galliam, collega eius M.' Iuventius Thalna Sardiniam et Corsicam provinciam habuerunt (Liv. ep. XLVI; Val. Max. IX, 12, 3), ut unum ex praetoribus classi tunc praefuisse credam Pighio Annal. II p. 404. Eandemque provinciarum divisionem biennio insequenti fuisse ex Valer. Max. I, 1, 3 et Liv. ep. XLVI colligimus. Tum anno 160 unum consulem M. Cethegum constat in Italia fuisse (Liv. ep. XLVI), alterum cum Liguribus pugnasse suspicatur Pighius l. l. p. 412, itemque anno 159 utrique obtigisse Galliam et Ligures; siquidem M. Fulvii Nobilioris triumphus de Liguribus notatur in fastis Capitolinis. Eaedem consulum provinciae dubito an usque ad annum 154 fuerint; nam cum de biennio 158 et 157 nihil quod certum sit tradatur, anno 156 C. Marcium Figulum constat cum Delmatis pugnasse (Liv. epit. XLVII), item anno 155 P. Scipionem Nasicam (Liv. l. l., fast. Capit.), M. Claudium Marcellum cum gente aliqua Ligurum; anno autem 154 Q. Opimium cum Liguribus Transalpinis dimicasse narrant Liv. l. l. et Polyb. XXXIII, 5 sq., collegam eius L. Postumium in Gallia versatum esse ex Obseq. c. 76 coniecit Pigh. p. 429. Sequitur bellum Celtibericum per annos viginti continuos gestum, quod tantopere Romanorum arma occupavit, ut alter consulum eo mitti soleret. Etenim anno 153 Q. Fulvius cos.

Hispaniam citeriorem accepit (App. Iber. c. 44, Polyb. XXXV, 3), alter Italiam cum Gallia coniunctam, praetorem, qui ita supererat, quaestioni repetundarum ex SC. tunc institutae (Liv. ep. XLVII) operam dedisse opinor. Tum annis 152 et 151 alterum consulum in Hispania pugnasse scimus, illo M. Claudium Marcellum (App. Iber. c. 48; Polyb. XXXV, 2), hoc L. Licinium Lucullum (Liv. epit. XLVIII; App. Iber. c. 51), duo reliqui consules quas provincias sortiti sint, non certo illud quidem traditur, sed Galliam et Italiam accepisse cum ex aliorum annorum similitudine probabile est, tum quodammodo confirmatur auctoritate Obseq. c. 77, qui anno 152 prospere adversus Gallos dimicatum esse scribit. Eandem autem provinciarum divisionem anno 150, de quo nihil traditur, fuisse merito suspicatur Pigh. Annal. II, p. 441. At anno 149 cum bellum Punicum gravissimum urgeret, utrique consuli, et L. Marcio Censorino et M.' Manilio scimus provinciam Africam obvenisse (App. Punic. 75; Liv. epit. XLVII); quare cum eodem tempore in Macedonia cum Andrisco a P. Iuventio Thalna pugnatum sit (Comment. epigraph. II, p. 163), quam provinciarum distributionem fuisse censebimus? Nimirum hanc, ut quattuor praetores sortirentur Hispanias duas, Sardiniam, Siciliam, quique Romae superesset urbanus (nam P. Iuventium peregrinum fuisse iudico, quem saepe ad externas expeditiones missum esse multis exemplis novimus), eadem ratione qua olim consules, Italiam et Galliam regeret. Insequenti autem anno 148 alterum ex consulibus L. Pisonem constat cum Poenis in Africa dimicasse (App. Punic. c. 110), ut alteri Sp. Postumio Albino Italia relinqueretur, quem tamen non minus recte Galliae praefuisse coniicit Pigh. p. 450; nam ab hoc consule viam Postumiam ab Genua Veronam esse munitam ostendit Borghesius in Diurn. Arcad. ann. 1821, 2 p. 220. Praetorum autem hae tunc erant provinciae, ut L. Mancinus Siciliam et classem obtineret (App. l. l.), Q. Metellus peregrinam iurisdictionem et Macedoniam (Liv. epit. L; Comment. epigraph. II p. 163), C. Plautius Hypsaeus Hispaniam ulteriorem (Liv. epit. LII), reliqui, quorum nomina ignorantur, urbem, Sardiniam, Hispaniam citeriorem. Tum anno 147 alter

consulum P. Scipio extra sortem Africam accepit (App. Punic. c. 112; Liv. epit. LI), unus praetorum Serranus classem (App. l. l. c. 114), reliqua consueto more divisa sunt, ut alter consul C. Livius Italiam et Galliam, ex praetoribus unus utramque iurisdictionem, reliqui duas Hispanias, Sardiniam, Siciliam obtinerent, nisi forte eum, qui Siciliam rexit, simul classi praefuisse iurisdictionemque vetere consuetudine divisam fuisse putabimus. Denique anno 146 facilis est provinciarum distributio; nam in Africa omnibus imperium prorogatum esse constat. Itaque consulum unus L. Mummius Macedoniam accepit, alter Italiam et Galliam, ex praetoribus duo urbanas iurisdictiones, reliqui Hispanias, Siciliam, Sardiniam; in ulteriore quidem Hispania C. Nigidium Figulum praetorem hoc anno ab Viriatho superatum esse scimus (auct. de vir. ill.).

Atque haec ita erant, dum quattuor fuerunt populi Romani provinciae, in quarum annua sortitione nullum Galliae provinciae locum relinqui ostendimus. Iam Carthagine Corinthoque dirutis novae provinciae additae sunt, quae annuos praesides postularent, sed non tot additae sunt, quot existimavit Pighius, cuius opinio cum vulgo probaretur, magnorum errorum causa extitit. Qui cum Graeciam, quam nos in Comment. epigraph. Vol. II p. 153 cum Macedonia, quamdiu libera fuit respublica, coniunctam fuisse docuimus, pro peculiari provincia constitueret, item Galliam provinciam, quae multo post instituta est, tunc iam fuisse existimaret, quoniam octo omnino efficiebat provincias in duo consules et quattuor praetores (nam duos negotia urbana occupabant) quotannis dividendas, necessario eo deductus est, ut, quod Ciceronis aetate moris erat, ut praetores exacto magistratu in provincias proficiscerentur, id iam hoc tempore institutum esse coniiceret. Nos nunc hoc animadvertimus, in provinciarum quidem ratione nullam prorsus esse causam, cur praetorum munera tunc mutata esse eorumque imperium quotannis prorogari consuevisse statuamus. Nam etsi anno 145 nova accessit provincia Africa (Comment. epig. Vol. II. p. 164), ut iam omnino essent quinque, Hispaniae duae, Sicilia, Sardinia, Africa, facile tamen eae quattuor, qui praeter urbanas iurisdictiones reliqui erant, praetoribus divide-

bantur, quia Hispaniae Viriathi seditione turbatae eximiam quandam curam postulabant: quas propterea plus quam decem annos, dum Viriatho caeso dirutaque Numantia capita ipsa belli sublata sunt, consulares fuisse prorogatisque imperatorum imperiis regi consuevisse videmus. Itaque anno 145 alter consulum Q. Fabius Maximus Hispaniam ulteriorem accepit, citeriorem C. Laelius praetor, reliqui tres praetores Africam, Siciliam, Sardiniam, duo urbanas provincias. Eademque ratio servata est anno 144, cum consules, qui ad bellum parum apti viderentur, vetere more Italiam et Galliam acceperunt (Valer. Max. VI, 4, 2), Hispaniam ulteriorem prorogato imperio Q. Fabius, citeriorem ignotus aliquis praetor, Q. Marcius Rex peregrinam iurisdictionem (Frontin. de aquaed. c. 7), reliqui urbanam provinciam, Africam, Siciliam, Sardiniam obtinuerunt. Tum anno 143 sexta facta est provincia Macedonia, quo anno incertum videri potest quae fuerit sortitio. Sed quinque tamen ex iis video fuisse praetorias, Hispaniam ulteriorem, quam succedens Q. Fabio accepit Quinctius ille, de quo App. Hisp. c. 66 narrat, qui ab Pigh. II p. 471 parum recte in Q. Pompeium mutatur, Africam, Macedoniam, Siciliam, Sardiniam, ut unus tantum praetor ad utramque iurisdictionem administrandam in urbe versaretur M. Aemilius Lepidus (Frontin. l. l. c. 7), idem, qui anno 137 consul fuit. Nec mihi utriusque urbanae provinciae coniunctio discedere videtur a veri similitudine, propterea quod Q. Marcio ad aquae ductum, quem inceperat, perficiendum novo more imperium per hunc annum prorogatum esse scimus. Sed hoc quidem sit dubium: illud certissime ex consularium provinciarum divisione perspicimus, Galliam hoc anno nondum fuisse provinciam. Nam ex consulibus unum Q. Caecilium Metellum Hispaniam citeriorem cum bello Celtiberico sortitum esse cognoscimus ex Liv. epit. LIII, App. Hisp. c. 66, Valer. Max. IX, 3, 7; alterum App. Claudium Pulchrum cum Salassis, gente Alpina, pugnasse scribunt Liv. l. l., Oros. V, 4, cf. Valer. Max. V, 4, 6. Quare si ulla tunc fuisset provincia Gallia, hanc sortiri debuit, sed sortitum esse Italiam scribit Dio fr. LXXIX: ὁ Κλαύδιος ὁ συνάρχων Μετέλλου — ἔτυχεν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ λαχὼν ἄρχειν καὶ

πολέμιον οὐδὲν ἀποδεδειγμένον εἶχε — καὶ Σαλασσοὺς Γαλάτας μὴ ἐγκαλουμένους τι ἐξεπολέμωσε τοῖς Ῥωμαίοις. Quodsi hoc anno Gallia nondum fuit provincia, certe quinquennio quod insequitur non magis esse potuit. Nam cum in Hispania grave bellum, quod annuis imperatorum vicibus non recte administrari posse videretur, exarsisset, sic institutum est, ut utraque provincia et consularis esset et per biennium a proconsulibus obtineretur. Quare qui citeriorem Hispaniam anno 143 sortitus est Q. Metellus, idem anno 142 tenuit, post eum Q. Pompeius, cos. anni 141, tum M. Popillius Laenas, cos. anni 139; ulteriorem habuit Q. Fabius Servilianus annis 142 et 141, Q. Servilius Caepio ab anno 140, D. Iunius Brutus, cos. anni 138. Toto hoc tempore quae reliquarum provinciarum divisio fuerit, non difficile est dictu: siquidem quattuor praetores Africam, Macedoniam, Siciliam, Sardiniam accipiebant, qui relinquebantur duo, urbanas iurisdictiones; Gallia quidem latet sub Italiae nomine, quam alter consulum administrabat. Neque deinceps provinciarum distributio ullam habet difficultatem. Nam D. Iunius in Hispania ulteriore imperium retinuit usque ad annum 133 a. Chr., quo eum triumphasse et ex App. Hisp. c. 99, qui victorias eius ante Scipionis victorias collocat, et ex Eutrop. IV, 19, qui item eius triumphum, colligo. Quare cum Hispaniae citeriori belloque Numantino anno 137 C. Hostilius Mancinus et M. Aemilius Lepidus cos. (Liv. epit. LV; App. Hisp. c. 80), anno 136 P. Furius Philus cos. (Val. Max. III, 7, 5), anno 135 Q. Calpurnius Piso cos. (App. Hisp. c. 63), ab anno 134 per triennium P. Scipio Africanus (Liv. epit. LIX; Cic. Phil. XI, 8; App. Hisp. c. 98) praeessent, quattuor modo provinciae, quas praetores aequaliter regerent, supererant. Atque hoc tempore sunt etiam quaedam haud dubia indicia, quae Galliam Cisalpinam cum Italia prorsus in unius provinciae corpus coniunctam fuisse ostendant. Nam ut annis 138 et 137 alteros ex consulibus, P. Scipionem Nasicam et M. Aemilium Lepidum Italiam provinciam accepisse in eaque Gallorum quoque populos rexisse, satis probabiliter ex reliquorum annorum similitudine coniicimus, item anno 136 Sex. Atilium Serranum, cuius nulla prorsus res gesta commemoratur, Italiam

provinciam habuisse recte statuemus, quem tamen eundem ex nobili inscriptione de finibus Atestinorum et Vicetinorum iudicasse discimus. Imperavit igitur in ipso consulatu et in Italia et in Gallia. Tum anno 135 Ser. Fulvius Flaccus cos. narratur in Illyrico Vardaeos subegisse (Liv. epit. LVI) neque eum Macedoniae praefuisse putabimus (nam Illyrici nullam propriam provinciam fuisse ostendimus in Comment. epigraph. Vol. II p. 184), propterea quod ipso illo anno ei M. Cosconius praetor praefuit (Comment. l. l. p. 165), ut Italiam ei provinciam obvenisse, sed bellum cum populo Galliae vicino gessisse videamus. Id persecutus est etiam insequenti anno; nam C. Fulvius Flaccus, etsi sorte Galliam acceperat, tamen in provinciam non abiit, quia M. Plautio Hypsaeo a servis in Sicilia victo auxilium ferre iussus est (Flor. II, 7; Liv. epit. LVI). At anno 133 cum Hispaniae a veteribus imperatoribus obtinerentur, plures prope videntur fuisse praetores quam provinciae. Etenim Siciliam obvenisse constat alteri consulum L. Calpurnio Pisoni (Oros. V, 9; Valer. Max. II, 7, 9), ut P. Mucio Scaevolae Italiam cum Gallia obtigisse, praetores autem praeter eum, qui urbanam iurisdictionem habebat, duos in Italia fuisse existimem illos, a quibus Oros. V, 9 servorum seditiones in Campania compressas esse scribit. Nam quae hereditate ad populum Romanum pervenit Asia, tunc quidem extra ordinem P. Scipioni Nasicae tradita ab anno demum 131 inter ordinarias provincias recenseri coepit. Quare anno 132, cum Hispaniam citeriorem P. Africanus pro consule, Siciliam P. Rupilius cos. (Liv. epit. LIX) teneret, ipsae quattuor reliquae erant provinciae, quas quattuor praetores sine ulla imperii prorogatione acceperunt. Alterum autem ex consulibus P. Popillium Laenatem secundum eam, quae saepe observata est, similitudinem Italiam cum Gallia rexisse existimabimus. Eaque similitudo praeclare duobus Popillii titulis confirmatur. Quorum unus ad Padum prope Hadriam repertus (apud Mommsenium in museo Rhenano anni 1854 p. 141) celebrat viam prope Hadriam a Popillio illo munitam, alter Pollanus, qui olim ab Orell. n. 3308, nuper a Frid. Ritschelio in programmate anni 1852 editus est, ἀκέφαλος ille quidem est, sed recte a Mannert.

geogr. tom. IX p. 2, p. 146 et proximo editore eidem homini tribuitur. In quo cum P. Popillius vel cos. vel procos. (nam hoc ad idem prorsus redit) narretur viam publicam in Italia inferiore fecisse, consulem, qui Italiae praeesset, eundem Galliam Cisalpinam curasse intelligimus: quae res tam aperta est, ut ne Mommsenium quidem, quamvis aliud agentem, in mus. Rhen. l. l. p. 144 prorsus fugeret, modo ne de provincia Arimino, quae nulla unquam proprie provincia fuit, dixisset, quodque aliquando factum esse putabat, semper fuisse statuisset. Insequenti autem anno 131 a. Chr. cum alter cos. P. Licinius Crassus Asiam sorte accepisset (Liv. epit. LIX, Cic. Phil. XI, 8), Siciliam P. Rupilius pro cos. teneret, unius provinciae prorogatione opus erat, quae qua in provincia acciderit nescimus; itemque anno 131, cum Asia M. Perpernae cos. obvenit (Liv. ep. LIX.). Galliae quidem neutro anno fit mentio, quam cum Italia ab altero cos. administratam esse censebimus. Verum anno 129 haud dubium traditur indicium, quo Galliae condicio quae fuerit cognoscamus. Etenim ex consulibus tunc M'Aquillium constat Asiam esse sortitum ac tenuisse usque ad annum 126, alter C. Sempronius Tuditanus Romae mansit; quare cum controversiae de III viris ex lege Sempronia creatis ortae essent, P. Scipio in senatu suasit, ut iudicia de agris publicis privatisque ad eum, qui in urbe erat, consulem Tuditanum deferrentur. Recepit rem consul, sed expertus et difficilem eam esse et odiosam in Illyricum abiit (App. bell. civ. I, 19), unde de Iapydibus mense Octobri triumphavit (fast. Capitol., Liv. epit. LIX, App. Illyr. c. 10). Quomodo igitur ei iudicia illa deferri poterant, nisi in Italia mansurus esset? quomodo rursus sine lege aut senatus consulto (sic enim traditur) in Illyricum proficisci atque inde ante anni exitum cum triumpho recedere, nisi Gallia tunc prorsus cum Italia coniuncta uni imperatori paruisset? Biennii insequentis nulla prope nobis memoria relicta est neque anno 126 Gallia quidem commemoratur; at anno 125 Liv. epit. LX tradit Fulvium Flaccum cos. cum Massiliensibus auxilio missus esset, Transalpinis Liguribus bellum intulisse, unde triumphans anno 123 rediit (fast. Capitol.); eundem autem App. bell. civ. I, 21, quia

simul III vir agris ex lege Sempronia assignandis esset, cum legem de civitate sociis danda ferre coepisset, magnos tumultus excitasse, neque ab similitudine veri abhorret, eum, ne rempublicam perturbaret, ab optimatibus motum esse, ut urbe relicta bellum illud susciperet. Sed, sive sua sponte abiit sive senatus impulsu, hoc fieri non potuisse patet, si suum praesidem Gallia habuisset nec cum Italia in unius provinciae sortem coniuncta fuisset. Quamquam autem, ut diximus, M. Fulvius pro cos. in Gallia mansit, tamen anno 124 uterque consulum C. Cassius Longinus et C. Sextius Calvinus eandem provinciam sortiti Gallis Transalpinis bellum intulerunt (Eutrop. IV, 22): quae res aliam Galliae, aliam reliquarum provinciarum condicionem fuisse ostendit. In his quamdiu libera fuit respublica Romana, nunquam accidit, ut duo essent eodem tempore praesides; sed quamvis magnum immineret bellum, et in Hispania et in Africa et in Macedonia, singulos semper tuendo imperio Romano praefectos esse invenimus. Una Italia hoc habuit iuris, ut a pluribus eodem tempore imperatoribus defenderetur; quare quod et hoc anno et deinceps complures simul cum Gallis bellum gessisse constat, haud dubio indicio erit, eos non ad formam provinciarum populi Romani constitutos, sed Italiae quodammodo iure usos esse. Etenim etiam anno 123, qui priore anno profecti erant, prorogato imperio pro consulibus in Gallia remanserunt, quibus accessit T. Quinctius Flamininus cos., qui tamen cum propter seditiones domesticas per maiorem anni sui partem in urbe versandum sibi esse intelligeret, prorogandi pro consulibus imperii occasionem dedit.

Hoc autem fere anno a C. Graccho lege Sempronia illam provinciarum Romanorum mutationem, quam Pighius ceterique post eum viri docti parum recte ad annum 146 retulerunt, institutam esse existimo, ut praetores postquam Romae iurisdictionem habuissent, in provincias proficiscerentur pro praetoribus. Vidimus enim prorogationes imperiorum, quae vetere more rarae erant nec fere usurpabantur, nisi morante successore, proximis quae antecedunt temporibus frequentiores fieri ac facile apparebat, eas, cum iam septem essent provinciae ordinariae quasi, non posse evitari, nisi numerum praetorum am-

plificari placeret, id quod non placebat. Accedebant bella Gallica, quae unius vel etiam duorum imperatorum perpetuam curam poscerent, praeterea rerum urbanarum ingravescens moles, quae consules abesse non pateretur. Denique iurisdictio urbana, quae diu iam binorum praetorum urbanorum tempus explerat, institutis quaestionibus perpetuis tanta iam facta erat, ut ne quattuor quidem illi, qui proprie provinciis destinati erant, praetores per magistratus sui annum abesse posse viderentur. Quae cum ita sint, nullum equidem tempus reperio, quo probabilius sit illam quam dixi praetorii muneris mutationem susceptam esse, quam hoc C. Gracchi, quem praesertim constet de provinciis legem tulisse. De qua quae traduntur, etsi ad sortitionem tantum pertinent et ad consulares provincias, exiguam tamen rerum Romanarum scientiam prodat, si sola a C. Graccho sancita nec quicquam aliud lege Sempronia de provinciis comprehensum esse putet. Sed pluribus haec persequi non est huius loci: ipsam rei mentionem cum tam multa de provinciarum sortitione diceremus, inferre non videbatur esse inutile. Illud unum adiicio, cum C. Marii praetura, de qua in Comment. epigraph. Vol. II p. 176 diximus, primum certum exemplum exhibeat, quo praetorem exacto magistratu in provinciam profectum esse discamus, lapidem illum Pollanum P. Popillii, quem paulo supra citavimus, ultimum videri esse exemplum, quod praetorem in ipso magistratus anno provinciae praefuisse ostendat. Gloriatur enim ille se praetorem in Sicilia fugitivos Italicorum conquisisse ac reddidisse homines DCCCCXVII. Fuit igitur in praetura ipsa Siciliae praeses. Sed quando fuit? Anno 132 C. Fulvium cos. eo missum esse constat (Liv. epit. LVI), ante eum quattuor praetores parum prospere pugnarant cum servis, quos Flor. II, 7 nominat, Manlius, Lentulus, Piso, L. Hypsaeus (Diod. Fragm. XXXIV), qui quadriennio ante Siciliam tenuerant. Sequitur, ut P. Popillius anno 139 vel 140 praetor Siciliam rexerit; nam iam tunc quaedam servilis seditionis semina in insula fuisse Diodori l. c. narratio significat. Inter hunc igitur P. Popillium et C. Marium media prope est lex Sempronia, qua prorogandi praetorum imperii consuetudinem institutam esse putamus, non

necessitatem ullam sancitam. Permisit, opinor, C. Gracchus senatui populoque Romano, si res ita ferret, praetores in urbe retinere, tum exacto magistratus anno provinciis praeficere; sed quod licuerat initio, id propter negotiorum provinciarumque multitudinem paulatim in eum morem abiit, a quo nunquam recederetur. Sed haec postquam breviter attigimus, cursum disputationis nostrae persequamur. Biennio igitur insequenti, quod est annis 122 et 121 a. Chr., alteros ex consulibus, Cn. Domitium Ahenobarbum et Q. Fabium Maximum Allobrogicum, in Gallia Transalpina pugnasse constat (Cic. p. Fonteio c. 12), collegas eorum, C. Fannium Strabonem et L. Opimium in urbe versatos; sed quia praeter eos, quos in Gallia fuisse modo diximus, ibidem superiores cos. prorogato imperio remanserunt (nam anno 122 C. Sextius pro consule novam coloniam Aquas Sextias condidit (Liv. epit. LXI), anno 121 Cn. Domitius pro cos. cum Allobrogibus prospere dimicavit (Liv. epit. LXI) et demum anno 118 triumphum egit), ne hinc quidem ullam tunc provinciam Galliam fuisse colligemus. Anni 120 quae consulares provinciae fuerint, non traditur, sed cum deinceps hanc plerumque divisionem fuisse videam, ut unus consulum externam provinciam, alter Italiam acciperet, P. Manilium alicui, cuius nomen perierit, provinciae praefuisse, C. Papirium Carbonem in Italia mansisse suspicor; hunc enim et in ipso magistratu causam pro L. Opimio dixisse (Cic. de orat. II, 25) et anno post cum consulatu decessisset, a L. Licinio Crasso accusatum esse constat. Anno autem 119 L. Caecilium Metellum Delmaticum cos. Macedoniae, L. Aurelium Cottam, collegam eius, Italiae imperasse docuimus in Comment. epigraph. Vol. II p. 116 eundemque Cottam, quamvis Italiae praeesset, in Gallia tamen bellum gessisse scribit App. Illyr. 10. Similiterque anno 118 M. Porcius Cato Africam sortitus est (Gell. Noct. Att. XIII, 19, 10), Q. Marcius Rex Italia accepta in Gallia Stoenos, gentem Alpinam, vicit (Liv. epit. LXII). Tum anno 117 uterque consulum in Italia videtur mansisse; nam L. Caecilium Metellum Diadematum in Italia viam Salariam refecisse docet Borghesius in Bullett. Inst. arch. anni 1833 p. 103, nec Q. Mucium Scaevolam pro-

babile est alii externae provinciae praefuisse praeter Asiam, ex qua ab T. Albucio accusatus est (Cic. Brut. c. 26 et 30). Praefuit autem ei anno 120 (nam Cic. de orat. II, 67 L. Septumuleium, C. Gracchi interfectorem, ab eo petisse narrat, ut se in Asiam praefectum duceret, nec id multo post caedem Gracchi accidere potuit), non anno 121, ut Pigh. Annal. III p. 69 existimat, ac cum praetura eam fuisse coniunctam ipse significat apud Cic. de orat. I, 17, 75, ubi se cum praetor Rhodum venisset, cum Apollonio collocutum esse ait, item Cicero de fin. I, 3, 9, qui eum praetorem Athenis fuisse scribit. Quo utroque loco cum non pro praetore, ut proprie debebat, sed praetor appelletur, dubitari potest, an non ex praetura, quod lege Sempronia licuisse diximus, sed ipso praeturae anno externam provinciam acceperit. Sed hoc quidem incertum esse videatur; illud silentio scriptorum convincitur, in consulatu Q. Mucium non excessisse Italia. Anno 116 Q. Fabium Eburnum cos. Macedoniae praefuisse ipsi in Comment. epigr. Vol. II p. 167 demonstravimus, ut collegam eius, de quo tacetur, C. Licinium Getam Italiae et Galliae praefuisse existimem ad eandem rationem, qua anno 115 consules M. Caecilium Metellum Sardiniam rexisse, M. Aemilium Scaurum cum Gallis Carnis pugnasse ex fastis Capitolinis constat. Triumphavit autem hic ipse Scaurus eius anni, quo consulatum gessit, mense Decembri, quae magna nobis significatio erit, non eam, quae proprie appelletur, provinciam tunc fuisse Galliam, ex qua ante anni sui exitum non licebat proconsuli decedere, sed cum Italia coniunctam Scaurumque cum comitiorum habendorum causa redisset, simul triumphasse. Sequuntur anno 114 M'. Acilius Balbus C. Porcius Cato cos., ex quibus hic Macedoniam rexit (vide Commentat. epigraph. Vol. II p. 170), ille, ut coniicio, domi manens Italiam et Galliae quicquid Romanorum armis subactum erat, tenuit. Neque enim certe Pighio in Annal. Vol. III p. 105 credemus, qui hoc ipso anno Galliam Narbonensem in provinciae formam redactam esse censet, cuius rei cum nullum prorsus argumentum afferat ac ne speciem quidem ullam probabilitatis se-

quatur, infra ex certissimis rebus aliud tempus atque aliam occasionem statuendam esse intelligemus.

Etenim anno 113 nuntiis et de Cimbrorum adventu et de Thracum aliorumque populorum defectione in urbem perlatis decretum est, ut ambo cos. in Italia manerent (Comment. epigraph. II p. 171). Nam parum recte Pighius Annal. III p. 108 C. Metello Caprario Macedoniam, Cn. Papirio Carboni Illyricum evenisse opinatur, ex quibus Illyricum tunc nondum fuisse provinciam constat, Macedoniam Caprario non datam esse hinc perspicimus, quod barbaris victis mense Sextili triumphasse narratur, id quod, si ullam externam provinciam accepisset, fieri non potuit. Quare et C. Metellus Italiam obtinuit et Cn. Carbo, omninoque cum tanti belli metus ingrueret, probabile est, ambobus consulibus sedem imperii defendendam esse traditam. Veruntamen dispar consulum fortuna fuit; nam, ut unus vicerat, ita Carbo ad Noreiam a Cimbris superatus est, qui cum iam ipsi Italiae imminerent, subito iter averterunt. Quare factum est, ut anno 112 M. Livius Drusus cos. Macedoniam acciperet (Comment. epigraph. II p. 172), L. Calpurnius Piso, collega eius, qui in Italia mansit, nihil quod memoria dignum esse videretur, gereret. Obtinuit tamen certe prorogatum imperium anno 111, quo L. Calpurnius Bestia in Africam adversus Iugurtham missus est; P. Cornelius Scipio Nasica, qui Italiam provinciam obtinebat (Sall. Jug. c. 27), nec gessit quicquam magnopere et in ipso magistratu decessit. Item anno 110 L. Pisoni in Gallia imperium videtur mansisse; nam ex cos. eius anni Sp. Postumium Albinum parum prospere in Africa pugnasse, M. Minucium Rufum Macedoniae praefuisse scimus. At anno 109 cum Q. Metellus adversus Iugurtham missus esset, M. Silanus in Gallia cum Cimbris infeliciter pugnasse traditur a Liv. epit. LXV, quam ob cladem anno 104 a M. Domitio accusatus est (Ascon. in Cic. p. Cornel. p. 80). Maxime autem in Transalpina Gallia versatus est, siquidem Cic. in Verr. II, 47 ei propter Aegritomari, Transalpini hominis, iniurias diem dictam esse narrat, quo tamen loco non ita licebit uti, ut soli eum Transalpinae provinciae, non universae Galliae cum Italia coniunctae im-

perasse statuamus. Anno 108 quas provincias consules sortiti sint, parum certa mentio fit. Ex quibus unum Ser. Sulpicium Galbam accepisse arbitror Hispaniam ulteriorem. Neque enim quid in Italia gesserit commemoratur et ab Appiano Hisp. c. 99 inter Hispaniae praesides recensetur, neque ulla causa est, cur eum ex praetura potius quam in consulatu eo profectum esse credamus Pighio Annal. III p. 118. Immo cum Cimbri tunc in Hispaniam profecturi esse putarentur, illam provinciam consulari exercitu coërcere tutius videri debuit. Quod si ita est, L. Calpurnium Pisonem Frugi, filium consulis anni 133, quem Appian. l. l. eius successorem fuisse ait, anno 107 in praetura (nam cum Cic. in Verr. IV, 25 praetorem appellet, utrum in ipsa praetura an ex ea provinciam obtinuerit, dubium potest videri) Hispaniae praefuisse ibique occidisse statuemus. Collegam autem Galbae, M. Aurelium Scaurum Italiam cum Gallia tenuisse hinc colligo, quod cum prorogato imperio in provincia mansisset, anno 106 a Cimbris superatus ac caesus esse narratur (Liv. ep. LVII; Vellei. II, 12; Tac. Germ. c. 37). Anno 107 consularium provinciarum haec divisio fuit, ut C. Marius extra sortem Africam acciperet, L. Cassius Longinus Italiam et bellum Cimbricum, qui in ipso consulatu in Gallia Transalpina a barbaris cum exercitu caesus est (Liv. epit. LXV; Caes. bell. Gall. I, 7), tum anno 106 hoc tantum scimus Q. Servilium Caepionem et in urbe legem iudiciariam tulisse et in Gallia crimen Tolosanum commisisse, ut eum et Italiam et Galliam obtinuisse intelligamus; de collega eius C. Atilio Serrano tacetur, quem potius externae alicui provinciae, quam item Italiae praefuisse coniicio. Similiterque de anno 105 iudico, quo Cn. Mallium Maximum Cimbris ad Rhodanum succubuisse constat, P. Rutilium Rufum (nam nullo argumento allato ei Italiam assignat Pighius Annal. III p. 145), quia propter peritiam a Val. Max. II, 3, 2, propter severitatem a Frontin. Strateg. IV, 1, 12 et IV, 2, 2 (cf. Fest. s. v. Rufuli) laudatur, extra Italiam provinciam obtinuisse censeo. At de anno 104, quo C. Mario bellum Cimbricum mandatum esse constat, dubium erit, collega eius C. Flavius Fimbria utrum externam aliquam provinciam

obtinuisse (nam quod Cic. Brut. 45; p. Fonteio 7; Val. Max. VIII, 5, 2 eum a M. Gratidio repetundarum accusatum esse narrant, ad externam provinciam pertineat non est necesse), an, ut successores eius, in Italia mansisse videatur. Anno quidem 103, quo Marius rursus Galliam et Cimbros accepit, L. Aurelium Orestem, collegam eius, probabilius est urbem esse sortitum; nam Plutarch. c. 14 C. Marium narrat instantibus comitiis cum collega decessisset necessario in urbem esse profectum, unde huic antea Italiam comitiorumque curam impositam fuisse coniicimus. At anno 102 nec de C. Mario IV. nec de Q. Lutatio Catulo dubitatur. Nam Marium Plutarchus c. 22 tradit paucis diebus post victos ad Aquas Sextias Teutonos parum prosperos nuntios de Catulo collega accepisse, qui Cimbros in Italiam irruentes ad Athesim fluvium ferre non potuerat, ut, dum ille in Transalpina Gallia pugnat, hunc in Cisalpina dimicasse videamus. Ideoque Catulo cum prorogatum esset imperium, pugna illa prope Veronam accidit. In quinto autem consulatu C. Marius collegam habuit M.' Aquillium, qui cum Italia satis a barbaris tuta esse videretur, in Siciliam ad servile bellum componendum missus est (Diod. tom. X ed. Bip. p. 164). Neque anno 100 qui C. Mario VI cos. collega additus est L. Valerius Flaccus, externam provinciam videtur accepisse; nam per Saturnini et Glauciae seditiones eum cum Mario in urbe fuisse ex Cic. p. Rabir. c. 7 cognoscimus.

Iam postquam C. Marii consulatus absolvimus, faciendum videtur esse, ut de Gallia qualis eo tempore fuerit, pauca disputemus. Multi enim qui ea quae scripsimus legerint, sic fortasse existiment, coniecturis solis nos usos esse, non argumentis: institutam sane esse a nobis eam consularium provinciarum divisionem, qua utraque Gallia ex earum numero excluderetur, sed cum superiore aetate non dubia Galliae cum Italia coniunctae vestigia reperirentur, nihil esse allatum, quo virorum doctorum opinio refelleretur, qui C. Marium, cum semper prope in Transalpina Gallia versatus sit, hanc tamquam propriam provinciam obtinuisse, collegam autem eius Q. Catulum, qui per biennium in Cisalpina Gallia pugnarit, huic soli praefuisse existimant. Neque pugnat cum hac Transalpinae et

Cisalpinae disiunctione, quod Marius in quinto consulatu post victos Teutonos per Alpes transgressus Catulum adiuvit Cimbrosque prope Veronam vicit. Erat enim tunc et consul ac maiore quadam potestate praeditus quam qui proconsulare tantum imperium habebat Catulus, et a senatu vel populo Romano facile ad avertendum periculum in Italiam vocari potuit, cuius rei mentionem si scriptores omiserint, non mirum nobis esse videbitur. Veruntamen Cisalpinam Galliam inferioribus temporibus non fuisse peculiarem populi Romani provinciam postea certissimis argumentis demonstrabimus, nec si postea non fuit, consentaneum est, ut fuerit hac aetate. Transalpinam vero Galliam et superioribus temporibus non fuisse provinciam docuimus et paulo post Marii aetatem suos habuisse rectores intelligemus, ut per ipsam rei rationem non abhorreat a veri similitudine, a C. Mario, qui universam et pacavit et defendit et recreavit, eam in provinciae formam esse redactam. Accedit illud, quod semper mihi maxime mirum visum est, cur tandem Marium Romani, ut imperatorem contra barbaros idoneum haberent, sexiens consulem crearint. Hoc qui nostra ratione accepta Galliae quicquid tunc subactum erat, cum Italia coniunctum fuisse statuet, facile explicabit, qui veterem virorum doctorum opinionem sequetur, nullo pacto intelligere poterit. Neque enim hercle Romani, quamvis propter Iugurtham captum grati esse cuperent, tantum eius honori tribuerunt, quantum nunquam antea, nec adeo illum sibi carum esse oportere putabant, ut unius hominis augendi causa leges civitatis infringerent. Nonne item antea saepe magnis imperatoribus ad magna bella conficienda opus fuerat? Nonne Scipio maior bellum Punicum confecerat, minor Carthaginem et Numantiam delerat, Aemilius Paulus Macedoniam ceperat, nonne multi multa bella composuerant sine multiplicato consulatus honore? Cur non idem tunc fecerunt in Mario, quod olim in illis? Nec postea eadem consulatuum cumulatione quasi usi sunt; neque enim aut Sulla aut Pompeius aut Caesar, cum diuturna ac gravia bella gererent, consulatum plus semel adepti sunt. Quare nec in incredibili quodam populi Romani erga Marium studio nec in bonorum imperatorum inopia causa totiens multiplicati

consulatus sita esse potuit. Ipse adeo Marius cum bellum Iugurthinum conficeret, cur prorogatum modo habuit imperium, quod primo consulatu acceperat? Itaque ferrem sane vel necessarium esse ducerem alterum consulatum, qui daretur ei, ut deposito per triumphum quod in Africa habuerat imperio novum acciperet in Gallia (raro enim in republica Romana factum est, ut privatis hominibus extra ordinem bella atque imperia decernerentur), sed reliquos consulatus non fero, praesertim quos praeter sextum quidem, quem pecunia atque adulatione a plebe emercatus esse narratur, ei sine ambitu absenti ac prope invito delatos esse videam. Hoc intelligere non poterimus, nisi quod superioribus annis fuisse saepe multis argumentis demonstratum est, idem Marii aetate conservatum esse statuamus, ut omnis quae Romanorum imperio parebat Gallia, non in peculiarem provinciam redacta suis praesidibus, sive ii pro consule sive pro praetore erant, obtemperaret, sed cum Italia coniuncta ab consulibus vel ab uno certe eorum regeretur. Quod si ita erat legibus ac vetere more constitutum, quomodo Romani quod consilium ceperant unius et optimi imperatoris bello barbarorum praeficiendi, exequi poterant? Fingamus enim iterum consulem factum esse Marium ac bello Cimbrico praepositum, tum insequenti anno prorogatum ei imperium, quid erat futurum? Nimirum hoc, ut novus consul, cui necessario item Italia esset decernenda, iisdem locis, in quibus Marius versabatur, vel par vel maius haberet imperium accideretque idem, quod anno 105 factum est, cum Q. Caepione cum proconsulari imperio relicto accederet Cn. Mallius cos., qui quia inter se dissentiebant, ingens illa clades accepta est, quae maximam nomini Romano ignominiam inusserat. Hanc imperii divisionem ut effugerent, necessario fecerunt Romani, ut tot continuis consulatibus Marium efferrent, casuque quod bellum prope Italiam vel in ipsa Italia gerebatur, accidit, ut eum ille honorem acciperet, quo reliqui praestantissimi imperatores caruerunt. Quae cum ita sint, in hoc C. Marii honorum cursu vel maximum videtur positum esse argumentum, quo tunc nec Cisalpinam nec Transalpinam Galliam (nam utroque loco pugnatum est) eam quam hic appellamus provin-

ciam fuisse perspiciamus. Veruntamen paulo post Marium pro praetores Galliae Transalpinae reperiri diximus, quam provinciam ut ab ipso potissimum institutam esse intelligamus, magna ex eius rebus probabilitas peti potest. Etenim cum quinque consulatus gessisset, ut barbaros vinceret, postquam vicerat, quae causa erat, ut sextum adipisceretur? Verum sit illud, quod Livius epit. LXIX significat pluribusque exequitur Plutarchus Mar. c. 23 prava ambitione pecuniaque corruptam esse plebem: sed quae tamen, quaeso, causa erat petendi, qui praetextus? Habere enim necesse erat Marium, cur deberi sibi sextum consulatum diceret. Nam in laude ipsa satis erat praemii pro servata patria: populo quidem alia res persuadebat. Ea sita erat in provinciae novae constitutione, quam Marius necessariam esse dictitabat. Ut enim reliqui imperatores, qui primum populos vicissent, etiam post victoriam prorogatum accipere solebant imperium, ut quos armis domuissent, eos legibus componerent, ita Marius suo iure postulabat, ut sibi quoque prorogatum imperium concederetur. Nec rursus id in Gallia concedi poterat nisi consulatu sextum delato: aliter qui futurus erat consul, maiorem in ea potestatem habuisset. Oreretur sane aliqua inter Marium et inter optimates contentio, cum hi, ne novum ille consulatum acciperet, statim Galliam ab Italia seiungendam atque in illa sola imperium prorogandum esse dicerent, hic, antequam novae provinciae suae leges datae essent, seiungi eam nollet: sed vicit Marii causa, quae ex more imperii Romani non iniusta videri debuit. Neque huic rationi obstat, quod Marius per sextum consulatum fere in urbe videtur substitisse. Primum enim an aliquamdiu trans Alpes excurrerit dubium est, deinde etiamsi Romae mansit, non minus facile rem per legatos administrabat, in qua illo commodo utebatur, quod nemo maiore potestate praeditus eum impediebat. Statuimus igitur Transalpinam Galliam anno 100 ab C. Mario in provinciae Romanae formam esse redactam, Cisalpinam relictam prorsus in ea, quae antea fuerat, conditione: quam sententiam, quamquam recedimus ab omnium quos novimus virorum doctorum iudicio, satis tamen reliquorum annorum historia stabiliri existimamus.

Nam anno 99 a. Chr. quas provincias habuerunt consules, M. Antonius orator et A. Postumius Albinus? Illum, cuius memoria sit celebratissima, ex scriptorum silentio colligimus in Italia mansisse, nec piratas in Cilicia ex consulatu domuit, sed ex praetura, proconsulari tamen imperio ornatus. Cum enim a Cic. de orat. I, 18 pro consule appelletur, apud Liv. epit. LXVIII praetor vocatur. De altero cos. cum nihil notum sit, Pighius Annal. III p. 178 eum Macedoniae praefuisse coniicit. Equidem nec affirmo quicquam et externam aliquam provinciam eum obtinuisse probabile esse video. Insequenti autem anno T. Didium constat Hispaniam citeriorem rexisse (Fast. triumph., Gell. II, 27; Plut. Sert. c. 3; Liv. epit. LX; Comment. epigraph. Vol. II p. 171), unde collegam eius Q. Caecilium Metellum Nepotem, de quo tacetur, Italiae praefuisse intelligimus. Itemque proximo biennio divisae videntur fuisse provinciae, ut anno 97 P. Licinius Crassus Hispaniam ulteriorem haberet (Fast. triumph., Ascon. in Pison. p. 14 ed. Orell.), Cn. Cornelius Lentulus Italiam, anno 96 Cn. Domitius Ahenobarbus et L. Cassius Longinus, de quibus tacetur, similiter sortirentur. At de anni 95 consulibus plenior nobis memoria superest. Nam Q. Mucium Scaevolam tradit Asconius in Pison. p. 15 Orell. provinciam, ne oneri esset aerario, deposuisse, unde ei ex more externam aliquam provinciam vel decernendam fuisse vel decretam esse intelligimus, sed, cum consulari exercitu in nulla opus esse videret (nam domi forisque tunc pacem fuisse ait Obseq. c. 110) Romae mansisse. Diversi ingenii erat collega eius L. Licinius Crassus, qui cum triumphi cupiditate flagraret, in citeriore Gallia, quam regebat, quosdam Alpium incolas, qui Romanorum agros infestabant, consectatus domuit: tum rediit triumphumque ab senatu petiit (Cic. de invent. II, 37). Ex his cave colligas, Galliam solam tunc Crassi fuisse provinciam, quamvis Val. Max. III, 7, 6 eum et Galliam obtinuisse et ex consulatu obtinuisse referat. Quod utrumque falsum est. Etenim ademptum ei esse triumphi honorem a collega narrat Cic. in Pis. 26, id quod ita explicat Asconius, cum L. Crassus plurimum in senatu valeret nec dubium videretur, quin patres ei triumphum essent decreturi,

Q. Mucium ne S. C. fieret intercessisse. Uterque igitur tunc consulatu fungebatur Crassusque, quoniam in magistratu ipso revertit, vetere more Italiam cum Gallia coniunctam rexit nec mirari debebimus, quod per magnam consulatus sui partem in urbe fuit, in qua dum versatur, cum collega legem illam de civibus regundis tulit, qua sociorum animi magnopere excitati sunt (Cic. p. Cornel. fragm. 10). Atque hinc quidem Galliae Cisalpinae nullam tunc fuisse propriam provinciam discimus; sed Transalpinam hoc fere tempore fuisse non minus certo argumento perspicimus. Etenim Gellius XIII, 19 M. Porcio Catoni, anni 118 consuli, filium fuisse ait, qui aedilitate et praetura gesta in Galliam Narbonensem profectus ibique vita functus esset. Eam profectionem non privatae alicuius rei causa, sed publice susceptam esse facile omnes credent; cur enim Gellius, qui hominis res gestas prodere vellet, privatam eiusmodi rem commemoraret? Habuit igitur M. Porcius Cato ex praetura provinciam Narbonensem. Sed quando habuit? Nihil enim aliud de homine traditur. Cuius pater si anno 118 consul fuit, secundum communes vitae humanae rationes recte faciemus, ut filium viginti circiter annis post praetorem fuisse statuamus ad eandemque computationem deductus est Pighius Annal. III p. 217, qui anno 92 eius praeturam collocat. Sic igitur, quocunque anno M. ille Cato praetor fuit, paulo post C. Marium apparet eum praesidem Narbonensis Galliae inveniri, qui, nisi ea tunc ab Italia seiuncta atque in peculiaris provinciae formam redacta esset, non potuisset esse. Anno 94 de provinciis consularibus nihil narratur; quies enim erat bellorum incertumque adeo videri debet, an omnino alter consulum in provinciam exierit. Opus certe non erat ad provincias administrandas. Quae cum tunc essent octo duaeque Hispaniae a T. Didio et P. Crasso, qui anno insequenti triumpharunt, obtinerentur, si sex praetores exacto magistratu in provincias profectos esse statuimus, nulla ipsis consulibus relinquitur. Anno 93 C. Valerium cos. arbitror esse Flaccum illum, quem Appian. Hisp. c. 100 proxime post T. Didium cum Hispaniae populis pugnasse ait; quod autem Obseq. c. 111 anno 94 per Nasicam Hispaniae populos, qui rebellassent, urbi-

bus dirutis supplicio consumptos esse refert, non credo Pighio Annal. III p. 208, qui inde P. Cornelium Scipionem Nasicam Hispaniae ulterioris proconsulem efficit annumque falsum ab Obsequente notatum esse putat, propterea quod illo anno alios utrique Hispaniae pro consulibus praefuisse constat. Equidem Nasicam, quippe qui nec pro praetore nec pro consule appelletur, vel legatum Didii vel unum ex decem viris componendae provinciae a senatu missis fuisse iudico, cuius opera Didius usus sit; ipsa quidem res, quam Obsequens narrat, ei quam a Didio in Colendenses commissam esse Appianus tradit, simillima est. Veruntamen si C. Valerius Hispaniam citeriorem obtinuit, consentaneum erit, ut M. Herennius, collega eius, Italiam et Galliam rexerit. Anno 92 etsi nummi, quibus Pighius Annal. III p. 211 M. Perpennae cos. Hispaniam ulteriorem obtigisse demonstrabat, quia Goltziani sunt, nihil fidei habent, nec alia ulla memoria superest, alterum tamen ex consulibus externae alicui provinciae praefuisse, alterum Italiam tenuisse reliquorum annorum similitudo ostendit idque eo magis, quod L. Sulla cum post praeturam in Cappodociam mitteretur (Liv. epit. LXX; Plut. Sull. c. 5), non ordinariam provinciam, sed extraordinariam legationem videtur subisse, unde reliquas provincias iam praetorum numero occupatas esse fit probabile. Anno 91, sive quod summos imperatores domi retinendos esse putabant sive quod qui sortitus erat provinciam, in eam non exiit, utrumque consulem in urbe mansisse constat; nam tempore feriarum Latinarum eos Romae fuisse ostendit Flor. III, 18, 8, item postea quo tempore M. Livius trib. pleb. occisus est, App. bell. civ. I, 36. Nec minus anno 90 a. Chr. qui consules fuerunt L. Iulius Caesar et P. Rutilius Lupus, cum ingens bellum Marsicum immineret, Italiam provinciam ambo habuerunt; sic enim ait Appian. bell. civ. I, 40. Galliae quidem Cisalpinae, quae alioquin ab armis quieta mansit, nulla prorsus fit mentio, in Narbonensi autem a *C. Caecilio Metello* Salluvios rebellantes victos esse refert Liv. epit. LXXIII, isque alter est postquam provincia a Mario condita est, qui ei pro praetore vel ex praetura praefuerit. Insequenti anno 89 tres summo cum imperio bellum administrare coeperunt; nam praeterquam

quod L. Caesar prorogatum habuit imperium (App. bell. civ. I, 48), consules erant Cn. Pompeius Strabo et L. Porcius Cato, ex quibus cum hic Marsos oppugnans cecidisset (Liv. epit. LXV; App. bell. civ. I, 50; Oros. V, 18) atque etiam L. Caesar mortem obisset, unus relictus est ille. Ei provinciam Italiam evenisse et ex triumpho, quem extremo mense Decembri de Asculanis Picentibus egit (fast. triumph.), constat et ex iis, quae App. bell. civ. I, 63 tradit, intelligimus. Nam cum Cn. Pompeius quia strenuam in bello Marsico operam praestiterat, etiam anno 88 prorogatum haberet imperium (quod enim Val. Max. IX, 7, 2 eum invita civitate imperasse ait, ad universam hominis invidiam, non eo, quod non rite ei imperium prorogatum esset, refero) senatus, qui magnam iam partem belli consedisse videret, consulibus eius anni L. Cornelio Sullae et Q. Pompeio Rufo bellum Mithridaticum et Italiam decrevit, ac cum illud Sullae obtigisset, Q. Pompeius exercitum, qui sub Cn. Pompeio erat, accipere iussus est. Praetereo, quibus artibus Cn. Pompeius decepto Quinto et exercitum et provinciam retinuerit; illud certe apparet, eum non aliam provinciam habuisse quam Italiam. Quid igitur? Num eum in illa quae vulgo existimatur Italia sola versatum esse, in Gallia Cisalpina nihil pro imperio gessisse putamus? Non videtur nec in bello ipso administrando nec in reliquis rebus. Atque in Marsico quidem bello nihil invenio, quod per Galliam Cisalpinam gessisse dicatur (neque enim ea reliquorum Italicorum causae sese adiunxit), sed in civili dissensione, quae paulo post erupit, nomen eius ita commemoratur, ut Galliam quin una cum Italia rexerit dubitari nequeat. Nam anno 87 profecto ad bellum Mithridaticum L. Sulla cum L. Cinna et Mariana factio Romam obsiderent, Cn. Octavius et L. Merula cos., quo melius urbem tuerentur, auxilia cum aliunde tum ex Gallia propinqua arcessiverunt ac Cn. Pompeium, qui ad mare superum cum exercitu erat, ut subsidio veniret, rogaverunt (App. bell. civ. I, 66: ἐπὶ δὲ στρατιὰν ἔς τε τὰς ἑτέρας πόλεις τὰς ἔτι σφῶν κατηκόους καὶ ἐς τὴν ἀγχοῦ Γαλατίαν περιέπεμπον· Γναῖόν τε Πομπήϊον, ἀνθύπατον ὄντα, καὶ στρατευμάτων περὶ τὸ Ἰόνιον ἡγούμενον, ἐκάλουν κατὰ σπουδὴν ἐπικουρεῖν τῇ πατρίδι). Ac ne quis forte, quia

Cisalpinae Galliae et Italiae parum certi fines constituuntur (nec poterant constitui cum nulli essent), eam ab Appiano dici putet Galliam, quae intra Italiam quam putant, fuerit, addit Appianus I c. 67 Cinnam praesidio occupasse Ariminum, ne ex Gallia auxilio veniret exercitus i. e., opinor, Cn. Pompeii, quem optimates arcessiverant. Nam si quis tunc Galliam Cisalpinam suus rector teneret, nonne is erat nominandus, ut alii multi, qui per haec tempora imperarunt, nominantur? nonne narrandum erat, Galliae praesidem a partibus Marianis stetisse? Efficitur igitur Cn. Pompeium cum Italiam provinciam accepisset, non minus tamen in Gallia Cisalpina imperium habuisse. Neque omnino quae in republica Romana per bellum sociorum et per dissensionem civilem, quae insecuta est, accidisse narrantur, recte possunt intelligi, nisi, id quod antiquitus fuisse docuimus, idem post Marium servatum esse existimemus, ut Italia usque ad Alpes pertineret neque ulla citra Alpes esset, quae proprie diceretur provincia Gallia.

Atque id etiam magis ex civilibus quibusdam Cn. Pompeii actionibus perspicitur. Non afferam hoc loco, quod Cicero p. Balb. c. 22 narrat ab eo rebus Italico bello maximis gestis P. Caesium, equitem Romanum, Ravennatem civitate esse donatum. Quamquam enim omnia exempla, quae illo loco a Cicerone afferuntur, eiusmodi sunt, ut qui quemque civitate donasse narrantur, ei praeessent provinciae, ex qua ille qui donaretur esset, nescio tamen an etiam hoc accidere potuerit, ut homo Ravennas, quamvis alius esset provinciae, ab eo imperatore, qui Italiam regeret, illo virtutis praemio afficeretur. Sed certius documentum ex iis, quae de Cn. Pompeii in Gallia Transpadana actis referuntur, peti potest, quae ut perspiciantur, paulo copiosius de civitate Italiae data disputandum est. Etenim cum bellum Marsicum exarsisset, notum est coactos esse Romanos, quod saepe frustra temptatum erat, facere, ut civitatem sociis darent. Eius rei auctor extitit senatus (App. bell. civ. I, 49), quare, id quod non saepe accidit, lex lata est ab ipso consule L. Iulio Caesare extremo magistratus sui tempore. Neque enim adfuit in ea ferenda alter consul P. Rutilius Lupus, qui mense Quinctili cecidit (Ovid. Fast. VI, 563), qui si vixisset,

non dubium est, quin non minus quam collega laturus fuerit; ipso autem extremo anno esse latam Appian. I, 44 significat, qui L. Caesari narrat otium non fuisse in urbem redeundi ad comitia subrogando collegae habenda, qui cum revertisset tandem extremo anno, nec suffici consulem operae pretium esse duxit et huius legis rogandae tempus habuit. Sed de vi ac natura huius legis Iuliae paulo aliter nunc iudicandum esse video ac viri docti solent existimare. Statuunt enim primum eam Italiae, quam proprie ita appellandam esse putant, finibus fuisse circumscriptam: qua in re opinantur discrimen aliquod fuisse nominis Italiae, quod nullum unquam fuit. Omnes enim scriptores etiam ante imperatorem Augustum, a quo quicquid ad Alpes pertinet Italiae adiectum esse omnes concedunt, Italiae nomine universam Galliam Cisalpinam comprehendunt. Non commemoro alios, qui quia ea aetate vixerunt, qua vetus provinciarum ratio existimatur esse abolita, minus fortasse idonei testes esse videantur, nec Strabonem libr. V init. affero, qui si recte explicetur, sententiam nostram non minus confirmet, at Polybius II, 14 haud dubie Galliam Cisalpinam appellatione Italiae complectitur, item Caesar bell. Gall. V, 1, ubi cum ait ex Gallia sese in Italiam esse profectum, in Galliam Cisalpinam se abisse dicit (cf. VI, 44 et VII, 1 et 50 et 52), et Cicero Phil. IV, 4 *negat Gallia, negat cuncta Italia*; ibidemque V, 12 *dilectum haberi — in Italia praeter Galliam tota*, qui si ita dixerunt eo tempore, quo Galliae Cisalpinae propriam provinciam fuisse constat, quid reliqui et existimarint et dixerint, dubitari non potest. Nulla igitur est quae proprie vocata sit Italia extra Galliam Cisalpinam, sed nomen hoc iam antiquis temporibus usque ad Alpes pertinet. Deinde illi cum Italiam propriam eam quam diximus, falso intelligunt, eique soli lege Iulia civitatem datam esse censent, in singularem aliquam difficultatem incidunt. Etenim quamvis Italiae nomine Galliam Cisalpinam excludant, faciendum tamen esse vident, ut civitatis donum latius extendant, partemque Cisalpinae Galliae i. e. Cispadanos omnes eodem tempore in civitatem receptos esse censeant, quo Italici ipsi lege Iulia recepti sunt. Quae res cum primum a F. C. Savignio celebri commentatione, quam

in annal. iurisprud. histor. Vol. IX p. 322 de tabula Heracleensi scripsit, exposita esset, ita placuit viris doctis, ut vulgo nunc ab omnibus, quasi dubitari non possit, probetur. Sed nemo veterum scriptorum de ea re tradit, nulla lex commemoratur, nihil prorsus quod certe eo pertineat narratur, ut mera coniectura utatur Savignius, qui quo tempore Cn. Pompeius is, de quo dicimus, Transpadanis omnibus Latinitatem dederit, eodem Cispadanis civitatem datam esse statuit. Quae coniectura quantopere ab probabilitate recedat, non disputabo multis: haec duo commemoro, et rursus discrimen aliquod Cispadanorum et Transpadanorum excogitari, quod nullum unquam fuit, nec satis verum esse videri, quod de Latinitate omnibus Transpadanis impertita existimatur. Nunc vero cum Galliae Cisalpinae et Italiae ab antiquis temporibus usque ad hanc aetatem nullam iuris diversitatem fuisse intellexerimus, legem Iuliam ad universam quae Alpibus et freto Siculo terminatur Italiam pertinuisse facile credemus. Neque enim alio iure utebantur Etrusci et Umbri et Lucani et Bruttii, alio Galli vel Cispadani vel Transpadani: praecipuum sane aliquod ius habuerint Latini iidemque fide adversus Romanos praestiterint; at illi utrique erant peregrinae condicionis eique, qui in consulatu Italiam et Galliam sortitus esset, obtemperabant. Sed extra Italiam nihil sane pertinebat lex nec satis verum videtur esse, quod plerique adhuc crediderunt, si qui Latinae condicionis essent extra Italiam, eas hac lege cum Latinis civitas daretur, subito item cives Romanos extitisse. Cuius opinionis nullum argumentum afferri animadverto nisi hanc quandam similitudinem, quod, Latinis cum daretur civitas, eam omnibus datam esse dicunt ubicunque habitabant nec Latinitatem, qua coloniae uterentur, ab ea, quam qui proprie Latini erant habuerunt, fuisse diversam. Ne illud quidem facere poterant, ut coloniam Latinam in Gallia Transpadana sitam afferrent, quam tunc in municipii ius translatam esse constaret. Una enim in ea regione est Aquileia, quae quo iure usque ad civitatem a Caesare etiam Transpadanis omnibus datam usa sit, ignoratur; siquidem Cremona et Placentia, quas et ab initio Latinas et post legem Iuliam municipia fuisse constat (Ascon.

in Pison. p. 3), quoniam ad Padum sitae erant, non minus recte Cispadanae quam Transpadanae Galliae accensebantur eoque magis, quod ipsa Transpadana regio parum certis finibus terminari potest. Quamquam omnis haec ratiocinatio, cum nullum Cispadanae et Transpadanae Galliae discrimen fuisse dixerimus, quamvis suscepta esset, tamen videretur esse inutilis. At satis valida sunt argumenta, quae eos qui extra Italiam erant Latinos non esse donatos civitate doceant. Primum ipsa rei ratio id ostendit. Sequebantur enim Romani in lege Iulia hoc, ut opinor, ut metum ex imperio tollerent hostiumque numerum, qui ipsam urbem urgerent, minuerent. Itaque sapientissime fecerunt, quod, cum undique, qui victoriarum olim socii fuerant, instarent, civitate multis populis atque urbibus Italiae danda hostium vires diviserunt, paulatimque seditionis semina sustulerunt: sed quid, quaeso, utilitatis habebat, populos extra Italiam sitos, qui in nullam belli communionem venire possent nec quicquam periculi minarentur, eo beneficio afficere, quod, qui optime de imperio Romano meruerant, tam diu frustra expetiverant? Erant etiam plurimi Latinae condicionis homines per provincias negotiandi causa constituti, quos subito civitate donari erat sane inutile. Neque enim Romanos tam stultos fuisse arbitramur, ut nescio cuius constantiae causa et ne dispari essent condicione qui intra Italiam erant ac qui extra eam erant, omnibus omnino qui ubique essent Latinis civitatem impertirent. Deinde si una tunc lege omnes Latinos in civitatem receperunt veteremque universam Latinitatem extinxerunt, cur non retinuerunt postea eum morem, ut non paulatim Gallias et Hispanias et reliquas provincias civitate donarent imperiumque quod armis pararant, uno iure coniungerent, sed generatim qui ubique per imperium totum erant, honore ac iure augerent? Num igitur unquam factum est, ut quae ubique per omnes provincias vel foederatae essent civitates vel liberae vel Latinae, uno tempore civitate donarentur? An hoc sequebantur, ut singulas deinceps provincias vel in ipsis provinciis singulos populos ac singula oppida, prout quique meruisse viderentur, civitate augerent, dum postremo paucis omnino reliquis, qui eius non aliqua parte uterentur, una lege omnes universi im-

perii homines ingenuos in civitatem receperunt? Denique sunt quaedam extra Italiam civitates, quas et ante legem Iuliam civitate usas esse constet et post eam, quae a viris doctis non debuerunt negligi. In Hispania enim colonia erat Carteia condita anno 171 (Liv. XLIII, 3) Latini iuris: eam nonne lege Iulia non minus quam Latinas Italiae colonias in municipium mutari oportuit? At Plinius nat. hist. III, 3, cum omnes colonias et municipia nominet, quia Carteiam non nominat, in vetere eam iure mansisse haud dubie significat. Eiusdem generis nunc iudico fuisse Aquas Sextias anno 123 conditas, de quibus olim in Comment. epigraph. Vol. I p. 412 hac re nondum perspecta minus recte statueram, quarum colonis data est Latinitas, in qua eos diu mansisse ostendit Plin. nat. hist. III, 4 in Latinis oppidis recensens. Similiterque existimandum erit de Hispali, quae cum aedificata esset illo tempore, quo Hispania in dicionem redigebatur, postea aucta est dictatoris Caesaris veteranis, qui cum accessissent, duae urbis partes erant, quarum una antiquitus Latio donata in ea condicione etiam post novam coloniam adiectam mansit. Vide Comment. epigraph. I p. 310 et 365, ubi de Corduba similiter constituta diximus.

Quae cum ita sint, certum esse existimamus, quod supra posuimus, legem Iuliam ad solam Italiam pertinuisse, sed ad hanc universam idque significat Appianus bell. civ. I, 14 sic dicens: Ἰταλιωτῶν δὲ τοὺς ἔτι ἐν τῇ συμμαχίᾳ παραμένοντας ἐψηφίσατο εἶναι πολίτας, οὗ δὴ μάλιστα μόνου πάντες ἐπεθύμουν. At, inquiat quispiam, omnes tu Italicas civitates lege Iulia in civitatem Romanam receptas esse censes ac ne Transpadanas quidem excipis? Etenim ad omnes civitates et Latinas et socias et foederatas legem pertinuisse indicat Cicero p. Balb. c. 8, cum lege Iulia ait civitatem datam esse sociis et Latinis ac deinde Heracleenses et Neapolitanos nominat, qui diu foederis sui libertati civitatem anteferre dubitassent. Quid igitur? Nonne sic universam Italiam usque ad Alpes uno tempore civitate donatam esse debebimus statuere? Non debebimus. Etenim non ea erat lex, quae quicunque in Italia habitarent, cives esse iuberet, sed modum quendam adhibebat, quo fides civitatum

obstringeretur ac merita praemio afficerentur. Quid enim est, quod Velleius II, 16 scribit: *Paulatim deinde recipiendo in civitatem, qui arma aut non ceperant aut deposuerant maturius, vires esse refectas?* Si lex ea erat, quam Cicero dicit, ut omnia civitatum genera complecteretur, quomodo tandem factum est, ut ea paulatim reciperentur? Certe non ita, ut generatim primum Latini quique Latinae essent condicionis, deinde foederati, tum socii reciperentur; id enim et cum ea quae supra exposita est ratione pugnaret et cum Velleii verbis et cum aliis testimoniis. Sed prout quodque oppidum vel bene meruisse vel, nisi civitate data conciliaretur, nocere posse videbatur, ita recipiebatur nec dubium est, quin fieri potuerit, ut ex ipsis coloniis Latinis eodem tempore aliae civitate uterentur, aliae non uterentur. Ac quoniam inter arma ipsa ac bellum dum magna contentione geritur, civitate paulatim danda Italicorum populorum animi placandi erant, non videtur esse consentaneum, ut de singulis populis vel singulis adeo oppidis singulae leges ex senatus consultis ad populum latae ab eoque iussae sint: sic enim persaepe accidisset, ut vel occasio rei bene gerendae praetermitteretur vel socii ipsi, qui incertae populi Romani voluntati sese permittere vererentur, promissis praemiis parum confiderent. Quare cum lege Iulia semel permissum esset omnibus populis Italicis civitatem tribuere, brevior quaedam eademque certior via invenienda erat, qua quod licebat repraesentaretur. Nec scio num satis fuerit, sublata populi sanctione ad senatum civitatis vel dandae vel non dandae arbitrium deferre; neque enim in hoc aut minora partium studia erant aut multo difficilior differendi decreti facultas, et, si lege praeter tempus, quo quaeque civitas reciperetur, reliqua definiebantur, aptissimum erat, uni magistratui omnem potestatem civitatis dandae permittere. Certe etiam illud accedere oportuit, ut populi ipsi civitatem cuperent omissaque vetere sua republica in novum ius transire vellent i. e. ut fundi fierent; sic enim hoc rite appellatur. Sed perspecta populorum cupiditate quis potissimum magistratus civitatem impertire eamque potestatem ex lege Iulia habere debuit? Is, opinor, qui populos civitate donandos regebat, i. e. consul ille, cui provincia Italia evenerat,

similisque prorsus eius est causa atque eorum, qui reliquas regunt provincias, a quibus saepe cum eam potestatem a populo accepissent, civitatum iura constituta esse notum est. Sed nescio quo pacto etiam censorum in hac re aliquae partes videntur fuisse, ac significat tale aliquid Dio Cass. XXXVII, 9 de anno 65 sic referens: οἱ τιμηταὶ περὶ τῶν ὑπὲρ τὸν Ἠριδανὸν οἰκούντων διενεχθέντες (τῷ μὲν γὰρ ἐς τὴν πολιτείαν αὐτοὺς ἐςάγειν ἐδόκει, τῷ δὲ οὔ) οὐδὲν οὐδὲ τῶν ἄλλων ἔπραξαν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀρχὴν ἀπεῖπον. In his mirari debemus, quod M. Crassus et Q. Catulus censores (Plut. Crass. c. 13) narrantur de civitate Gallis Transpadanis danda dissensisse. Censores enim, opinor, eorum qui cives sunt, censum accipiunt, ordines populi constituunt, hoc fortasse etiam nonnunquam faciunt, ut si qui utrum sint cives necne dubium esse videatur, decernant, sed eos, quos nondum cives esse constat, quomodo in civitatem recipere possunt? De qua re si qua magistratuum dissensio existat, sic agendum est, ut rogatio ad populum feratur, qui quid sibi placeat decernat. Sic igitur certe etiam hi censores egissent, ut M. Crassus (nam hunc patris causa pro Transpadanis pugnasse existimo) legem ad populum ferret, nisi haec Transpadanorum causa prorsus singularis quaedam fuisset censoresque de ea statuendi propriam ac lege delatam potestatem habuissent. Eandemque ob causam anno post perlatam legem Iuliam censores creati sunt, quibus, quoniam quattuor annis ante lustrum rite erat conditum, nondum opus erat, praesertim cum ab iis, qui tunc facti sunt, nullam populi partem censam esse tradat Cicero p. Arch. 8. Quos novorum civium causa creatos esse dudum viri docti suspicati sunt, sed non tam ad eam rem, ut eos qui cives facti essent, in tribus dividerent (nam ideo censoribus non opus erat), verum ut in civitatem reciperent, ut, quos lex permisisset fieri, eos facerent cives, ante exitum lustri extra ordinem creati sunt. Ac quod magis etiam mirum est, creatus est censor ipse ille qui legem tulerat, L. Iulius Caesar, qui, cum post consulatum imperium prorogaretur, anno 89 iam duplicem potestatem habebat, et consularem et censoriam. Hanc tantam veterum morum ac legum inconstantiam certe Romani non commisissent, nisi eundem qui tulisset exequi

legem voluissent. Quamquam in hac censoriae et consularis potestatis coniunctione maiorem tamen vim fuisse arbitror consularis, quare cum ex censoribus anni 89 alter decessisset, alter per seditiones civiles interfectus esset, omnis faciendorum civium potestas ad consules transiit eoque magis, quod non multo post censura Sullanis legibus omnino sublata est. Itaque et Mariani postquam republica consulatuque potiti sunt, ut partes suas confirmarent, plurimos populos in civitatem Romanam nulla nova lege lata receperunt, et rursus L. Sulla, cui etiamsi per legem Valeriam de dictatura non licuisset, tamen per consulatum, quem anno 80 habuit, licebat, et restituta anno 70 per Cn. Pompeium censura de eadem re denuo actum est et denique anno 49 dictator Caesar, cum censores superiore anno creati Ap. Claudius Pulcher et L. Calpurnius Piso magistratu abissent, pro consulari potestate nulla alia lege lata ipsis Transpadanis civitatem tribuit.

At enim praeter hanc, de qua disputavimus, legem Iuliam etiam alia de civitate lata est anno 89 Plautia Papiria a M. Plautio Silvano et C. Papirio Carbone tribunis plebis, de cuius tempore cum alii viri docti, velut Orellius in excursu ad Ciceronis orationem pro Arch. in Ciceron. orat. select. XV, Turici 1836, p. 459 satis recte iudicarunt, tum Bart. Borghesius in Diurn. Arcad. anni 1829, 1 p. 115 sq. magna cum eruditione disseruit. Eius naturam ab lege Iulia diversam fuisse vel haec res docet, quod ab tribunis plebis i. e. non auctore senatu, qui omnem maiorem liberalitatem prohibebat, sed a populari factione rogata est. Quamquam eam non magnam fuisse nec multa nova sanxisse arbitror. Cum enim Iulia lex omnia civitatum genera comprehenderet, quid Plautia Papiria concederet amplius? Unum affert Cicero p. Arch. 4, 7 (cf. schol. Bob. p. 353), ut ii, qui foederatis civitatibus ascripti fuissent, si tum cum lex ferretur, domicilium in Italia habuissent et sexaginta proximis diebus apud praetorem Romae professi essent, cives Romani fierent. Suspicor etiam fuisse in ea, si qui non civitate illi quidem, sed praemio tamen digni esse viderentur, ut liceret iis Latinitatem dari ab iisdem, quibus civitatis tribuendae ius esset; sed certi nihil affirmo, siquidem etiam Iulia lex tale

aliquid sancire poterat. Etenim Transpadana Gallia, quae dici solet, quid tandem factum est? Ei potuerat certe dari civitas non minus recte quam reliquis Italis; nunquam enim Padus ita terminum quendam in Italia effecit, ut qui citra eum habitarent, meliore, qui ultra, deteriore iure uterentur. Idque vulgo adeo Romanos existimasse docet Cicero de off. III, 22, qui Curionem narrat, cum causam Transpadanorum aequam esse diceret, semper addidisse, vinceret utilitas reipublicae. Aequum igitur esse putabat Transpadanos, quorum causa a reliquis Italis nihil discrepabat, civitate donari, sed fieri id nolebat, ne omnia reipublicae beneficia uno tempore effunderentur. Eodem pertinet Dionis Cassii locus, qui supra allatus est; nam censores anni 65 si de civitate Transpadanis danda dissidebant nec ideo populum lege ferenda adeundum esse putabant, haud dubia ea significatio est, legibus quidem earum causam eandem fuisse ac reliquae Italiae. Sed non esse datam civitatem constat, certe non omnibus; nam nonnulli ex iis quin vel habuerint vel acceperint nihil obstat. Quo autem iure erant? Latino putant multi imprimisque Savignius de tabula Heracleensi (in annal. iurisprud. hist. IX p. 312), qui quo tempore reliqui Itali civitatem acceperint, eodem omnes Transpadanos ad Latinitatem translatos esse censet. Etenim Asconius in Cornel. p. 3 sic refert: *Neque illud dici potest, sic eam coloniam* (Placentiam) *esse deductam, quemadmodum post plures aetates Cn. Pompeius Strabo* (is ipse de quo agimus, cos. anno 89), *pater Cn. Pompeii Magni, Transpadanas colonias deduxerat. Pompeius enim non novis colonis eas constituit, sed veteribus incolis manentibus ius dedit Latii, ut possent habere ius, quod ceterae Latinae coloniae, id est, ut gerendo magistratus civitatem Romanam adipiscerentur.* Quid igitur? Num hinc omnes Transpadanos Latinitatem accepisse colligemus? Nonne *omnes* Asconius addere debuit? Nunc si quis Gallicas vel Hispanicas colonias deduxisse narratur, quis ita id possit interpretari, ut universam vel Galliam vel Hispaniam Latino iure donatam esse existimet? Ac Suetonius Caes. 8, qui dictatorem Caesarem anno 60 ex praetura Hispaniensi decedentem narrat colonias Latinas de petenda civitate agitantes adisse, numquid omnes Transpadanos Latinae con-

dicionis fuisse significat? In ipsa quidem citra Padum Italia nullae tunc amplius erant coloniae Latinae nec si quae extra Italiam erant, eae tunc iam petebant civitatem, quare quae a Suetonio dicantur, coloniae in Transpadana Gallia sitae relinquuntur, in qua si nullae fuissent nisi Latini iuris civitates, quo pacto Caesar Latinas colonias adire potuit? Ipsa etiam coloniae Novocomensis historia (de qua cf. Commentationes nostrae epigraph. I p. 308) non omnia oppida Transpadana Latinae condicionis fuisse ostendit, quam Appian. bell. civ. II, 26 cur adderet cum Latino iure esse a Caesare conditam, si universi Transpadani in eo essent? Neque ullum satis validum argumentum ab iis, qui totam Transpadanam regionem a Cn. Pompeio Latinitate donatam esse statuunt, afferri video (cf. Savignium l. l. p. 312). Nam quod nihil fuisse dicunt, cur aliae civitates donarentur Latinitate, aliae non donarentur, quis, quaeso, nunc potest tam diligenter quid quaeque egerit, cognoscere, ut iudicet an alia alii meritis in rempublicam Romanam praestiterit? Deinde quod ex iis, quae post haec tempora Transpadanis accidisse narrantur, quicquam de iuris diversitate quae inter ipsos fuerit, colligi posse negant, id nec satis verum esse paulo infra perspiciemus nec debuit omnino afferri, quia, si qua forte ante dictaturam Caesaris fuerat diversitas, ea non minus tolli potuit, quam hac lege Iulia quicquid in Italia ipsa diversi iuris fuerat, sublatum est. Denique verba Ciceronis ad Att. V, 11 *Marcellus foede de Comensi. Etsi ille magistratum non gesserat, erat tamen Transpadanus*, quae ille de Novocomensi, quem Caesar civitate donarat, a Marcello cos. virgis caeso dicit, subtilius agunt quam verius quod ad necessitatem quandam Latinitatis omnibus Transpadanis datae referunt. Quidni enim dicat Comenses ideo non fuisse negligendos, quod Transpadani proximi sint civitati eamque mox adepturi? Ne illud quidem necesse erat, ut antequam cives Romani fierent, Latinitatem adipiscerentur Transpadani; siquidem plurimas Italiae civitates nullo interiecto Latinitatis quasi gradu ad Romanam civitatem pervenisse constat. Verum quod conficit rem, fuerunt etiam post dictaturam Caesaris in Transpadana Gallia alieni iuris homines, nedum ante eam. Nam Inalpinas

illas gentes barbaras ac feras vix magna cum molestia domitas, quis censet vel Latinitatis vel civitatis beneficio fuisse affectas? Quosdam populos, qui utraque etiam Plinii tempore caruerint, attulimus in Comment. epigraph. I p. 488, alios apertissime indicat Plin. nat. hist. III, 20, eos, qui vel cives Romani vel Latini essent, separatim nominans, quorum maiorem partem ab Hadriano demum ac deinceps civitati Romanae admotam esse ex Tergestino titulo Fabii Severi discimus. Nihil igitur est, quod etiam post legem Iuliam in Transpadana Gallia fuisse negemus populos, qui Latinitate carerent.

Veruntamen ut quae de civitate Italiae data disputavimus, paucis complectamur, sic rem actam esse censemus. Tulit L. Caesar cos. anno 90 legem, qua consulibus et censoribus iisve, qui censoria potestate essent, liceret omnes Italiae intra Alpes et fretum Siculum civitates, prout quae de imperio Romano bene meruisset, in civitatem Romanam recipere. Addiderunt insequenti anno M. Plautius Silvanus et C. Papirius Carbo tribuni plebis, ut etiam qui civitatibus foederatis ascripti fuissent, eos sub certis quibusdam legibus civitate donare permitteretur, fortasse etiam de aliis civitatibus, quae minus bene meruissent, iure Latii donandis. Ita civitatem acceperunt anno 89 multi Italiae populi, primum Latini veteres, tum Etrusci, Umbri (App. bell. civ. I, 49), alii etiam Galliae Cisalpinae. Mox cum magna illa Marianorum et Sullanorum dissensio in bellum erupisset, dum utrique amicitiam viresque Italicarum civitatum asciscere cupiunt, certatim omnibus Romana civitas oblata est, ut, postquam Sulla rerum potitus est, nulla Italorum Cispadanorumque civitas quae ea careret, reperiretur, in Transpadanis, qui remotiores a bello atque urbi minus periculosi erant, aliae civitate uterentur, aliae Latinitate a Cn. Pompeio impertita: quam Latinitatem postremo dictator Caesar in civitatem Romanam convertit, ut tamen etiam tunc intra ipsam Italiam quosdam populos ferociores relinqueret nec civitate nec Latinitate praeditos.

Etenim ad ipsum hunc Cn. Pompeium, a quo hanc digressionem instituendam esse putavimus, pertinent quae Plinius nat. hist. III, 20, 138 habet, in Transpadana Gallia *civitates*

attributas municipiis lege Pompeia referens. Nam quod Savignius l. l. p. 326, quod civitates Latio praeditae municipia appellari non possent, de alio quodam Pompeio, velut cos. anni 35 vel 31 a. Chr. vel 14 p. Chr. cogitat, nec difficile factu sit, ut omnes illos huius legis auctores esse non posse demonstremus, et municipia etiam in Transpadana Gallia fuisse supra docuimus et denique Plinius ex suae aetatis usu videtur dicere, cum quae civitates per bellum Marsicum Latinitatem acceperant, dudum in ipsam civitatem receptae erant. Sed quae tamen est illa lex? Vix enim video fieri potuisse, ut hic Cn. Pompeius similem aliquam legem ferret atque illae fuerunt, quas L. Caesar et illi tribuni plebis rogaverunt. Siquidem ex urbe profectus est continuo postquam consulatum iniit; nam in ipsa hieme Appianus bell. civ. I, 50 ab eo hostes ad mare superum magno proelio victos esse narrat; redisse autem eum in urbem ex fastis cognoscimus a. d. VI Id. Ian. ad triumphum agendum comitiaque proximi anni habenda. Quando igitur tulerit hanc legem, non reperio. Sed potuerit ferre, ut non potuit, qualem tandem eam fuisse putamus? Plinius ea quosdam populos Alpinos municipiis Italicis attributos esse scribit i. e. eos ita esse in horum ius ac potestatem redactos, ut ipsi nullam rempublicam haberent, sed a praefectis, quos decuriones municipiorum iuri dicundo praefecissent, regerentur. At hoc huiusque similia nunquam in imperio Romano iis legibus constituta sunt, quas ipse populus Romae sanxisset; pertinebant enim ad provincialia vel municipalia instituta, quae nisi ab eo qui in locis ipsis versaretur, recte administrari nequirent. Longum est hanc rem argumentis atque exemplis, quae plurima reperiuntur, demonstrare, quam qui rationem Romanam paululum tenebit, facile perspiciet. Nunquam dico eo quidem tempore, quo imperium Romanum latius patebat, rempublicam ullius civitatis ab senatu populoque Romano ita esse constitutam, ut is ipse quid de quaque re fieri placeret praescriberet, sed vir fide dignus locorumque, quorum res agebatur, peritus eligebatur: ei mandabatur, ut quod ipsi consilioque eius, sive id ipse elegerat sive Roma missos legatos acceperat, placuisset, id constitueret, quare fere praeses provinciae vel qui populum aliquem vicerat eiusque rationes co-

gnorat, eligebatur. Sic Sicilia, Hispania, Africa, Asia sunt constitutae, sic ipsa cum civitate donaretur Italia, sic denique quicquid deinceps mutandum videbatur esse, emendatum est, notaeque sunt leges Rupiliae, quibus multa per Siciliam sancita sunt, lex Pompeia, qua Bithynia constituta est (Comment. epigraph. Vol. I p. 76 et saepius), Cornelia in ipsa Italia, aliae. Rite enim hae quoque, quae ab eo, cui a populo mandatum est, dantur (nam proprie dari dicuntur), leges appellantur, propterea quod ex auctoritate populi sanciuntur. De quo legum genere nuper Theod. Mommsenius, cum de tabulis aeneis Salpensana et Malacitana diceret (in commentationibus societatis litter. regiae Saxonicae anni 1855 Vol. III p. 390), quaedam disputavit: qui vereor tamen, ne et omnino angustiores aliquanto fines constituerit quam fuerunt et id praetermiserit, in quo imperatorum quidem tempore posita erant omnia. Neglexit enim discrimen provinciarum senatoriarum et earum, quas imperator tamquam sibi proprias regebat. In his dubium non est, quin imperator, quid sibi vel de universae provinciae constitutione vel de civitatum republica placeret, ipse opera legatorum ita sanxerit, ut nec populi neque senatus auctoritate opus esset: in illis vetus consuetudo, ut senatus consultum intercederet non minus conservabatur, quam olim in libera republica, cum leges Rupilias ex Sconsulto datas esse scribit Cicero in Verr. II, 16, 40 et II, 37, 90. Sed pluribus hanc quaestionem persequi nihil attinet; apparet enim, opinor, legem illam Pompeiam, quae a Plinio commemoratur, non Iuliae vel Plautiae Papiriae fuisse parem, sed ex eo genere, quod a provinciarum praesidibus dari soleret. Quare, ut tandem ab hac satis longa digressione ad hanc, quae proposita est, disputationem revertamur, Cn. Pompeium, cui Italiam provinciam evenisse diximus, eundem in Gallia et Cispadana et Transpadana cum imperio versatum esse demonstravimus.

De consulibus anni 88 a. Chr. iam supra quaedam disputavimus, ex quibus L. Sulla postquam discordiam civilem utcunque composuit, ad bellum Mithridaticum, quod sorte acceperat, i. e. in Macedoniam et Asiam provincias (nam utramque Mithridates occuparat), profectus, Q. Pompeius cum

Italiam et Galliam obtineret, opera Cn. Pompeii occisus est. Anno 87 ambobus consulibus, Cn. Octavio et L. Cinnae successorique eius L. Cornelio Merulae, Italiam obvenisse iudico, utramque certe intra Italiam substitisse scimus. Idque eo facilius erat, quod cum duae provinciae ab Sulla obtinerentur (cf. Commentat. epigraph. Vol. II p. 175), sex ipsae quae praetoribus dividerentur, reliquae erant. Sed hos consules Gallia quoque Cisalpina tamquam sua provincia usos esse docet, quod supra ex Appian. bell. civ. I, 66 et 74 commemoratum est, quod inde auxilia, quibus urbem tuerentur, arcessiverunt. Aliud eiusdem rei apertum testimonium exhibet Val. Max. IV, 7, 5, qui ab Octavio cos. P. quendam Caelium Placentiae praefectum esse narrat. Tum anno 86 cos. creati sunt L. Cinna II et C. Marius VII, huic Idib. Ianuariis mortuo (Liv. epit. LXXX) suffectus est L. Valerius Flaccus. Hi provincias ita inter se compararunt, ut L. Flacco bellum Mithridaticum, quod L. Sulla gerebat (App. l. l. c. 75; Liv. epit. LXXXII; App. Mithrid. c. 51 sq.), i. e. Macedonia et Asia, decerneretur, L. Cinna Italiam acciperet, reliquae sex provinciae praetoribus anni praeteriti traderentur. Sed Cinnam etiam in Gallia cum imperio fuisse docet Val. Max. IV, 7, 5, qui Placentiam Cinnano senatu occupatam esse scribit, id quod hoc maxime anno acciderit necesse est. Insequenti anno 85 L. Cinna et Cn. Papirius Carbo cos. quo pacto provincias diviserint, non traditur. Sed etsi utrumque in Italia mansisse constat, ut copias atque exercitus ad L. Sullae adventum compararent, dubito tamen, an Cinnae exeunte anno Macedonia et Asia decreta sit. Etenim eum, qui anno superiore in eas provincias missus erat, L. Flaccum turpi seditione a. C. Flavio Fimbria occisum esse ne populares quidem, qui in urbe tunc dominabantur, aequo animo pati potuerunt exercitumque, quem Fimbria vi tenebat, decreto permiserunt Cinnae, qui cum in colligendis copiis severius ageret, anno 84 Anconae a militibus occisus est (Auct. de viris illustr. 69). Verum Cn. Carbonem Italiam habuisse provinciam constat, eundem tamen in Gallia imperasse ex iis, quae Val. Max. VI, 2, 10 de Castricio, Placentiae praefecto, narrat, intelligimus, quae ad hoc tempus referenda sunt. Paulo plenior

anni 84 memoria superest, quo iidem Cn. Carbo et L. Cinna, tum hoc occiso ille solus consulatum gessit, qui quin Italiam provinciam non armis modo, verum sorte etiam obtinuerit, non est dubium. Iam de eius provincia sic narrat Cicero in Verr. libr. I, 13 de C. Verre dicens: *Quaestor* (anno 84) *ex senatus consulto provinciam sortitus es: obtigit tibi consularis, ut cum consule Cn. Carbone esses eamque provinciam obtineres.* Addit deinde pecunia accepta Verrem in Galliam ad exercitum consularem venisse, sed anno post, relicta Arimini quae supererat pecunia, ad L. Sullam transisse. In his primum animadvertemus exercitum consularem dici in Gallia fuisse, qui si fuit, sequitur, ut consul ipse eam provinciam habuerit eamque cum Italia coniunxerit. Sed operae pretium est etiam ipsa Ciceronis verba diligentius considerare, quae Galliam non fuisse talem provinciam, quales fuerunt reliquae, aperte significant. Quam enim provinciam obtigisse ait Verri? Nimirum hanc ut esset cum consule: eum cum exercitu fuisse in Gallia. Iam faciamus Cisalpinam Galliam eius generis fuisse provinciam, cuius tunc erat Transalpina, cuius Africa, cuius reliquae, consulique Carboni eam evenisse: nonne sic potius dicere debuit, Verri obtigisse Galliam Cisalpinam, quae cum consularis esset, accidisse, ut cum Carbone esset? Notum enim est quaestoribus non minus sorte datas esse provincias quam consulibus neque eadem fuisse quaestorum tempora ac praesidum, ut quaestor maneret, cum praeses decederet, et contra. Quare cum Cicero Verrem dicat consulis factum esse quaestorem, ei propter ipsum, quem gereret, consulatum Galliam Cisalpinam una cum Italia paruisse colligemus. Secuti sunt anno 83 L. Cornelius Scipio et C. Norbanus Bulbus, qui ita Italiae imperium diviserunt, ut Norbanus inferiorem, Scipio superiorem acciperet; nam illum Capuae constitisse, hunc auxilio approperasse App. bell. civ. I, 84 narrat. Cf. Plut. Pomp. c. 7. Eique rei convenit, quod Cicero in Verr. I, 14 M. Pisonem cum C. Verre comparans ait cum quaestor consuli obtigisset, ad Sullae partes transisse, in quo Cicero si nomen provinciae adiecisset, minus significasset Galliam Cisalpinam cum Italia fuisse coniunctam. Habebat tamen etiam Cn. Carbo prorogatum imperium (App.

I, 82), imprimis, opinor, in hac ipsa Gallia versans. Itaque App. I, 86 consules ait, postquam cladem a Sulla acceperunt, novos exercitus ex Gallia Circumpadana collegisse, nullum qui provinciae ei praefuerit nominans, et Plut. Pomp. c. 6 Carbonem in Piceno multum valuisse tradit. Item anno 82, qui ultimus Marianae dominationis fuit, cos. C. Marius et Cn. Carbo easdem provincias obtinuerunt, adiuncto quidem Norbano, cui imperium prorogatum erat (App. I, 90). Ac Marius quidem mox Praeneste inclusus est, Carbo autem et Norbanus praecipue in Cisalpina Gallia cum Metello Pio et Cn. Pompeio pugnarunt (App. I, 90 sq.); commemorantur enim Carbonis pugnae ad Fidentiam, Faventiam, Placentiam ac tandem hoc effectum esse scribit App. I, 92, ut Carbo universa Gallia, quae a Ravenna ad Alpes pertinet sibi erepta in Africam profugeret. Nulla in his fit mentio, ut peculiarem Galliae Cisalpinae praesidem fuisse debeamus statuere, nihil de sortitione, nihil de mandata consulum alteri provincia, sed omnia prorsus ita narrantur, quasi commune ac permistum in Italia et Gallia imperium consules habuerint. At Transalpina Gallia quo iure per haec tempora utebatur? Eam iam supra suum rectorem habuisse ostendimus, sed commemoratur etiam a Cic. p. Quinct. c. 7 *C. Valerius Flaccus*, quem quod imperator vocatur, bella feliciter gessisse intelligimus.

Iam L. Cornelius Sulla postquam rempublicam vi subactam legibus constituit, nonne nova quaedam etiam de Galliis provinciis sanxit? Paucae enim omnino sunt reipublicae partes, in quibus nihil ille novi decrerit, atque ipsa haec, quae ad provincias pertinent, accuratius ab eo constituta esse invenimus. Ac multa sane Sulla in republica quam inveniebat, vel immutavit vel sanxit, sed magis tamen in eam partem, ut ea quae in moribus ac legibus veteribus erant, confirmaret quam ut nova prorsus induceret. Provinciam quidem novam ab eo nullam factam esse reperio praeter Ciliciam, quae cum vel nondum subacta vel cum Asia coniuncta fuisset, anno 80 a Cn. Cornelio Dolabella, praetore superioris anni, tum anno 79 a P. Servilio Vatia recta est. Galliarum autem quamdiu Sulla dictaturam gessit, nulla omnino mentio fit, nisi quod

Transalpinam anno 82 Marianarum partium alicui duci paruisse intelligimus ex Sertorii rebus, quem cum Plut. c. 7 praetermisso itinere Gallico narret ex Italia in Hispaniam iter facientem in Pyrenaeis tantum montibus aliquas a barbaris gentibus difficultates superasse, nullis armis in Gallia occurrisse existimamus. Neque mirum est Cisalpinam Galliam non commemorari per dictaturam Sullae: qui, si verum est, quod videmur docuisse, nullam eam fuisse propriam provinciam, quoniam summam omnium rerum in Italia potestatem habebat, facile in ea quicquid placebat, administrare poterat. Videntur etiam nonnulla in re agraria per Cisalpinam esse innovata; nam quia hoc imprimis agebatur, ut urbs ipsa quaeque regiones circa eam erant, militum praesidiis munirentur, multas in ea colonias deduci inutile erat. Vide commentationum epigraphicarum Vol. I p. 250 sq. Sed postquam L. Sulla ineunte anno 79 dictatura sese abdicavit, quia libertas reipublicae restituta erat seditionesque eius potentia oppressae revixerunt, continuo utriusque Galliae mentio fit. Etenim cum anno 78 a factione Mariana ad consulatum evectus esset M. Aemilius Lepidus collega Q. Lutatio Catulo, quem optimates tuebantur, consulibus futuris ex nova lege Cornelia provinciae decretae sunt Gallia Transalpina et Italia, ex quibus illa sorte evenit M. Lepido (App. bell. civ. I, 107), haec Q. Catulo. Qui cum vehementer de republica dissiderent, senatus eos iureiurando obstrinxit, fore ut nullas res novas molirentur, qua fide quia Lepidus se tamdiu teneri existimabat, dum consulatu fungeretur, ante exactum magistratus sui annum urbe exiit, ut et comitia in annum insequentem facienda prohiberet vacuamque magistratibus Romam deprehenderet (quare anno 77 per interreges demum consules creatos esse ex Sall. hist. orat. Phil. libr. I fr. 51 extr. discimus) et quae ad bellum opus essent, compararet. Optimates autem cum Q. Catulum resistere iusserunt, tum extra ordinem Cn. Pompeio, qui nondum ullo honore ornatus maximas tamen res gesserat, imperium detulerunt (Plut. Pomp. c. 16). Iam Livius epit. XC sic ait: *M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam obtinebat, a Cn. Pompeio victus est*, unde facile aliquis Galliae Cisalpinae tunc peculiarem aliquam provinciam

fuisse ac M. Brutum, patrem eius, qui postea dictatorem Caesarem interfecit, cum praeesset ei, cum Lepido coniunctum contra Pompeium optimatesque bellum movisse coniiciat. Sed accuratius longe narrat Plutarchus Pomp. c. 16: ἀπεδείχθη (Πομπήϊος) στρατεύματος ἡγεμὼν ἐπὶ τὸν Λέπιδον, ἤδη πολλὰ τῆς Ἰταλίας νενικηκότα καὶ τὴν ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίαν κατέχοντα διὰ Βρούτου στρατεύματι. Quae verba ostendunt M. Brutum legatum fuisse Lepidi praemissumque ab eo illam Italiae partem occupasse. Ipse adeo M. Brutus dubium est utrum praetorius vir fuerit necne, qua de re cf. commentationes epigraph. Vol. I p. 245. Ac si fuisset proprius Galliae Cisalpinae praeses, nonne is, cum Lepidus ex sua provincia armatus prorupisset, imprimis excitandus ac contra eum mittendus erat? At missus est Pompeius ac L. Philippus apud Sallust. hist. I fr. 51 haec censet: *ut Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule et ceteris, quibus imperium est, urbi praesidio sint.* Accedit, quod idem Philippus, qui, si Brutus suo iure Galliam obtinens arma cum Lepido consociasset, hunc, quippe maxime vicinum Italiae atque urbi ipsi imminentem, prae ceteris nominare debuit, unius M. Lepidi, tamquam hostis patriae, mentionem facit, Brutum, ut illius administrum, prorsus silentio omittit. Quo maior fuit Cn. Pompeii, qui ipso capite seditionis expulso satis reipublicae consuluisse videretur, in M. Bruto crudelitas, quae vehementer ab omnibus scriptoribus exagitatur (Plut. Pomp. 16; Brut. 4; Cic. ad Att. IX, 14, 2).

Excepit autem M. Lepidum in Gallia Transalpina *L. Manlius*, quem Plut. Sert. c. 12 narrat Q. Metello Pio aegre contra Sertorium bellum sustinenti auxilium tulisse, victumque ab Hirtuleio, quaestore eius, recessisse. Quae res cum et a Livio epit. XC illo ordine referatur et a Plutarcho accidisse tradatur, antequam Pompeius in Hispaniam pro cos. mitteretur, incidat necesse est in annum 77, ut L. Manlium eodem anno quo Lepidus victus est (neque enim is in provinciam revertit, sed in Sardinia periit) suffectum esse videamus. Cf. etiam Caes. bell. Gall. III, 20. Confirmatur igitur quod diximus, in Galliae nec Cisalpinae nec Transalpinae ratione quicquam a L. Sulla esse mutatum: mortuo enim eo haec non minus a

praesidibus Roma missis regebatur, illa non minus iisdem quibus Italia ipsa parebat. Nec hercle reperiri potest, cur Cisalpinae quidem ratio mutata esse videatur. Nam si quis dicat Sulla dictatore constituendum fuisse, si quid propter civitatem Romanam Italiae datam in republica imprimisque in provinciis mutandum esset, certe hoc non eo pertinere potuit, ut Gallia Cisalpina ab Italia seiungeretur propriaeque provinciae ius ac formam acciperet. Numquid enim Italia excludi oportebat, quicquid civitate carebat? At ante legem Iuliam in ipsa Italia et municipia coloniaeque et Latini et foederatae civitates fuerant, eadem prorsus iuris diversitate, quam post legem Iuliam Gallia Cisalpina exhibebat. Atque ex hac ipsa partem tunc constat usam esse civitate, partem Latinitate, partem neutra praeditam communi fuisse sociorum iure, ut in ea quae statueretur provincia Gallia Cisalpina, eadem condicionis diversitas reperiretur, quae nunc in Italia invenitur. Veruntamen post Sullam (nam ab ipso unam modo Ciliciam novae provinciae iure constitutam esse diximus) non paucae extiterunt novae provinciae. Earum prima fuit Cyrenae, quas cum aliquamdiu libertate usae essent, anno 75 P. Lentulo Marcellino quaestori propraetore traditas esse discimus ex Sallustiano fragmento apud Kritz. Sall. fragm. I n. 47. Altera fuit Bithynia, quae postquam anno 74 Nicomedis testamento ad Romanos pervenit, in provinciae formam redacta est ab L. Iunio Silano, qui idem Asiae praeerat, coniunctaque mansit cum ea provincia sub L. Octavio, tum L. Lucullo et M. Aurelio Cotta, qui bellum adversus Mithridatem communiter gesserunt, sub M.' Acilio Glabrione, sub Cn. Pompeio, a qua postquam provincia lege Pompeia (Plin. epist. X, 83 et 113 et 115 et Comment. epigraph. Vol. I p. 111 et 123 et saepius) constituta est, primum proprium sibi rectorem habuit per biennium ab anno 61 a. Chr. C. Papirium Carbonem (Eckhel. Doctr. numm. II p. 369). Tertia fuit Syria a Pompeio capta, quarta denique Creta, de qua disputavimus in Comment. epigraph. Vol. II p. 240. Sed omnium harum provinciarum ratio diversa erat. Duae enim ex iis testamento Romanis relictae erant, duae armis expugnatae, ut causa constituendi appareat. Talis autem cum nulla fuerit in Gallia

Cisalpina, ex ipsius rei natura ne post Sullam quidem eius rationem mutatam esse poterimus colligere. Accedit aliud, quod inter Galliam hanc Cisalpinam, quae putatur, et inter reliquas populi Romani quae vere fuerunt provincias magnam quandam diversitatem fuisse significet. Etenim reliquas, non modo parvas atque inermes, verum etiam magnas ac populis bellicosis vicinas, aliquando ab iis administratas esse videmus, qui praetores tantum fuissent, non consules. Nam ut in eo temporis spatio, de quo agimus, consistamus, Macedoniam, cuius plurimos rectores novimus, ex praetura obtinuit L. Rubrius Culleolus (Comment. epigraph. Vol. II p. 184), C. Octavius (ibid. p. 194), L. Appuleius Saturninus (ibid. p. 194), Q. Ancharius (ibid. p. 201), Africam L. Licinius Lucullus (Cic. Acad. II, 1), L. Sergius Catilina (Cic. p. Cael. 4), Q. Pompeius Rufus (Cic. p. Cael. 30), T. Vettius Iudex aliique, quorum nomina ignoramus; perpauci enim vel nemo ex consulatu hanc provinciam sortitus est. Hispaniam autem citeriorem proxime ante Cn. Pompeium ex praetura rexit Q. Calidius (Cic. p. Planc. 29), tum M. Pupius Piso, P. Cornelius Lentulus Spinther anno 59 (Caes. bell. civ. I, 22), ulteriorem Antistius ille Vetus, cuius quaestor fuit C. Iulius Caesar (Plut. Caes. 5), C. Cosconius (Cic. in Vat. 5), ipse C. Caesar, Sex. Quinctilius Varus, alii. Sardiniam et Siciliam post Sullam quia quietissimae erant, nemo, qui consulatu functus esset, accepit, nec magis Asiam, si L. Lucullum et M.' Acilium Glabrionem excipias. Ciliciam ex praetura tenuit Cn. Dolabella, de quo diximus, Bithyniam, postquam Mithridate victo pacata est, C. Papirius Carbo, C. Memmius Gemellus, alii. De Narbonensi denique Gallia infra saepius disputabimus. At Galliae Cisalpinae cum nullus omnino praeses, quin consulatum gesserit, commemoretur, neque ea aut eiusmodi fuerit in tanta urbis propinquitate, ut qui bene eam etiam ex praetura administrasset, latere posset, aut tam plena armorum ac belli, ut nisi a consulari viro et magno cum exercitu regi non posse videretur, efficietur, ut etiam post Sullam diversam regiminis rationem habuerit ac reliquae provinciae. Quae cum ita sint, etiam deinceps alter consulum, qui Italiam provinciam sortiendo

acceperat, Galliam rexit neque exacto magistratus anno aliam provinciam adiit. Alter enim, quia consulares provinciae ante comitia destinabantur, iam in ipso magistratus sui anno eam, quam deinde recturus erat, provinciam obtinebat. Id adeo iam sic demonstremus, ut quae quotannis cum praetoriae tum consulares provinciae fuerint, examinemus simulque si qui Narbonensis Galliae praesides cognoscantur, afferamus.

Substitimus autem supra in anno 78 a. Chr., quo M. Lepidus Narbonensem Galliam tenuit, qui cum bellum excitasset, et Q. Catulo, cui Italia evenerat, imperium prorogatum et Cn. Pompeio extra ordinem exercitus datus est, quem ille invito senatu, dum anno 76 in Hispaniam ulteriorem contra Sertorium missus est, retinuit (Plut. Pomp. 17). Quare cum anno 77, quo D. Iunius Brutus et Mam. Aemilius Lepidus ex interregno (Sall. hist. I orat. Phil.) consulatum inierunt, duo iam essent in Italia exercitus cum duobus imperatoribus, quid consul vel consules in ea egerint non tradi minime mirum est. Substitisse autem existimo ambos cos. in Italia, praetextu seditionis quamvis iam compressae. Nam Mam. Lepidus, quamquam consueto more exercitum et quaestorem et legatos et reliquum apparatum militarem habuit (Cic. p. Cluent. 36), tamen iam provectior aetate erat, cum ad consulatum perveniret (cf. Borghes. in Act. acad. Rom. arch. VII p. 159), ut dubium esse videatur, num provinciae externae regendae cupidus fuerit, nec D. Brutus scio quam provinciam accipere potuerit. Siquidem anno 76 Hispaniae a Cn. Pompeio et Q. Metello, Africa ab L. Lucullo, Macedonia ab Appio Claudio, Asia ab L. Silano, Narbonensis Gallia ab L. Manlio, Cilicia ab P. Servilio regebantur, Sardinia et Sicilia post Sullam nunquam praesidem consularem videntur habuisse, ut nulla supersit provincia, quam anni 77 consulibus obtigisse existimemus. Tum anno 76 C. Scribonium Curionem Macedoniam accepisse constat (Comment. epigraph. Vol. II p. 180), collegam eius Cn. Octavium, hominem mitem ac paci aptiorem, quod multis corporis doloribus cruciaretur (Cic. Brut. c. 60 et de fin. II, 28; Sall. hist. III, 83 ed. Kritz.), Italiae Galliaeque praefuisse ex ceterorum annorum similitudine probabiliter suspicabimur. Anno

75 qui consulatum gesserunt L. Octavius et C. Aurelius Cotta, ex iis ille Ciliciam provinciam sortitus est, in qua anno insequenti decessit (Plut. Lucull. 6), hunc Cicero in Pis. c. 26 nullo certo hoste summa tamen narrat triumphi cupiditate flagrasse. Quare cum idem Cicero Brut. c. 92 C. Cottam tradat ex consulatu in Galliam profectum esse, Pighius Annal. Vol. III p. 298 ei utramque Galliam obtigisse existimat, cuius opinionis causam ullam aut rationem nec attulit nec afferre potuit. Prorsus enim extra ordinem factum esse intelligemus semel, ut utraque Gallia sub unius rectoris imperium coniungeretur, quod ut posset fieri, antea Cisalpinae universa ratio mutata est: quae quamdiu vetere consuetudine ab eo, qui Italiam obtinebat, regebatur, quomodo adiungi potuit Narbonensis? Alterutram igitur Galliam Cotta rexit ac cum nullo certo hoste triumphum meruisse narratur, non dubitandum esse censeo, quin Cisalpinam obtinuerit, ex qua praeter Alpinas quasdem gentes vagas hostiumque nomine vix dignas triumphus quaeri non poterat. In Narbonensi quidem tot nationes erant bellicosae tantaque maximorum bellorum materies, ut qui consulari exercitu ornatus gloriaeque cupidus esset, honestissime triumphum adipisceretur. Eaque provinciarum divisio aliorum annorum consuetudini prorsus convenit. Veruntamen si Italiam cum Gallia Cisalpina obtinuit C. Cotta, hoc quidem posset intelligi, si intra magistratus sui annum devictis hostibus triumphum egisset; sed cum propter negotia domestica, in quibus eloquentia excelluit, per consulatum ipsum Romae mansisset, cur tandem post consulatum demum in bellum profectus est? Cuius si ulla facultas esset, certe successor eius sibi potius imperium sumpsisset. Nimirum hoc sic accidit. Anni 74 a. Chr. consules L. Licinius Lucullus et M. Aurelius Cotta quas provincias acciperent? In Sardiniam et Siciliam et Africam tunc quidem consulares viri non proficiscebantur, Hispanias tenebant Pompeius et Q. Metellus, Macedoniam C. Curio, Ciliciam L. Octavius, de quo diximus, nec horum quisquam revocari poterat, quia illi difficillimum bellum administrabant, hi modo provincias acceperant. Quare unum hoc relinquebatur, ut consulibus futuris (sic enim lex Sempronia

iubebat) anno 75 decernerentur Italia et Narbonensis Gallia. Ac Lucullo quidem Plutarchus Luc. c. 5 antequam consul crearetur, narrat sorte evenisse Galliam Cisalpinam i. e., ut didicimus, Italiam et Galliam; collegae eius quae obtigerit provincia non addit, sed fuisse eam quam diximus probabile est. Verum cum casus ita tulisset, ut vel exeunte anno 75 vel ineunte 74 L. Octavius, Ciliciae rector, moreretur, L. Lucullus, quia Mithridaticum bellum imminebat nec ultra differri poterat, a populo, ut videtur, Ciliciam bellique administrationem accepit, collegaque eius, ne in minore provincia nihil gloriae pararet, precibus senatum permovit, ut is sibi classem bellumque mari gerendum permitteret. Quo facto ubi uterque consul urbem reliquit, vacua facta est et Narbonensis Gallia, quae vel praetori alicui data vel ei qui antea habuerat, quisquis fuit (neque enim L. Manlium, qui anno 76 obtinuerat, tunc amplius in ea fuisse arbitror) prorogata est, et Italia, quam proconsulari imperio, ut par erat, C. Cotta rexit bellique ac triumphi occasionem accepit. Anno 73 a. Chr. quae consulares provinciae fuerint notum est. Nam M. Lucullus Macedoniam habuit (Comment. epigraph. II p. 181), C. Cassius Varus Italiam. In quo rursus argumentum satis certum deprehendimus, quo Italiam cum Gallia Cisalpina coniunctam consulis alterius imperio paruisse intelligamus. Etenim cum illo anno bellum gladiatorium exarsisset, primus ducum Romanorum a Spartaco victus est Clodius aliquis, de quo sic refert Plutarchus Crass. c. 9: ἔπειτα Κλωδίου στρατηγοῦ μετὰ τρισχιλίων πεμφθέντος ἐκ Ῥώμης, ac similiter Orosius V, 24 *Clodii praetoris,* qui servos obsidione cinxisset, castra expugnata esse scribit. Sed et Plutarchum Graecorum more στρατηγόν intelligere eum, qui dux exercitus, non qui praetor sit, et Orosium parum vere tradidisse ostendit Livius epit. XCV; nam is Claudium Pulchrum legatum a Spartaco victum esse ait. Cuius igitur ille imperatoris legatus erat? Certe non praetoris alicuius (nam post hanc cladem P. Varinium Glabrum praetorem eiusque legatum Furium a Spartaco victos esse tradit Plutarchus), nec imperatoris extra urbem in provincia aliqua collocati, sed tum ad urbem cum exercitu commorantis; nam nec exercitum ullum tunc ad urbem

fuisse novimus et ex urbe Clodium legatum missum esse scribit Plutarchus. Necesse igitur est C. Cassii Vari legatum intelligamus atque hunc Italiae praefuisse statuamus. Ipse quidem consul quo tempore Claudius superatus est, iam in Gallia Cisalpina videtur esse versatus; nam et Spartacus ne in Galliam erumperet metuebatur nec victo legato ipse, sed praetor fugitivos aggressus est. Insequenti autem anno 72, quo L. Gellius Poplicola et Cn. Cornelius Lentulus Clodianus consulatum inierunt, quoniam magnum periculum a fugitivis timebatur, senatus trifariam Italiae tutelam divisit; nam Lentulus mediam Italiam, Gellius inferiorem, Cassius prorogato imperio Galliam defendebat adiutoresque belli erant Q. Arrius et Cn. Manlius praetores (Liv. epit. XCVI; App. bell. civ. I, 117). Quare quod Plutarchus Crass. 9 Cassium appellat τῆς περὶ Πάδον Γαλατίας στρατηγόν (cf. Flor. III, 20, 10; Oros. V, 20), non ita interpretabimur, ut ei Galliam vel Circumpadanam vel Cisalpinam tamquam peculiarem provinciam datam esse putemus, sed prorogato eum imperio statuemus iussum esse illam maxime Italiae partem tueri. Ac quoniam more Romano imperium post consulatum prorogari non potest nisi iisdem locis, quibus in magistratu ipso imperium fuerat, sequitur, ut Cassius, qui consul Italiam provinciam sortitus erat, simul in Gallia imperarit. Veruntamen cum ne illi quidem, quos diximus, imperatores Spartacum fugitivosque extinguere potuissent, res extracta est in annum 71, quo P. Cornelius Lentulus Sura et Cn. Aufidius Orestes consules fuerunt. Tum Spartaci bellum constat traditum esse M. Licinio Crasso praetori (Plut. Crass. 9; App. bell. civ. I, 118). At ex consulibus unum P. Cornelium Suram scimus ab L. Gellio Cn. Lentulo censoribus, qui mense fere Iunio anni 70 inierunt, senatu esse motum (Comment. epigraph. Vol. II p. 183), ut eum tunc nec in provincia nec in magistratu fuisse videamus. Rexit igitur Italiam cum Gallia, sed nomen eius et P. Crassi victoria et Cn. Pompeii ex Hispania revertentis gloria obscuravit; habuerit etiam aliquamdiu prorogatum imperium, dum P. Crasso obtinente Italiam deposuit. Collegam autem eius Cn. Aufidium, quia nusquam postea commemoratur, in Comment. epigraph. l. l. coniecimus non

multo post consulatum supervixisse. Nec tamen hoc impedit, quominus provinciam rexerit, ac videtur rexisse, non propter fragmentum illud Sallustianum, quod Priscian. VI, 11, 61 ex libro II histor. (II, 84 ed. Kritz.) affert (id enim cum in altero historiarum libro fuerit, ad illud potius imperium, quod Orestes ex praetura habuit, videtur pertinere, quamquam certe non ad praeturam Illyricam, ut Pighius Annal. III p. 293 volebat, siquidem nulla erat provincia Illyricum), sed propter consularium provinciarum consuetudinem. Itaque cum Macedonia anno 71 ab M. Lucullo, tum a L. Culleolo, certe post tantas victorias nullo modo a consulari viro, Asia et Cilicia utroque anno ab L. Lucullo, Narbonensis Gallia anno 71 a. M. Fonteio administratae sint, eum in alterutram Hispaniam vel Cn. Pompeio vel Q. Metello successisse suspicor; nam alteram usque ad annum 69 M. Pupius Piso ex praetura tenuit (Ascon. p. 15 Orell.; Cic. p. Flacc. c. 3). Insequuntur anno 70 Cn. Pompeius Magnus et M. Licinius Crassus consules, quorum ille cum iurasset se in nullam provinciam ex consulatu iturum idque servasset (Vell. II, 31; Zonar. X, 2), quid tandem fecit Crassus? Num idem iuravit quod Pompeius? At id nec tradit quisquam nec per se probabile est, quod nondum consularia imperia, ut Pompeius, exercuerat. Nec minus tamen certum est eum non exisse in provinciam. Quid igitur muneris gessit? Nimirum Pompeii iureiurando illa provincia, quae extra Italiam decerni solebat, sublata erat, ipsam Italiam cum Gallia Cisalpina accepit M. Crassus idque ita consentaneum erat. Etenim pacarat paulo ante bello civili extincto Italiam, quare, ut provinciam qui subegit, idem iure ac legibus componere solebat, ita Crasso concedendum erat, ut vastatam seditione Italiam restitueret provideretque, ne quod simile malum iterum existeret. De consulum, qui anno 69 successerunt, Q. Hortensii et Q. Metelli, provinciis satis dictum est in Commentationibus epigraph. Vol. II p. 186. Cum sors aliter constituisset, cessit Hortensius Metello Macedoniam et bellum Creticum, ipse Romae mansit i. e., ut coniicio (nihil enim de ea re traditur), Italiam provinciam accepit Galliamque Cisalpinam cum ea coniunctam rexit. Eandemque haud scio an insequenti anno obtinuerit,

quo Q. Marcium Regem constat in Ciliciam esse profectum (Plut. Luc. 35; Liv. epit. XCVIII; Dio XXXV, 14), collegam eius L. Caecilium Metellum initio magistratus sui obisse nec successorem accepisse narrat Dio Cass. XXXV, 4. Nisi forte tum, quia Hortensius belli minus cupidus erat resque urbanas praeferebat, praetori alicui Italiae cura mandata est. At anno 67 a. Chr. everti videtur illa, quae a nobis proposita est lex, ut consulum alter Italiam acciperet. Neque enim modo M.' Acilium Glabrionem scimus sortitum esse Asiam cum Bithynia (Dio XXXV, 14), verum etiam collegam eius C. Calpurnium Pisonem idem Dio XXXVI, 20 refert Narbonensem Galliam accepisse provinciam. Veruntamen singularis prorsus eius anni fuit ratio. Lata enim eo est lex Gabinia, qua Cn. Pompeio belli piratici gerendi causa infinita prope potestas delata est, quae non tantum omnem oram maritimam, in qua parem potestatem ac provinciarum proconsules haberet, sed etiam Italiam universam complectebatur, quam in triennium cum proconsulari potestate accepit. Id et Dio Cass. XXXVI, 20, quamvis mutilus sit locus, aperte tradit et necesse fuisse apparet; etenim nisi ea potestate ornaretur, satis magnum ille exercitum colligere non potuit; conscripsisse autem narratur viginti milia peditum (Plut. Pomp. c. 26). Peribat igitur hac lege alterius consulis provincia prope tota nec Pompeio ipsi, qui tunc plurimum Romae valebat, gratum esse poterat, alterum eumque consulem pari secum in Italia esse potestate. Ideo C. Pisoni eadem lege Gabinia extra ordinem Narbonensem Galliam redditam esse coniicio. Quam cum in ipso consulatu quamvis in urbe commoraretur, adisset, impedire Cn. Pompeii in Gallia Narbonensi dilectus coepit (Dio XXXVI, 21; Plut. Pomp. c. 27), quam ob rem accusatus apud populum excidisset magistratu, nisi ipso Pompeio deprecante dimissus esset. Ex qua imperatorum contentione coniecturae nostrae satis validum argumentum repetimus. Cum enim nullus alius proconsul cum Pompeio de apparando bello dissensisse narretur, ne Pisonem quidem ut dissentiret facturum fuisse existimo, nisi, quod Italiae quasi supplendae causa acceperat Galliam, eam ob rem se exemptam a Pompeii dilectu suam iam provinciam

habere arbitraretur. Accedit, quod in totidem annos accepit, in quot Pompeius imperium maritimum; tam diu enim eum Narbonensi Galliae praefuisse ex Cicerone p. Planc. 39 discimus, ubi a se consule Pisonem cum repetundarum (Sall. Catil. c. 49) argueretur, ait esse defensum; successisse autem ei constat C. Pomptinium. Anno 66 quae consularium provinciarum divisio fuerit, est obscurius. Sed hoc tamen certum est M.' Aemilium Lepidum mansisse Romae, siquidem ab Ascon. p. 60 Orell. et Valer. Max. VIII, 5, 4 in causa C. Cornelii maiestatis rei, quae insequenti anno acta est, testimonium dixisse narratur. Nullam igitur externam provinciam rexit, sed Italiae Galliaeque, postquam Pompeius confecto bello piratico adversus Mithridatem missus in Asiam abiit, solito more praefuit. Collega autem eius L. Volcatius Tullus videtur sane in provinciam esse profectus. Nam in causa illa Cornelii, quam modo diximus, Ascon. l. l. et Valer. Max. l. l. testes nominant principes civitatis reo infestos, in quibus, si Romae adesset, et esse et nominari oportebat L. Volcatium, quippe quem optimatium studiosissimum fuisse ex iis quae gessit intelligamus. Nam et in ipso consulatu consilium publicum habuit, num Catilinae in petendo consulatu ratio habenda esset (Ascon. p. 90), et Ciceronis consulatum probavit (Cic. Phil. II, 5, 12), et in civili bello moderatissimum se exhibuit. Sed quam tandem provinciam habuit? Ciliciam anno 65 tenebat Pompeius, Narbonensem Galliam C. Calpurnius Piso, superioris anni consul, Asiam Q. Voconius Naso, Macedoniam Q. Metellus Creticus, Sicilia, Sardinia, Africa nunquam hac aetate fuerunt consulares. Relinquitur igitur Hispania ulterior; nam in citeriorem cum is qui sortitus erat, adire vel noluisset vel nequisset, quaestor pro praetore missus est Cn. Calpurnius Piso (Sall. Cat. 19; Dio Cass. XXXVI, 27; Suet. Caes. 9). Rediit autem L. Volcatius in urbem circa annum 63; nam de sociorum Catilinae animadversione eum in senatu sententiam dixisse narrat Cicero ad Att. XII, 21. Deinceps anno 65 L. Manlium Torquatum cos. sortitum esse Macedoniam diximus in Comment. epigraph. Vol. II p. 192, alterum L. Aurelium Cottam in Italia mansisse neque externam provinciam accepisse

hinc discimus, quod insequenti anno cum M.' Acilio Glabrione censuram gessit. Qui denique anno 64 a. Chr. secuti sunt consules, ambo in urbe remanserunt. Nam et C. Marcius Figulus in senatu contra Catilinam dixisse narratur (Cic. ad Att. XII, 21; Phil. II, 5) et L. Iulius Caesar, idemque duumvir in C. Rabirii causa iudicavit. Hoc quam ob rem acciderit, certo dici nequit, sed alterum tamen eorum statuere debebimus Italiae cum Gallia Cisalpina praefuisse, alterum cum Hispania citerior ei obtigisset, urbem relinquere noluisse.

Atque horum quidem, quos adhuc perlustravimus, annorum tenuis sane supererat memoria, ut modo coniecturarum probabilitate utendum, modo aliorum temporum similitudo afferenda, modo denique ignoratio rerum auctorumque inopia confitenda esset. Eo plura iam de anno 63 a. Chr. traduntur, quo M. Cicero et C. Antonius consules fuerunt. Qui antequam anno 64 a. Chr. designati sunt, futuris consulibus ex lege Sempronia Macedonia et Italia decretae sunt (cf. Comment. epigraph. Vol. II p. 193), postquam magistratum inierunt, provincias sortiti sunt, in qua sortitione Ciceroni Macedonia, Antonio Gallia evenit. Sed ille quoniam collegam Catilinae eiusque sociis favere animadvertebat, concedenda Macedonia eum perpulit, ut senatum bonosque adiuvaret, tum Galliam Cisalpinam, quam cum Antonii provincia mutarat, quamvis a senatu iam pecunia exercituque instructam deposuit. Refert haec satis copiose Dio XXXVII, 33: Εἰλήχει γὰρ τῆς Μακεδονίας ἄρξαι οὔτε δὲ ἐς ἐκείνην (τῷ γὰρ συνάρχοντι αὐτῆς διὰ τὴν περὶ τὰς δίκας σπουδὴν ἐξέστη) οὔτε ἐς τὴν Γαλατίαν τὴν πλησίον, ἣν ἀντέλαβε, διὰ τὰ παρόντα ἐξήλασεν, ἀλλ' αὐτὸς μὲν τὴν πόλιν διὰ φυλακῆς ἐποιήσατο· ἐς δὲ τὴν Γαλατίαν τὸν Μέτελλον, ὅπως μὴ καὶ ὁ Κατιλίνας αὐτὴν σφετερίσηται, ἔπεμψε. Tres in his Ciceronis res distinguuntur, primum quod Macedoniam Gallia mutavit, deinde quod Galliam deposuit, tum quod Metellum Celerem Galliae praeficiendum curavit. Primum autem illud fecisse narratur διὰ τὴν περὶ τὰς δίκας σπουδήν i. e. quod iudicia, in quibus eloquentia praestabat, urbemque, in qua sola fiebant, relinquere nolebat. Quid igitur? Si Gallia Cisalpina provincia, quam mutatione ab Antonio acceperat, eiusdem generis

erat ac Macedonia, i. e. si ab suo praeside, qui in ipsa provincia versaretur, regi debebat, quid tandem Cicero Gallia accepta lucrabatur? Num minus oportebat relicta Roma relictisque quae in urbe exercebantur iudiciis peregre abesse? Haberet abstinentiae et demerendi Antonii causam, cum Macedoniam cederet, haberet etiam securiorem ac paci aptiorem provinciam, sed illud certe sequi non poterat quod Dio dicit, quod iudiciis vacare vellet. Apparet igitur ex alio provinciarum genere fuisse Macedoniam, ex alio Galliam Cisalpinam, item intelligitur hanc ab eo, qui Romae versaretur ac iudiciis occuparetur, potuisse regi. Cum autem supra documentis certissimis hanc ipsam Galliae citerioris rationem ante Sullae aetatem fuisse ostenderimus, ut coniunctim cum Italia regeretur quique huic praeesset, idem illam administraret Romaeque versaretur, nonne manifestum est eandem eius naturam fuisse Cicerone consule? Neque alia similia documenta, quae idem ostendant, desunt. Proxime enim Dio l. l. hoc a Cicerone factum esse narrat, ut ipsam illam Galliam citeriorem, quam ab Antonio acceperat, deponeret. Pertinent ad eam rem quae Cicero in Pis. c. 2 habet: *Ego provinciam Galliam, senatus auctoritate exercitu et pecunia instructam et ornatam, quam cum Antonio communicavi, quod ita existimabam tempora reipublicae ferre, in contione deposui reclamante populo Romano.* Hunc locum, qui in omnibus codicibus ita ut scripsimus legitur, non existimamus recte ab Garatonio esse explicatum, nec probamus nunc, quod in comment. epigraph. Vol. II p. 194 Galliae Cisalpinae ratione nondum satis perspecta veram videri eius interpretationem significavimus. Etenim Garatonius hoc dicere Ciceronem putabat, Galliam, quae ad Antonium iure ac sorte spectabat, in illius gratiam ultro se suscepisse idque privata pactione, qua non fieret, ut ea minus Antonii esset, sed ut eam Cicero pro Antonio haberet ac regeret. In quibus primum privatam illam quam ait pactionem non intelligo. Solebant enim omnino provinciae consulibus futuris sic decerni, ut aut sortiri aut comparare eas inter se iuberentur, comparatio autem illa, quam apparet non modo ante sortitionem, sed nonnunquam etiam post eam fieri potuisse, quo pacto publice suscipi potuerit

non intelligo: semper ea in privata quasi pactione erat posita neque unquam sequebatur, ut una provincia duorum imperatorum esset communis. Deinde vereor, ut quod Garatonius in verbo communicandi inesse vult, significari eo possit. Etenim communicare nihil, opinor, aliud est, quam commune aliquid cum aliquo facere, quare Cicero cum se Galliam cum Antonio communicasse dicit, hoc ait, se in Gallia, quam propriam sibi provinciam habuerit, Antonio quoque secum imperium concessisse. Quae cum ita sint, probanda utique est Ferratii interpretatio, qui quod Cicero passus sit adversus Catilinam cum exercitu C. Antonium mitti extra ordinem (nam C. Antonius illum ad Pistoiam devicit), ideo recte Galliam cum Antonio communicatam dici ait. At nemo alius hoc tradit. Nimirum nec omnia ab omnibus narrari opus est et Cicero per se ipse satis idoneus auctor est et res ipsa certissima est; nam cum Antonius cum Catilina pugnarit, in ea parte Italiae imperium a senatu mandatum habuerit necesse est. Quae autem contra hanc rationem Garatonius disputat, partim ad imperium Metelli, de quo paulo post dicemus, quod ille Galliae Cisalpinae ratione non perspecta quale fuisset intelligere non potuit, partim ad tempora pertinent. Nam quia Antonium Roma profectum esse constat demum postquam Catilina urbe emissus est, Cicero autem antequam Catilinam eiecit, provinciam et deposuit et Q. Metello praetori decernendam curavit, Garatonius sic existimat, non inter Ciceronem et inter Antonium, sed inter Metellum et Antonium debuisse dici communicatam esse Galliam. At aliud est imperium provinciae accipere, aliud Roma proficisci, nec si Antonius demum post a. d. VI Id. Nov., qua nocte Catilina urbe excessit, in bellum abiit, efficitur, ut non ante iam imperium et decretum a senatu habuerit et vere exercuerit. Idque cum in aliis provinciis ita esse poterat, tum in Gallia Cisalpina, cuius praesides consuevisse didicimus Romae versari atque inde universam Italiam communiter administrare. Duas igitur iam tenemus res certissimas, primum commutasse Ciceronem Macedoniam Gallia, deinde, cum Galliam teneret, eum in hac ipsa extra ordinem C. Antonio commune secum imperium decernendum curasse. Sed quid? Num tandem

Antonius bellum gessit in Gallia, num Catilina in eam invaserat? Minime vero. Sed Catilina quidem circa Faesulas haerebat, *modo ad urbem, modo in Galliam versus castra movebat* (Sall. Cat. 56), tandem in agro Pistoriensi consedit, in quo extrema pugna accidit. Nunquam igitur nec Catilina eam quae Gallia Cisalpina putatur esse, attigit nec Antonius, ut appareat, C. Antonium, cui Galliam communiter cum Cicerone decretam esse docuimus, in Italia tamen ipsa habuisse imperium rationemque eius regionis, qualem ante L. Sullae aetatem fuisse ostendimus, non esse mutatam post eum. Veruntamen ne quis hoc quod de Galliae Italiaeque finibus prorsus confusis disputavimus, in eo tantum, qui ipsum consulatum gereret, accidere potuisse opinetur, accedit tertia res, quam supra ex Dionis verbis effecimus. Etenim deposuit Cicero quam cum Antonio communicarat provinciam (Plut. Cic. 12; Cic. Phil. XI, 10), eamque Metello praetori decernendam curavit. Idem saepe antea alii fecerant, illud unum minus fuerit usitatum, quod ipse ubi de ea re gloriatur, solet addere, quod instructam ornatamque deposuit. Quamquam tale etiam exemplum in L. Licinio Lucullo, qui Sardiniam repudiavit, reperio (Dio XXXVI, 40). Causa autem qua movebatur cum illa erat, quae ab Dione affertur, quae in ipsius urbis securitate posita erat, tum aliae quaedam interiores, quas praeclare significat in epistola ad Q. Metellum, cui imperium suum cessit, scripta (epist. IV, 2): *Ego si hoc dicam me tua causa praetermisisse provinciam, tibi ipse levior videar esse; meae enim rationes ita tulerunt atque eius mei consilii maiorem in dies singulos fructum voluptatemque capio. Illud dico me, ut primum in contione provinciam deposuerim, statim quemadmodum eam tibi traderem cogitare coepisse. Nihil dico de sortitione vestra; tantum te suspicari volo, nihil in ea re per collegam meum me insciente esse factum.* Intelligimus igitur ex certissimo testimonio verum esse quod Dio significat Metellum non in agrum modo Picenum, sed in ipsam provinciam Galliam Cisalpinam missum esse proconsulari imperio eodemque exercitu, qui Ciceroni decretus erat, instructum. Sed in bello tamen Catilinario Metellus ipsam Galliam non magis attigit quam Antonius; obsidebat enim viam, qua ex Italia in

Galliam ibatur (Sall. Cat. c. 58), ut rursus eum, qui Galliam provinciam accepisset, in Italia rem gessisse videamus. At, inquiat aliquis, factum hoc sit in bello Catilinario, ut iis qui Galliam obtinerent, senatus fines provinciae suae excedere vicinamque Galliam tueri permitteret, sed ut semper Gallia cum Italia coniuncta esse consuerit non sequitur. Neque id vellem sequi, nisi et aliis argumentis et temporum quae ante L. Sullam fuerunt similitudine moverer. Quamquam faciamus Galliae fines fuisse eos, quos vulgo putant, nonne ad duos imperatores, quibus Galliam commissam esse diximus, imprimis adiungendus erat tertius, qui proprie Italiam seditione ac multiplici tumultu perturbatam tueretur? At neminem constat imperio esse ornatum praeter C. Antonium et Q. Metellum.

Atque haec quidem de eo anno dicenda erant, cuius copiosior ac certior memoria extat. Superest autem, antequam Galliam Cisalpinam eam quam proprie appellamus provinciam factam esse sumus demonstraturi, triennium, cuius primo anno consules fuerunt D. Iunius Silanus et L. Licinius Murena. Eorum hic iam ex praetura anno 65 gesta Galliam Narbonensem habuerat (Cic. p. Mur. 20 et 41), quam etiam anno 63 cum consulatum petebat, per Gaium fratrem obtinuit (Cic. p. Mur. 41; Sall. Cat. 42), sed post consulatum ita non commemoratur, ut eum existimare debeamus, cum deponendae provinciae nullam causam haberet, eam, quae minima negotia exhiberet, i. e. Italiam Galliamque obtinuisse. Accedit, quod collega eius D. Silanus et provinciae et triumphi cupiditate ardebat excusabatque facile eam cupiditatem, quod ex praetura, quam item anno 65 videtur gessisse, nullam maiorem provinciam rexerat. Itaque a Cicerone in Pis. c. 26 inter eos nominatur, qui triumphandi cupiditate incensi provinciam flagitarint, quam certe non minus assecutus est quam reliqui quos Cicero affert. Sed quam tandem habuit? Pighius quidem Annal. III p. 341 cum huius anni consulibus Illyricum et Bithyniam decretam atque earum alterutram Silano obtigisse censuisset, recte emendatur a Borghesio in Annal. inst. archaeol. anni 1849 p. 66; nam Bithyniam tunc paruisse ait illi C. Papirio Carboni, cuius causam Dio XXXVI, 23 narrat, quem

ex nummis ei provinciae per biennium praefuisse discimus (Eckhel. Doctr. numm. II p. 369), quare de Illyrico solo credendum esse putabat. Quod nos, qui usque ad imperatorem Augustum nullam propriam provinciam Illyricum fuisse intellexerimus (Comment. epigraph. II p. 221), non accipiemus. Sed quam provinciam habebat Silanus? Nam Siciliae anno 61 praefuisse scimus C. Vergilium, Hispaniam ulteriorem tenebat C. Iulius Caesar, Africam Q. Pompeius Rufus, Macedoniam C. Antonius, Asiam Q. Cicero, Galliam Narbonensem C. Pomptinius; eas autem provincias, quas per Orientem modo Cn. Pompeius pacarat legibusque novis constituerat, non probabilius est tunc denuo consulari viro atque exercitui esse traditas quam Sardiniam aut Cyrenas, quas qui rexerint nescimus. Ita una relinquitur Hispania citerior, quae et saepe consularis esse solebat et facilem triumphi materiem praebebat. Atque eius rei adeo quaedam, quamvis obscura, superest memoria. Quid enim significant quae Sexti Rufi breviarium c. 5 habet: *Rebellantes Lusitanos in Hispania per Decimum Brutum obtinuimus et usque Gades ad Oceanum mare pervenimus* (unde Brutus ille anno 136 a. Chr. triumphavit). *Postea ad Hispanos tumultuantes Decimus Iunius Silanus cum exercitu missus eos vicit?* Quem locum cur ad hunc consulem referre noluerit Borghesius, non intelligo, qui cum alio referret, novum aliquem D. Iunium Silanum incertae et aetatis et originis excogitare coactus est, cuius nulla alia extat memoria. Successerunt anno 61 M. Pupius Piso Calpurnianus et M. Valerius Messala Niger consules. De quorum provinciis cum nihil tradatur, nec Pighium Annal. III p. 349 recte iis Illyricum et Bithyniam assignasse video, de quibus modo diximus, nec utrumque aut nullam omnino externam provinciam aut duas externas accepisse iudico, sed, quod superioribus annis moris fuerat, ut unus Italiam haberet, alter externam provinciam, idem hoc anno factum esse existimo. In Italia autem mansisse censeo M. Valerium, quippe quem anno 53 sciamus cum P. Servilio Isaurico censura functum esse, qui honos saepius iis, qui civili laude contenti bellicosis provinciis abstinuissent, dari solebat. De collega autem eius Cic. ad Att. I, 16, 8 sic scribit: *Pisonem consulem nulla in*

re consistere unquam sum passus: desponsam homini iam Syriam ademi. Quid hoc est desponsam ei fuisse Syriam? Lege Sempronia consulibus antequam designarentur, provinciae decernebantur, quare quod Cicero Pisoni ademit, ademit anno 61, postquam Piso iam aliam provinciam anno 62 decretam tenebat. Nam si ademisset Syriam antequam Piso designatus est, non ipsi, sed omnino consulibus futuris eripuisset. Iam Syria anno 62 medio, quo tempore consulibus provinciae decernendae erant, quia tummaxime a Pompeio componebatur, nondum omnino in deliberationem venire potuit. Sed anno 61 cum Pompeius Cal.-Oct. triumphum egerit ac sine dubio aliquanto ante relicta provincia in Italiam advenerit, poterat rectissime deliberari, an in Syriam rector esset mittendus. Tum Piso agere coepit, ut sibi pro ea, quam habebat, provincia Syria traderetur, cuius cupiditatem Cicero gratificans, opinor, Cn. Pompeio, qui non ita videri vellet Syriam pacasse, ut denuo consulari exercitu opus esset (ac scimus Pompeio praetorem successisse) elusit dicendo, antequam Pompeius redisset institutaque sua senatui probasset, non oportere de Syria statui. Ita depulsus Piso in ea quam initio acceperat provincia permansit. Sed quae tandem ea erat? Cilicia, opinor, quae una tunc ex maioribus vacabat. Nam Hispaniam iam antea Piso ex praetura habuerat atque inde triumpharat: ulteriorem C. Caesar usque ad medium annum 60, cum non expectato successore rediit, tenebat, citeriorem anno 59 P. Cornelio Spintheri obvenisse scimus. Mansisse autem Pisonem censeo in Cilicia certe usque ad annum 58; nam anno 59 quos contemptim commemorat Cicero ad Q. fr. I, 2, 2, 7 Ciliciae et Syriae rectores, ex iis hunc fuisse scimus L. Marcium Philippum, ille quis esse possit praeter hunc Pisonem, cum quo Cicero non leves inimicitias inierat, non reperio. Restat ultimus annus antequam Gallia Cisalpina in suae provinciae formam redacta est, quo L. Afranius et Q. Caecilius Metellus Celer consulatum gesserunt, qui normam a nobis propositam prorsus confirmant. Quibus quae provinciae antequam designarentur, ex lege Sempronia decretae sint nescitur, sed postquam magistratum inierunt cum bellum a Gallis excitari videretur, senatus consules duas Gallias sor-

tiri iussit (Cic. ad Att. I, 19), quas proxime ita sortiti sunt, ut Metello Narbonensis provincia, Afranio Cisalpina cum Italia eveniret. Hoc enim aperte indicat Cicero ad Att. I, 20 sic scribens: *Metellus tuus est egregius consul. Unum reprehendo, quod otium nuntiari e Gallia non magno opere gaudet. Cupit, credo, triumphare*, unde videmus medio quod inter 19 et 20 epistolam intercessit tempore sortitionem illam esse factam. Atque etiam alia de Metelli provincia mentio superest. Etenim Plinius nat. hist. II, 67, 170 sic tradit: *Idem Nepos de septentrionali circuitu tradit Q. Metello Celeri, L. Afranii in consulatu collegae, sed tum Galliae proconsuli Indos a rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii causa navigantes tempestatibus essent in Germaniam abrepti.* Cf. Pompon. Mel. III, 5, iisdem prope verbis eandem rem narrans. Quibus locis Galliam non esse Cisalpinam, sed necessario Transalpinam Suevorum regis mentio ostendit, qui quicquid Romanis misit, sine dubio proximae provinciae proconsuli misit. At enim negant hoc cum alii tum Drumannus hist. Rom. Vol. II p. 28 dicique putat Galliam Cisalpinam atque illam provinciam, quam Q. Metellus ex praetura habuit, cum M. Cicero ei Italiam, quam ipse deposuerat, decernendam curavit. Cuius opinionis hanc praecipue causam affert, quod Dio XXXVII, 50 eum ex consulatu provinciam habuisse neget. Verum ille hoc quidem non negat; sed narrat, cum Q. Metellus consul L. Flavio tribuno plebis legem agrariam de Pompeianorum militum commodis ferenti (cf. Comment. epigraph. Vol. I p. 274) resisteret, hunc minatum esse, se non passurum esse Metellum in provinciam sorte acceptam proficisci, quo facto consulem non invitum in urbe remansisse (οὔκουν οὐδ' αὖθις ἀπειλήσαντι τῷ Φλαούΐῳ μηδὲ ἐς τὸ ἔθνος, ὃ ἐπεκεκλήρωτο, ἐπιτρέψειν αὐτῷ, εἰ μὴ συγχωρήσαιέν οἱ διανομοθετῆσαι, ἐξελθεῖν, ὑπεῖξεν, ἀλλὰ καὶ πάνυ ἄσμενος ἐν τῇ πόλει κατέμεινεν). Hinc videmus sane Metellum in urbe mansisse, sed eum Galliae non praefuisse non debemus colligere. Nam tribunus plebis poterat ille quidem impedire, ne exiret in provinciam, sed ne eam quam sorte acceperat provinciam, non haberet, certe prohibere non poterat. Immo duas res ex Dionis loco discemus, primum potuisse

obtinere provinciam etiam eum, qui Romae versaretur (quamquam insolitum id erat eamque ob rem ab Dione narratur), deinde in ipso iam consulatu, non modo post exactum in urbe magistratus annum, Metellum provinciam obtinuisse. Etenim quod L. Flavius minabatur, facere potuit quamdiu tribunus plebis erat, sed cum extremo anno 60 tribunatu decessisset, sine dubio Metello in provinciam, quam nunquam deposuerat, exire licebat. Quamquam ne insequenti quidem anno Romam, ut in provinciam proficisceretur, reliquit. Nam ipso hoc anno, quo Narbonensis Galliae pro consule erat, mortuus est (siquidem P. Vatinium, dum tribunus plebis est, id egisse ut in eius locum augur fieret, narrat Cicero p. Sest. 8; cf. ad Att. II, 9) ac mortuus est subito die tertio postquam publice in urbe prodiit (Cic. pro Cael. c. 24). Quare per totam provinciae administrationem Galliam Narbonensem nunquam visit (cf. Dio XXXVIII, 7), nec tamen minus ei praefuit nec hoc cogitari non potest, cum nomine tenus ac iure praeesset, quae dona Suevorum rex miserat, ad eum pervenisse. Cum igitur Q. Metellus unam ex iis, quas Cic. ad Att. I, 19 consulibus decretas esse ait, provinciam vere rexerit, dubitari nequit, quin collega eius Galliam Cisalpinam habuerit, praesertim cum eum totum magistratus annum in urbe transegisse constet (Cic. ad Att. I, 20 et II, 3). Triumphum quidem, quem Cicero in Pis. c. 20 commemorat, ex praetura potius quam ex consulatu videtur egisse.

Persecuti sumus historiam provinciae Galliae usque ad C. Iulii Caesaris consulatum, quo toto tempore cum nullum vestigium invenerimus, quod ullam eam peculiarem provinciam fuisse ostendat, semper eam intelleximus cum Italia fuisse coniunctam atque alteri consulum evenire consuevisse. Nam quandocunque vel externis provinciis uterque consul praefuit, velut dictatoris Sullae tempore, vel nullam omnino alter habuit provinciam, id quod Ciceroni accidit, vel uterque denique Italiam, certa quaedam causa suberat. Haec ratio mutata est C. Iulio Caesare M. Calpurnio Bibulo consulibus. Qui cum peterent consulatum vulgoque putarentur factum iri, senatus, ut potentiae Caesaris obviam iret, ex lege Sempronia futuris

consulibus provincias *minimi negotii, id est silvas callesque* decrevit. Sic legitur apud Suetonium Caes. c. 19, cuius verba nondum quemquam vidi interpretum, qui recte vel ita, ut sibi nedum aliis satisfaceret, explicarit, quorum emendationes et coniecturas omittere praestat. Nec Lipsius ad Tac. Annal. IV, 27 aut Ernestius, qui illum supplevit, vulgatam lectionem tuentes magnaque cum eruditione disputantes quicquam repererunt, quo unquam easdem aliorum consulum provincias fuisse demonstrarent. Nos quidem, qui per plus quam centum annos consulum provincias diligenter persecuti simus, intelleximus, opinor, nunquam eas fuisse tantulas, ut silvis callibusque, quantaecunque essent silvae, continerentur; nam calles quidem nec apud Suetonium nec apud Tacitum ferri aut quomodo consulis provinciam efficere potuerint, perspici potest. Quare cum emendatione utique utendum sit, pro eo quod nunc legitur *id est silvae callesque decernerentur*, scribendum esse censemus *id est Italia Galliaque decerneretur*. Neque de litterarum similitudine ac confusione dicendum esse arbitramur, quae tam parva est, ut quomodo corruptio illa librariorum inscitia nasci potuerit, facillime appareat. Sed duas has res docebimus, primum minimi illas provincias fuisse negotii iniuriamque factam esse Caesari, qua commotus rempublicam perturbare coepit, tum quid senatus optimatesque secuti sint, ut, dum Caesaris potentiam angustissimis finibus coërcent, iustitiae tamen speciem servare viderentur. Decrevit igitur senatus consulibus Italiam Galliamque i. e. ut ambo Italiam cum Gallia Cisalpina coniunctam haberent eamque provinciam, prout aut sorti aut ipsis placuisset, partirentur. Easdem olim provincias anno 72 habuerant L. Gellius et Cn. Lentulus, cum tota Italia bello fugitivorum perturbata magnis ad tuendam urbem exercitibus opus esse videbatur, sed quod tunc in vicino et maxime timendo bello acciderat, dubito vehementer num alio ullo post Sullam anno factum sit. Constantem enim vel morem vel legem hanc fuisse ostendimus, ut alteri consulum universa Italia cum Gallia Cisalpina decerneretur. Ipso bello Catilinario, quod proxime antecesserat, quamvis hostis in ipsa Italia esset ac multiplex seditio, unus tamen praetor sufficere visus est nec C. Antonio,

qui eum adiuvabat, non externa maxima provincia adiecta est. Quid igitur minoris negotii cogitari potest, quam ea provincia, quae uni consuli dari consuerat, inter duos divisa? Nec vero locis modo ac spatio consulum provinciae circumscriptae erant, verum etiam tempore. Nam quoniam quotannis alteri consulum Italia decerni solebat, fiebat necessario, ut annua tantum esset haec provincia, vel si prorogato imperio in proximum annum pertineret, nec multum extenderetur et cum alio divideretur; at externae provinciae pluribus tunc annis ac fere triennio obtinebantur. Apparet igitur, quantam sibi iniuriam factam esse putarit C. Caesar, qui cum rediens ex Hispania, ut consulatum adipisceretur, triumphum contempsisset, tanto maiorem victoriarum copiam ex consulari provincia sperabat. Veruntamen optimates cum Caesari externam provinciam dare nollent, quo praetextu utebantur? quid sui purgandi causa dictitabant? Neque enim tam nulla prudentia erant, ut Caesaris causa tantulas consulibus provincias decerni faterentur aut non ex more vetere egisse videri cuperent. Nimirum superiore anno magnum in civitate metum belli Gallici fuisse diximus, quae causa fuerat, ut Q. Metello et L. Afranio consulibus duae Galliae decernerentur, qui metus etsi interim refrixerat, dubium tamen erat an esset rediturus. Ab hoc igitur metu quia liberandam esse dicebant urbem Italiamque, ideo a more discedendum esse putabant, ut ambobus consulibus Italiam decernerent: facturos se fuisse, ut duas Gallias, i. e. uni Narbonensem Galliam, alteri Italiam cum Gallia Cisalpina mandarent, sed illam provinciam teneri a Q. Metello necdum posse adimi. Securitati igitur Italiae duobus consularibus exercitibus duobusque imperatoribus esse consulendum. Afferebant fortasse etiam belli Cimbrici tempora, cum item saepius ambobus consulibus Italia decreta est. Haec igitur illi non sine honesta quadam specie dictitabant, sed Caesar ipse, cum civitatem illo metu teneri intelligeret, quam tandem provinciam concupisceret, quae cupiditati suae sufficeret? Placuisset ei certe Narbonensis Gallia et magna et barbaris vicina, quae cum dari non posset, proxima consularis provincia erat alterutra Hispaniarum; sed ulteriorem ipse non multo ante habuerat, citerior modo P. Cornelio Len-

tulo Spintheri ex praetura evenerat. In Syria imperium Romanum victoriis Cn. Pompeii satis videbatur esse constitutum, qui ipse ne ea iterum triumphorum copiam exhibere posse videretur obstare debebat. Quare supererat Macedonia, praecipua consularis provincia atque amplissimus victoriarum campus, quam tunc C. Octavius alterum annum recturus erat. Eam iure Caesar postulare poterat eaque impetrata quiesset, cum non impetrasset, miscere omnia coepit.

Haec quae ab optimatibus contra Caesarem eiusque cupiditatem instituta sunt, etsi populi studio non multo post mutata sunt, utile tamen esse videbatur paulo uberius exponere, non modo quod ad rationem provinciae Galliae cognoscendae maxime pertinent, verum etiam ut Caesaris res illustrarem. Qui quid concupisset, quid postremo adeptus esset, nemo poterat esse inter viros doctos qui nesciret; haec enim tam aperte veteres scriptores narrant, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Sed si quaeras quomodo adeptus sit, quomodo optimates eius cupiditatem diu eluserint, quomodo amici eius causam susceperint, quoniam veteres in ipsa republica Romana viventes praetermissis interioribus quasi rationibus, quae sibi aequalibusque suis facile paterent, capita tamquam tangunt quaeque facta sunt sola commemorant, ea narrari videas a viris doctis, quae non dicam in Romana, verum in nulla unquam republica legibus ac iure temperata accidere potuerunt. Insanos illi fere faciunt fuisse inimicos Caesaris, qui sine ulla honestatis specie virum summis honoribus praeditum contumeliis maximis affecerint, stultos amicos eius, qui violatis moribus ac legibus ea populo Romano proponere ausi sint, quae eversa civitate uni homini prodessent, ipsum audacem, temerarium, latronem potius quam et prudentem et, quid in republica fieri posset, longo usu edoctum, omnia denique ita permista, convulsa, eversa, ut non rempublicam illam, sed praedonum aliquod concilium fuisse credas, a quo orbem terrarum non armis modo expugnatum, sed legibus etiam comprehensum esse iure mirere. Cuius erroris causa mihi in eo maxime videtur esse posita, quod harum rerum nullus extat scriptor satis copiosus, qui cum magis posteris externisque quam aequalibus ac populari-

bus scribat, causas ac rationes rerum gestarum ita persequatur, ut etiam ab alienioribus possint intelligi. Nunc Cicero fere superest (nam Graecos non numero), qui vel aliud agens ac breviter quid gestum sit significat, vel oratorie causae suae inservit et non quod verum sed quod utile est sequitur: cui dum credunt omnia viri docti, in opiniones parum probabiles inciderunt. Veruntamen, ut ad institutum nostrum revertamur, decreta erat a senatu consulibus Gallia Italiaque: hoc mutari non poterat, non modo propter auctoritatem senatus, quam contemni non licebat, verum etiam propter reliquorum magistratuum rationes, quibus item provinciae assignatae erant, qui etiam apud populum legi, qua uni Caesari cum suo damno consuleretur, restitissent. Sequebatur, ut sortirentur consules provincias, in qua sortitione (neque enim quicquam est quod eam non factam esse putemus, cum tanto post lex de Caesaris provinciis lata sit) Caesari Galliam Cisalpinam vicinamque ei regionem, M. Bibulo inferiorem Italiam evenisse existimo, non quod ita ab scriptoribus tradi videam, quorum nemo sortitionem utpote nec necessariam et paulo post obliteratam commemorat, sed quod et Bibulus ea quam acceperat Italiae parte contentus nullam aliam provinciam rexit (cf. Comment. epigraph. Vol. II p. 206) et Caesar Galliae Cisalpinae praetextu ad maiorem potentiam assequendam usus est. Hic enim, cui provincia et exercitu parva et locis angusta et tempore brevis parum placeret, primum Cn. Pompeii gratiam acta eius confirmando demeruit, deinde populi favorem amplissima largitione agraria, tum equitum insignem benevolentiam sibi conciliavit, denique per tribunos plebis agere coepit, ut talis qualem cupiebat provincia sibi mandaretur. Nam hic rerum ordo et ab scriptoribus traditur et per se ipse probabilis est. Inventus autem est P. Vatinius, qui legem apud populum perferret. De qua lege diximus compluribus locis commentationum epigraphicarum, primum Vol. I p. 308, ubi de colonia Novocomensi disputavimus (perperam enim a quibusdam fieri iudico, quod eam peculiarem aliquam rogationem a provinciali seiunctam esse putant), tum Vol. II p. 220, ubi tria eius capita explicavimus, ut Illyricum, quod ad id tempus cum Macedonia con-

iunctum fuerat, ad Galliam Cisalpinam adiiceretur, ut ea sic aucta provincia Caesari in quinquennium traderetur, ut is quot vellet legatos sibi ipse deligeret, denique Vol. II p. 240, ubi eadem lege Cretam insulam a Macedonia seiunctam esse videri exposuimus. Haec quae olim a nobis constituta sunt, nequaquam hercle nunc mutabimus (verissima enim esse omnia ex multis rebus intelleximus), sed illud adiiciemus, eadem lege Vatinia Galliam Cisalpinam, quae antea cum Italia coniuncta fuerat, in ius formamque peculiaris provinciae esse mutatam. Nimirum proficiscebatur Vatinius, cum legem commendaret ac necessariam esse diceret, ab eadem re, quae non multo ante senatum moverat, ut ambos consules in Italia retinendos esse putaret, a metu belli Gallici, quod postquam diu extractum erat, tunc, quia barbari ad fines imperii accedebant, non amplius videbatur posse evitari. In quo primum opus erat imperatore uno et certo, ne quod saepe factum erat, vicissitudine aut divisione imperii clades acciperetur. Iam sic quotannis consuevisse fieri docuimus, ut alter certe consulum Italiam Galliamque sortiretur; quare cum annua ea esset provincia, et Caesar metuebat ne exacto magistratu inermis inimicis obiiceretur, et Vatinius periculum esse dicebat, ne vel mutaretur imperator vel, si prorogato imperio relinqueretur, divisam cum consule, cui Italia obtigisset, potestatem teneret. Neque enim probabile erat, repetituram esse civitatem illud, quod olim in C. Mario usurpavit, cui cum imperium conservari cuperent, per sexennium consulatum continuaverunt, quod si ne tum quidem in maxima optimatium depressione ac debilitate nisi cum magno ambitu turpique largitione factum erat, quanto minus vel Caesari vel alii alicui, quamvis bonum sese imperatorem praestitisset, tot nobilibus quotannis consulatum cupide expectantibus evenire potuit? Quo praetextu callide ille quidem, sed cum magna tamen honestatis utilitatisque specie ita Vatinius utebatur, ut Caesari diuturnam potentiam compararet primusque hunc morem introduxit, ut ei imperium in quinquennium deferretur. Huc enim pertinent, quae Cicero in Vat. c. 15 de ipsa hac lege Vatinia habet: *Eripueras senatui provinciae decernendae potestatem, imperatoris deligendi iudicium,*

aerarii dispensationem: quae nunquam sibi populus Romanus appetivit, qui nunquam haec a summi consilii gubernatione auferre ausus est. Age, factum est horum aliquid in aliis: raro, sed tamen factum est, ut populus deligeret imperatorem. Etenim decrerat sane senatus provincias futuris consulibus, quemadmodum vetus lex Sempronia iubebat, eaque re etiam imperatorem, si quo opus erat, delegerat, nec lex Vatinia ab populo sancita provincias a senatu decretas aut mutarat aut mutare potuerat: sed, quod eadem quinquennium definiebat, intra quod successorem Caesari mittere non liceret, et provinciae per totum hoc tempus decernendae et imperatoris, si quod prope Galliam Cisalpinam bellum oreretur, deligendi potestatem senatui ademerat. Hoc autem negat Cicero unquam ante factum esse a populo. Qui etsi sumpserat sibi aliquando, ut bellum grave ac difficile certo alicui imperatori mandaret, tamen praeter aerarii dispensationem, de qua hoc loco non dicimus, hoc nunquam fecerat, ut ei quem elegisset certum imperii spatium praefiniret. Hoc igitur novum tunc erat et aliquot similium rogationum, quae mox secutae sunt, exemplum, quod, ut Caesari propter potentiae cupiditatem exoptatum fuerat, ita ab Vatinio necessitate belli Gallici excusabatur. Nec vero illa imperii diuturnitas effici poterat, si Gallia Cisalpina cum Italia coniuncta maneret; nam ita non unius M. Bibuli imperium, cui quod senatus decreverat, placere debuit, sed quinquennii insequentis consulum potestas circumscripta esset. Quare tunc Gallia Cisalpina ab Italia separata atque in suae provinciae, quae peculiari praesidi pareret, formam redacta est; nam et Cicero de prov. cons. c. 2 duas commemorat Gallias, quae consulibus dividi possint, et optimates cum anno 49 succedendum esse Caesari statuissent, Galliam Cisalpinam separatim uni mandarunt, et Caesare interfecto rursus separatim acceperunt D. Brutus et M. Antonius. Vere igitur a P. Vatinio constituta est Gallia Cisalpina provincia, constitutus Rubicon, terminus eius, multaque sine dubio alia sancita, quae cum proprio praesidi pareret, opus erant. Veruntamen, quoniam non solum tempore, verum etiam potentia Caesar hoc quod accepisset imperium augeri cupiebat, P. Vatinius occasione Macedoniae usus est, quae cum non multo

ante Cretae adiectione multorumque barbarorum populorum accessione ad tantam magnitudinem crevisset, ut non facile ab uno amplius regi posse videretur, tulit, ut Illyricum Macedoniae ademptum ad Galliam Cisalpinam adderetur, qua re et magnas vires novae provinciae adiecit et eos vicinos exhibuit, quibus domandis Caesar, si nihil a Gallis moveretur, triumphum ac gloriam sibi compararet.

Quamquam non minor mutatio quam in Gallia Cisalpina, suscipienda erat in ipsa Italia. Adempta enim huic erat ea pars, quae una maxime curam imperatoris postularet, relicta ea, quae ab omnium hostium impetu tuta et pacatissima et ex longo tempore constituta nulla arma, nullum exercitum aut imperatorem desideraret. Sequitur, ut ea non amplius potuerit esse consularis provincia. Neque unquam postea invenio alterum ex consulibus ita in Italia mansisse, ut non aliam deinde externam provinciam sortiretur, i. e. nulli iam, ut superiore aetate, Italiam provinciam evenisse. Sed si hoc ita est (atque esse ita infra demonstrabimus), quomodo iam Italia regebatur, quis summam in ea habebat potestatem? Tria maxime cogitari possunt, aut eos, qui quotannis consules essent, in magistratu suo sine exercitu Italiam rexisse, aut praetoriam eam fuisse provinciam, quam ex praetoribus aliquis exacto magistratu sortiretur, aut denique praetorem aliquem in ipso magistratu Italiae curam habuisse. Non possumus nos quidem propriam hoc loco disputationem de Italia instituere (nam Galliae provinciae historia nobis proposita est), sed tamen hoc videmus, post exactum magistratum, cum exercitus ac novum imperium dabatur, nec consulibus nec praetoribus tradi potuisse Italiam, inermem prorsus atque omnis belli expertem provinciam: si autem praetorum et consulum optio detur, longe praeferendos esse hos, qui cum senatui praesiderent, aptissimi videntur fuisse ad eam regionem gubernandam, quae provinciali iure liberata in senatus quasi ipsius potestate relinquebatur. Censemus igitur consules, dum magistratu funguntur, eosdem rexisse Italiam, quare ab hoc tempore non amplius in ipso consulatus anno, sed eo demum exacto in provincias exire coeperunt. Etenim quod nunc fere viri docti, cum superiore

tempore consules in consulatu ipso, Ciceronis aetate exacto magistratu in provincias profectos esse constet, annum 74 a. Chr., quo M. Lucullus et M. Cotta consules fuerunt, pro termino quodam fuisse statuunt, ex quo consulatus ratio mutata sit, certe falsum est, nec quomodo aut quare factum sit, explicari potest. Nam, ut unum exemplum afferam, Q. Metellum Celerem, cos. anni 60, supra certissimis testimoniis docuimus in ipso consulatus anno in provinciam sibi decretam exire cum vellet, prohibitum esse a tribuno plebis. Sed post hanc legem Vatiniam nemo consulum ante exactum magistratum provinciam externam adiit. Quare recte prorsus Cicero de nat. deor. II, 3, 9 bella ait ab ducibus geri incipi, cum auspicia posuerint, et Dio Cass. XLV, 20 M. Antonio exprobrari facit, quod consulatus sui tempore urbem reliquerit, qua in re ille non negligentiam modo magnam publicae salutis ostendit, verum etiam leges violavit. Nec quod M. Crassus anno 55 consulatus sui mense extremo in provinciam abiit (Cic. ad Att. IV, 13), sententiam nostram refellit; nam et vituperabatur ille propterea et in Italia certe magistratum suum exegisse videtur et longissimum denique in provinciam iter habebat; anno vero 43 si Pansa et Hirtius in ipso consulatu in provincias properarunt, et in ipsa Italia ac prope urbem bellum erat et exercitum habebant consules et denique facile senatus consultis excusabantur.

Sed hoc quidem indicare magis quam explicare hoc loco statuimus; illud autem quaeritur, quod quinquennium lege Vatinia Caesari datum est, quale fuerit atque unde coeperit. Certam ea de re significationem habet Cicero de prov. cons. c. 15, quo loco dicit, a quibusdam viris clarissimis sententias dictas esse, ut ex lege Sempronia consulibus in annum 55 designandis aut ulterior Gallia cum Syria aut citerior item cum Syria decerneretur. Has qui decernat, de eo haec habet: *Alter belli Gallici rationem habet* (i. e. relinquit Caesari Narbonensem Galliam, ex qua sola bellum cum barbaris geri poterat), *fungitur officio boni senatoris* (i. e. eam potissimum provinciam eripit, quae invito senatu Caesari populi scito tradita erat, relinquit eam, quam senatus ipse addiderat), *legem*

quam non putat, eam quoque servat; praefinit enim successori diem. Quo mihi nihil videtur alienius a dignitate disciplinaque maiorum, quam ut qui consul Kalendis Ianuariis habere provinciam debet, is ut eam desponsam, non decretam habere videatur. Fuerit toto in consulatu sine provincia, cui fuerit antequam designatus esset, provincia decreta? Sortietur an non? nam et non sortiri absurdum est et quod sortitus sis, non habere. Proficiscetur paludatus? Quo? quo pervenire ante certam diem non licebit. Ianuario, Februario provinciam non habebit, Kalendis ei denique Martiis nascetur repente provincia. Legem quam Cicero ab eo, qui ulteriorem Galliam decernat, servari ait, necesse est esse hanc, de qua quaerimus, Vatiniam, quae optimatibus per vim lata atque irrita esse videbatur. Ea igitur sic servabatur, ut consules, qui in annum 55 designarentur, eorum alter exacto demum magistratu Kal. Mart. anni 54 citeriorem Galliam accipere iuberetur, id quod contra maiorum morem esse ait. Hinc aperte efficitur exisse in citeriore Gallia imperium Caesaris lege Vatinia datum Kalendis Martiis anni 54 a. Chr., ac tuto colligemus ipsam legem exeunte mense Februario anni 59 (nam Calendis ipsis comitia non videntur haberi potuisse) latam esse, in eaque sic fuisse scriptum, ut Caesar ab eo die, quo perlata esset lex, vel a proximis Calendis in quinquennium Galliam Cisalpinam cum Illyrico ei adiecto obtineret. Hunc autem diem legis Vatiniae rectissime iam intellexit M. Ant. Ferratius epist. III, 9 p. 191, cuius sententia cum a recentioribus fere neglecta esset, pluribus hoc loco videbatur esse explicanda. Sed de lege Trebonia, qua Caesari imperium prorogatum esse paulo post ostendemus, idem Ferratius minus recte iudicat, in cuius sententia quae minus probassemus, tacite corrigere quam multis persequi maluimus.

Haec est illa lex Vatinia, qua Caesaris potentiae fundamenta iacta sunt, quae praeter alia, quae ab scriptoribus tradi solent, hoc imprimis introduxit, ut Gallia Cisalpina in propriae provinciae formam redigeretur totaque Italia aliter constitueretur. Quamquam ea non contentus fuit Caesar. Qui etsi et magnum imperium acceperat (nam tres ei legiones dabantur) et satis diuturnum, minus tamen commodam esse

existimabat provinciam suam ad bellum gerendum copiasque, quibus principatum civitatis adipisceretur, parandas. Sed quo pacto aliam acciperet? Divisae enim erant provinciae, quae consulares essent, quae praetoriae, neque eam divisionem perturbare aut volebat, ne nimis cupidus esse videretur (Suet. Caes. 22) aut poterat. Tum fortuna eum insigniter adiuvit. Etenim qui auctores accuratius singula persequuntur (Suet. Caes. l. l.; Dio XXXVIII, 8), postea demum quam lege Vatinia citerior Gallia permissa est, adiectam esse scribunt Narbonensem et quidem a senatu, atque ipse Cicero de prov. cons. c. 15, quem locum supra attulimus, hanc ulteriorem provinciam senatus, citeriorem populi beneficio ei datam esse significat: quare reliquos, qui citeriorem cum ulteriore comprehendentes utramque eodem tempore ei mandatam esse narrant (Plut. Caes. c. 14; Pomp. c. 48; Cat. c. 33; App. bell. civ. II, 13), brevitati dum student, quod diversum esse scirent, coniunxisse putabimus. Sed quaeritur quo pacto senatus ei ulteriorem Galliam decernere potuerit, qui, quamvis magna esset Cn. Pompeii pro Caesare pugnantis (Plut. Pomp. c. 48; Cic. ad Att. VIII, 3) auctoritas, certe non facile, ut sua ipse acta everteret, adduci potuit? Nimirum paulo postquam lex Vatinia perlata est, Q. Metellus Celer, de quo supra dictum est, morbo repentino in ipso Galliae Narbonensis proconsulatu decessit, cuius provinciam vacuam, quia praetoribus omnibus consultum erat, senatus Caesari tribuit, nolens ille quidem, sed verebatur, ne, si ipse cunctaretur, populus ea occasione ad illum ornandum uteretur. Simili igitur fortunae beneficio Caesar adiutus est atque olim L. Lucullus, cui item, cum aliam provinciam sortitus esset, repentina L. Octavii morte Bithynia aperta est (supra p. 52). Quamquam populus etiam diuturnitatem imperii addere potuit, senatus, qui leges servare deberet, non potuit, nisi sic, ut quotannis prorogaret imperium, aliaque longe in causa erat citerior Caesaris provincia, in alia ulterior, id quod ipse ostendit Cicero de prov. cons. c. 15 iis, qui ulteriorem anno 56 Caesari eripi volebant, nihil prorsus, unde huic quoque certum imperii tempus constitutum fuisse colligamus, obiiciens.

Sic igitur iam C. Caesar utramque Galliam cum Illyrico obtinebat, sed cum quinquennii, in quod citeriorem provinciam acceperat (nam Narbonensis cum adimi posset, quotannis in eius imperio relinquebatur), finis appropinquaret, quidam eius inimici anno 56 agere coeperunt, ut si dies legis Vatiniae exisset, ei vel utraque vel alterutra Gallia eriperetur, quorum impetus Cicerone etiam, qui tunc orationem de provinciis consularibus habuit, adiuvante haud difficile repulsi sunt (Cic. epist. I, 7). Sed quaeritur tamen, quae medio tempore consulibus provinciae decretae sint, quarum cognitio etiam ad ipsius Caesaris imperium intelligendum pertinet. Atque anno 58 L. Piso obtinuit Macedoniam, A. Gabinius Syriam, anno 57 P. Lentulus Spinther Ciliciam, Q. Metellus Nepos Hispaniam citeriorem, anno 56 neutrum ex consulibus, nec Cn. Lentulum Marcellinum nec L. Philippum, ullam provinciam administrasse inde discimus, quod Caesar bell. civ. I, 6 iis anno 49 ex lege Pompeia provincias decerni debuisse significat. Cf. Comment. epigraph. Vol. II p. 206, quo loco quae de lege Pompeia iisque, qui nondum provincias habuissent, in provincias mittendis disputavimus, ex hac de Gallia Cisalpina quaestione supplebuntur. Apparebit enim, cum ante legem Vatiniam ipsa Italia pro provincia fuisset, Ciceronem, qui et propter suas rationes et propter reipublicae tempora eam, quae decreta erat, provinciam deposuisset, fuisse mittendum, itemque M. Bibulum, cui in ipso consulatu provincia adempta esset, sed reliquorum, qui ante Bibulum in Italia et Gallia Cisalpina cum imperio versati sunt, quia tunc ea exercitu et iure omni provinciae ornata erat, nullam omnino fuisse rationem habendam, quodque olim aetatis atque annorum argumentis demonstratum minus fortasse ad persuadendum videbatur esse idoneum, id iam certissima ratiocinatione confirmabitur. Sed ab ea re, quae parum huc pertinet, ut discedamus, quod supra diximus, Italiam non amplius fuisse consularem provinciam nec alterum consulum in ea consistere oportuisse, biennii quod attulimus ratione prorsus comprobatur, neque minus insequentium annorum historia. Quamquam qui anno 55 a. Chr. consulatum per vim adepti sunt, Cn. Pompeius et M. Crassus, quas pro-

vincias a senatu antequam designarentur decretas habuerint, incertum potest videri. Dubitat certe Garatonius ad Cic. de prov. cons. extr.; equidem non dubitandum esse existimo, quin senatus anno 56, cum Cicero acriter Caesaris provincias defendisset, consulibus futuris Syriam et Hispaniam ulteriorem decreverit. Etenim Cicero de prov. cons. c. 2 quattuor esse ait provincias, de quibus sententiae sint dictae, Gallias duas, Syriam, Macedoniam, ex quibus cum Gallias, quarum imperium Caesar retinuit, certum sit non esse decretas, ne Macedoniam quidem consularem factam esse constat, sed praetoriam; nam Q. Ancharius L. Pisoni successit (Comment. epigraph. Vol. II p. 201). Quare quae ex quattuor illis superest Syria, cum et a principio commemorata sit et tandem alteri consulum obtigerit, rectissime videbitur iam tunc esse decreta. Hispaniam autem ulteriorem ut alteri consulum designandorum constitutam esse existimem, primum haec causa est, quod nullam aliam video fuisse quam decernerent; nam Creta et Cyrenae et Africa et Sicilia nunquam per haec tempora consulares fuerunt, Bithyniam, ex quo ad Romanos pervenit, pacatissimam semper praetorii tenuerunt, Sardiniam rexit anno 55 M. Aemilius Scaurus, Asiam C. Clodius Pulcher, Hispaniam citeriorem anno 57 acceptam administravit Q. Metellus Nepos, qui cum anno 56 in provinciam proficiscens Lucam ad C. Caesarem adisset (Plut. Caes. c. 21), ea videtur Romae gratia usus esse, ut nemo de successore ei mittendo cogitaret, Ciliciae denique P. Lentulus Spinther praeerat, cui demum anno 54 Appius Claudius successit (Cic. epist. I, 9, 20). Ita una Hispania ulterior, quae tunc decerni potuerit, relinquitur. His igitur provinciis, Syria et Hispania ulteriore, in incertum comitiorum eventum decretis consulatum inierunt anno 55 Cn. Pompeius et M. Crassus, quos diximus, qui cum potentiam Caesari parem, et magnam et diuturnam, concupiscerent, iis quae per senatum habere poterant, parum contenti, item per populum agere constituerunt ac L. Trebonium moverunt, ut legem de provinciis consularibus promulgaret. Qua in re ille imitabatur prorsus C. Vatinium parique fortuna videtur esse adiutus. Existimo enim Q. Metellum Nepotem ipso hoc anno 55 in proconsulatu

Hispaniae citerioris decessisse, non ex vulnere, sed fato: certe hominem, qui multum antea in republica et egisset et valuisset, postea non amplius commemorari video. Neque enim obstat, quod Asconius in Scaur. p. 28 ed. Orell. eum in novem consularibus nominat, qui M. Scaurum repetundarum anno 54 ex Sardinia reum laudatione adiuverint; nam Asconius ipse magnam eorum partem per tabellas laudasse narrat nominatimque Cn. Pompeium, qui proconsule esset, in urbem non venisse ait. Ex reliquis autem unum L. Pisonem fortasse nondum tunc ex provincia redisse existimo, reliqui, L. Volcatius, M. Perpenna, L. Philippus, M. Cicero, Q. Hortensius, P. Servilius senes erant neque ullo munere publico fungebantur, ut eos ad amici periculum sublevandum accurrisse probabile sit, neque magna illa pars, quae per tabellas laudarit, intelligi possit, nisi Q. Nepotis putemus quamvis mortui laudationem aliquam in iudicio esse adhibitam. Nisi autem Nepotem decessisse statuamus, quomodo Cn. Pompeius tantam ei iniuriam infligere potuerit non intelligimus, ut provinciam ei contra consuetudinem eriperet. Gesserat ille bellum sane grave ac periculosum cum Vaccaeis, de quo narrat Dio XLIX, 54, quod cum morte eius affectum relinqueretur, occasionem praebuit C. Trebonio atque honestum praetextum, ut legem de consulum provinciis ferret. De ea lege breviter nec satis accurate tradit Livius epit. CV, cuius verba vulgo sunt haec: *M. Cato cum legem impediret, qua provinciae consulibus in quinquennium, Pompeio Hispaniae, Crasso Syria et Parthicum bellum, Caesari Gallia et Germania dabantur, a C. Trebonio trib. plebis, legis auctore, in vincula ductus est.* In quibus primum hoc minus rectum est, quod una eademque lege communiter et Pompeio Crassoque datum et Caesari prorogatum esse imperium scribit. Nam Dio XXXIX, 33 duas leges, quarum prior ad consules, altera ad Caesarem pertinuerit, discernit cum eoque Plutarchus Cat. c. 43, ubi copiosiore narratione utitur quam Pomp. c. 52, Crass. c. 15, consentit. Deinde de iis quae III viris data sint discrepant auctores. Nam Pompeio Livius, ut diximus, solas Hispanias duas tribuit, at Appianus bell. civ. II, 18 et Plutarchus Cat. 43 et Pomp. 52

Africam et Hispanias (Λιβύην ἅπασαν καὶ Ἰβηρίαν ἑκατέραν), Crasso Dio et Appianus Syriam et finitimos populos, unus Plutarchus Cat. c. 43 Syriam et Aegyptum, Caesari denique reliqui Gallias, Livius Germaniam. Quid igitur in lege erat? Germania et Aegyptus, quae Caesari et Crasso traditae esse dicuntur, quia in potestate populi Romani non erant, significant earum nomina ob eam causam fuisse in legibus, quod eae III viris permittebant pacem facere et bellum gerere (Dio l. l.) cum contra alios quoscunque volebant, tum contra Germanos et Aegyptios, qua ratione iis summa omnium rerum potestas, quae alioquin a senatu populoque Romano proficisci solebat, tradita est. Sed Africa, quatenus quidem provincia populi Romani continebatur, certe Pompeio non est mandata, cum quod duo tantum eius legati, L. Afranius et M. Petreius, nominantur, et quod octo illae provinciae praetoriae apud Cic. epist. VIII, 8, de quibus in Comment. epigr. Vol. II p. 209 diximus, sine Africa nullo modo effici possunt (has enim causas cur de Africa non crederet, attulit Pighius Annal. III p. 398), tum quod anno 51, cum eadem prorsus Cn. Pompeii potestas erat, P. Atium Varum suo iure Africam rexisse constat. Quare quod in lege de Africa erat, ad barbarorum regna, Numidiam et Mauretaniam et si qua alia minora erant, spectabat, quibuscum Cn. Pompeio permittebatur bellum gerere, ut eandem quam Caesar victoriarum ac praedarum occasionem haberet. Tertium denique est, quod Livius ita narrat, quasi nominatim lege Trebonia Crasso Syria, Pompeio Hispania assignata sit, id quod parum probabile esse iam Garatonius in exitu annotationis ad Cic. de prov. cons. animadvertit, sed argumento tamen minus vero utens. Etenim Cicero ad Att. IV, 9 ineunte mense Maio anni 55 haec scribit: *Nos hic cum Pompeio fuimus. Multa mecum de republica, sane sibi displicens, ut loquebatur (sic est enim in hoc homine dicendum), Syriam spernens, Hispaniam iactans.* Quae Garatonius ad legem Treboniam refert, qua cum Crassus et Pompeius Syriam et Hispaniam aut comparare inter se aut sortiri iussi essent, hic Hispaniam obtinere maluisset. Equidem longe aliter sentiendum esse existimo. Nam in ipsa illa citeriore Hispania, quae deinde Pompeio tra-

dita est, huius anni aestate Q. Metellum cum Vaccaeis pugnasse docuimus, ut, cum provinciam antequam alii assignari possit, vacuam esse oporteat, certe universa Hispania aestate nondum Pompeio mandari potuerit. Deinde quid est quod Cicero Pompeium sibi displicuisse scribit? Ad valetudinem id certe non pertinet, sed poenitebat hominem eorum quae in consulatu suo agere atque assequi posset imprimisque provinciarum, quas sibi collegaeque olim a senatu decretas esse videret. Ipsam etiam legem Treboniam longe posteriorem quam Ciceronianam epistolam esse infra exponemus, nec consentaneum est aut cum similium legum consuetudine congruit aut denique cum Dione XXXIX, 39, qui statim post legem latam legatos in provincias missos esse ait, convenit, ut multo postquam rogatio ad populum lata est, diem, quo consules provincias acciperent, finitum esse existimemus. Quare verba illa Ciceronis ad Atticum ad provincias olim anno 56 ex lege Sempronia consulibus decretas, non ad eas, quae lege Trebonia assignatae sunt, refero, ut Pompeius mense Maio parum contentus iis, quae ab senatu obtigerant, num quid forte lautius a populo accipere posset, animo agitasse legemque Treboniam praeparasse putetur, in quibus dum est cogitationibus, morte Q. Nepotis nuntiata universae Hispaniae ei tradendae occasio oblata est. Veruntamen unde discimus non nominatim a Trebonio provincias Crasso et Pompeio esse tributas? Nimirum quod Plutarchus Crass. c. 15 sortitionem eorum commemorat: ex qua cum illi Syria, huic Hispania ulterior evenisset, lex Trebonia nihil nisi quae senatus ac sors dederat, ambitu extendit, copiis auxit, imperio amplificavit.

Hac igitur lege M. Crasso et Cn. Pompeio consultum est, qua perlata (sic enim scribunt Dio XXXIX, 33 et Plut. Cat. c. 43) ipsi, qui iam provincias acceperant, consules eodem die (Dio XXXIX, 36) aliam de Caesare legem pertulerunt, qua primum potestas eius amplificata est, ut liceret ei cum quibuscunque vellet et bellum gerere et pacem facere, aliaque quaedam minora constituta, deinde imperium prorogatum in alterum quinquennium, ne prius quam consules ipsi exercitum provinciamque dimittere cogeretur. Neque enim recte haec quoque

altera de provinciis lex solet ad eundem C. Trebonium referri. Ipsos consules eius latores fuisse aperte indicat Vellei. II, 46 Pompeium ad populum de ea re tulisse narrans, ac certius etiam Hirtius bell. Gall. VIII, 53 Marcellum consulem ante tempus ad senatum de Caesaris provinciis contra legem Pompeii et Crassi. Convenitque prorsus Dionis accuratissima narratio, qui et c. 33 libr. XXXIX antequam Trebonia lex promulgaretur, consules ipsos recepisse tradit, se etiam de Caesaris honore laturos, et c. 36 dimissa a tribuno plebis contione consules novam contionem coegisse novamque legem proposuisse. Cf. etiam Appian. bell. civ. II, 18. Quae cum ita sint, dubium videri debet, an apud Livium epit. CV, a quo loco supra profecti sumus, probanda sit auctoritas veteris codicis ea, quae sunt *Caesari Gallia et Germania*, omittentis, praesertim cum non Gallia, sed Galliae appellandae fuerint. Ita sane maximi Livii errores tollerentur nec quicquam relinqueretur, quod non plane esset verum. Nam Catonis quidem in Trebonia lege eam, de qua Livius scribit, pertinaciam, in consulari nullas omnino partes fuisse Dionis narratio demonstrat. Sed nescio tamen quo pacto additamentum illud irrepserit, quippe quod solum ex omnibus veteribus auctoribus Germaniae mentionem faciat, quam traditam esse Caesari, quatenus omnino tradi potuit, veri est simillimum. Videtur igitur in primario illo codice, ex quo reliqui manarunt, copiosior fuisse narratio et excidisse aliquid etiam in vetustissimo qui extat codice.

Sed quale fuerit illud quod consulari lege Caesari datum est, imperii alterum quinquennium ac quo tempore descriptum, magnopere quaeritur. Iam legis Vatiniae diem, quo superius quinquennium datum erat, incepisse docuimus a Calendis Martiis, ut exierit Cal. Mart. anni 54: quare cum Caesarem, cui prius lata sit consularis lex quam Vatinia exierit, constet inter prius et inter alterum quinquennium nullum tempus habuisse imperio certa lege dato vacuum, tria cogitari possunt, aut a Cal. Mart. anni 54 aut a Cal. Ian. eiusdem anni aut denique a priore aliquo die alterum quinquennium esse inceptum. Iam si Cal. Mart. anni 54 eius initium erit, exitus in easdem Cal. anni 49 incidet, neque ea res ullo pacto cum

iis convenit, quae de imperio adempto narrantur. Etenim Appianus bell. civ. II, 28, qui initia belli civilis accuratissime exponit, Cn. Pompeium narrat cum anno 50 de successore Caesari mittendo ageretur, callide ita ad senatum scripsisse, ut Caesari, quasi ne finito quidem imperii tempore decedere vellet, crimini daret (ἡ μὲν δὴ τέχνη τῶν γεγραμμένων εἶχεν εὐπρέπειάν τε τῷ Πομπηΐῳ καὶ ἐρέθισμα κατὰ τοῦ Καίσαρος, οὐκ ἀποδιδόντος τὴν ἀρχὴν οὐδ' ἐν τῷ νενομισμένῳ χρόνῳ), itemque Dio XL, 59, de iis quae anno 51 acta sunt, tradens Pompeium hoc constituisse ait, ut Caesari cum imperii dies exisset (exiturum autem fuisse anno insequenti) successor mitteretur: Ἔπραττε δ' ὅμως (Πομπήϊος) ὅταν τὸν δεδομένον οἱ χρόνον διαπράξῃ (τοῦτο δὲ οὐκ ἐς μακρὰν, ἀλλ' εὐθὺς ἐν τῷ ὑστέρῳ ἔτει γενήσεσθαι ἔμελλε) τά τε ἄλλα κατάθηται καὶ ἰδιωτεύσων οἴκαδε ἐπανέλθῃ. Quae verba (ἐν τῷ ὑστέρῳ ἔτει) qui accurate interpretabitur, et legis consularis initium a Cal. Martiis anni 54 repeti non posse intelliget neque dubitabit, quin falsa sit etiam altera illa opinio, quam plurimorum esse video, qui a Cal. Ianuariis quinquennium legis consularis et coeptum et finitum esse putant, ut Cal. Ian. anni 49 alii proconsuli Galliae tradi potuissent. Cuius opinionis nullam aliam invenio esse causam, quam quod omnino Cal. Ianuariis imperia finiri debuisse existimant. Ac consules sane et praetores et aediles et quaestores quique alii praeter tribunos plebis sunt perpetui quasi magistratus, tunc Cal. Ian. inibant, sed reliquae potestates, quae ad certos usus fiebant, ut dictatores, III viri agrarii, alii curatores, nulla certa magistratuum initia habebant, provincias vero alias aliis temporibus esse coeptas vel ex lege Vatinia constat, qua ex Cal. Mart. ad Cal. Martias quintas Galliarum imperium Caesari datum esse diximus. Quodsi aliquo ante Cal. Ian. anni 49 die imperium Caesaris exiit (hoc enim unum ex tribus quae posuimus relinquitur) eodemque ante quinquennium, quod lex consularis dedit, die olim coeptum est, nulla alia eius diei causa poterit excogitari, quam quod ipsa lex consularis eo die lata sit, in qua sic fuerit scriptum, ut inde ab eo die quo lata esset usque ad eum diem quintum Caesari imperium prorogaretur. Sed si exitus imperii Caesariani intra

annum 50 a. Chr. quaerendum est, hoc primum certum erit, non in ineuntem, sed in exeuntem annum eum incidisse. Etenim, ut quae de legis Treboniae tempore supra disputavimus hoc loco praetermittam, maxime in eam rem constat Caesarem incubuisse, ut consul designaretur finito proconsulatu, cuius tempus si primis anni 50 mensibus exisset, nonne probabile est hoc eum fuisse acturum, ut in annum 49 designaretur? Sed hoc nemo veterum tradit, qui in eo prorsus consentiunt, ut eum in annum 48 consulem fieri voluisse narrent. Comitia autem consularia medio fere anno tunc habebantur, anno quidem 50 postquam paululum dilata sunt, Cal. Sextil. habita esse ex Caelii epistola apud Cic. epist. VIII, 4 discimus. Quare in posteriore anni 50 parte Caesaris imperium exisse intelligimus. Agi autem coeptum est de successore ei mittendo iam anno 51, cum *M. Claudius Marcellus cos. edicto praefatus de summa se republica acturum retulit ad senatum, ut ei succederetur ante tempus, quoniam bello confecto pax esset ac dimitti deberet victor exercitus* (Suet Caes. c. 28). Statuerat de ea re agere M. Marcellus iam initio ipso anni, sed distulit in Cal. Iunias (Cael. apud Cic. epist. VIII, 1, 3), quo senatu cum non esset actum, reiecta res est in Idus Sextiles (ibid. ep. 4, 4), sed cum tunc quoque iudicio C. Marcelli cos. designati interpellata esset, (ibid. 9, 2), tandem tractata est prid. Cal. Octobres auctoritatesque eae perscriptae, quas Caelius apud Cic. epist. VIII, 8 refert. In quibus hoc erat, ut Cal. Martiis anni 50 de successione Galliarum emeritisque Caesaris militibus in senatu ageretur. Sed has M. Marcelli actiones atque impetus narrant omnes factos esse antequam Caesari proconsulatus exisset, non modo Suetonius, quem citavimus, verum etiam Appianus bell. civ. II, 26 et Dio XL, 59. Atque eam ob causam haec Cn. Pompeius improbabat, haud dubie tamen significans, si Caesari tempus exisset, successorem in Gallias esse mittendum. Quam Pompeii sententiam, de qua etiam Appianus et Dio tradunt, sic exponit Caelius apud Cic. epist. VIII, 8, 4: *Aliquando tamen, saepe re dilata et graviter acta et plane perspecta Cn. Pompeii voluntate in eam partem, ut eum decedere post Cal. Martias placeret, senatus consultum — factum*

est, et paulo post: *Illa praeterea Cn. Pompeii sunt animadversa, quae maxime confidentiam attulerunt hominibus, ut diceret se ante Calend. Mart. non posse sine iniuria de provinciis Caesaris statuere, post Cal. Mart. se non dubitaturum.* Cur autem Pompeius, si ante Cal. Mart. anni 50 de Caesare decerneretur, iniuriam ei fieri putabat, si post eas, non fieri? Nimirum quia eo tempore transactis reliquis negotiis senatus solet de provinciis, quae quoque anno vacuae fiunt, statuere et consularibus et praetoriis ex lege quidem Pompeia, qua vetus ratio paululum mutata est (Comment. epigraph. Vol. II p. 291), quare cum intra annum 50 exisse Caesaris quinquennium didicerimus, ne quid extra ordinem de eo decerni videretur, una cum reliquis provinciis etiam de Galliis rectissime statui existimabat. Quamquam illud certe minus apte Caelius priore loco scribit Caesarem placere *post Cal. Martias decedere*, ut nec diem quo eum decedere voluerit definiat et de decedendo loquatur cum debeat de successore decernendo. Veruntamen cum illa esset Pompeii sententia, ut Caesari exacto demum imperio successorem mittendum esse censeret, quid tandem anno 50 actum est? De quo narrat Appianus bell. civ. II, 27: Κλαύδιος δ' ἐςηγεῖτο πέμπειν Καίσαρι διαδόχους ἐπὶ τὰ ἔθνη· καὶ γὰρ ἔληγεν ὁ χρόνος i. e. C. Claudius Marcellus circa Cal. Martias (paululum enim rem dilatam esse arbitror) retulit ex senatusconsulto de provinciis consularibus imprimisque de Galliis; siquidem tunc desinebat proconsulatus Caesaris. Nondum igitur mense Martio exierat, sed propinquus tantum erat exitus. Verum quo tandem die erat exiturus? Scilicet significat rursus Caelius mense fere Iunio sic ad Ciceronem scribens (Cic. epist. VIII, 11, 3): *Quod ad rempublicam attinet, in unam causam omnis contentio coniecta est de provinciis, in quam adhuc incubuisse cum senatu Pompeius videtur, ut Caesar Id. Novembr. decedat.* Quod igitur superiore anno Pompeius narratur existimasse, ut Caesari exacto imperii die succedendum esse putaret, id hoc loco sic dicitur, voluisse eum Caesari Id. Novembr. succedi. Nonne igitur apertum est, ipsis his Idibus Novembribus anni 50 Caesaris exisse proconsulatum eique ex legibus potuisse succedi? Ex eodem die anni 55 ei olim alterum

quinquennium decretum est, eodem lex ipsa consularis lata, eodem denique Cn. Pompeio quinquennalis Hispaniarum proconsulatus delatus.

Iam reliquas anni 50 a. Chr. actiones praeteribo, quae cum utrimque summa vi in Galliarum successionem incubuissent, elusae sunt imprimis Curionis trib. pleb. intercessione, hanc aequitatem praetexentis, quod Pompeio et Caesari simul exercitus adimendos successoresque decernendos esse diceret. Qua de re sic narrat Appianus bell. civ. II, 27, multos contra dixisse, quod iniquum esse putarent Pompeio antequam eius tempus exisset, imperium propter solam suspicionem adimi (ἐνισταμένων δὲ πολλῶν, ὡς οὐκ ἴσον τῷ μήπω τὸν χρόνον ἐξήκειν τῷ Πομπηΐῳ), quae mentio cum facta esset, idem c. 28 Pompeium tradit senatui scripsisse, se quidem, si ita e republica esse videretur, vel ante tempus legibus constitutum sponte sua depositurum esse provincias (ἃ δὲ ἄκων ἔφη λαβεῖν, ἑκὼν ἀποθήσεται τοῖς ἀπολαβεῖν θέλουσιν, οὐκ ἀναμένων τοὺς χρόνους τοὺς ὡρισμένους). Dispar igitur causa erat Caesaris et Pompeii: illi Idib. Novembr. anni 50 exiit proconsulatus, huic nondum exiit. Etenim anno 52 Pompeio tertium consulatum gerenti loco provinciae ex consulatu decernendae prorogatum erat imperium, ut Dio XL, 44 et 56 scribit, in alterum quinquennium, ut Plutarchus Pomp. c. 55 in quadriennium alterum. Hanc dissensionem ne quis inscitia aut negligentia alterius utrius ortam esse putet, paulo altius haec quoque res repetenda est. Etenim anno 53 cum multae vehementesque seditiones extitissent, tandem Cn. Pompeius a. d. V Cal. Mart. (Ascon. p. 37 Orell.) solus consul creatus est, qui primum legem de iudiciis sanxit, qua Milo a. d. VI Id. April. (Ascon. p. 31) condemnatus est, tum senatus Pompeio pro restitutione reipublicae et duas legiones ad eas, quas iam habebat, addidit et imperium Hispaniarum prorogavit, denique ille ex Cal. Sext. Q. Metellum Scipionem generum suum collegam ascivit; hunc enim rerum ordinem accurate singula exponens Appianus bell. civ. II, 24 significat. Unde mense fere Maio vel Iunio illud de provincia proroganda senatus consultum factum esse colligemus. De ipsius autem prorogationis tempore dupliciter

existimari potest. Etenim decerni potuit, ut ex eo die, quo decerneretur, ad eundem diem quintum i. e. usque ad mensem Maium vel Iunium anni 47 Pompeius Hispanias obtineret. Ita et Dio quinque annos Pompeio adiectos esse dixit rectissime et Plutarchus consulatus ipsius tempus non complectens paucosque qui ultra annum 48 pertinebant menses omittens quod quadriennium appellarit excusandus est. Ad eandem enim rationem Dio XXXIX, 33 altera legis consularis prorogatione Caesari triennium adiectum esse scribit, annos 53 et 52 et 51 intelligens, quos solos integros ei ad vetus legis Vatiniae tempus additos esse vidimus. Qua de causa eo minus erroris accusari debet, quod ipse si verum quaeratur hoc triennium adiectum inveniri ait ὥστε τὴν ἡγεμονίαν καὶ ἐκείνῳ (τῷ Καίσαρι) τρία ἔτη πλείω (ὥσγε τἀληθὲς εὑρίσκεται) μηκύναι. Sed potest de prorogatione imperii quod Pompeius obtinebat etiam alia ratio iniri eaque, ut mihi videtur, paulo probabilior. Cuius etsi initium utique fuisse iudico ab illo die, quo senatusconsultum factum est, tamen dubitari potest, an iussus sit Pompeius imperium habere ad Cal. Ian. quintas i. e. anni 47. Illud enim et rectius etiam quadriennium appellari poterat et non minus recte quinquennium; de simili enim quinquennio summae potestatis III viris reipublicae constituendae delato diximus in comment. epigraph. Vol. I p. 17. Eiusque prorogationis causa quaedam afferri potest per se sane probabilis. Nam cum Caesari supra docuerimus lege consulari imperium prorogatum esse ad Idus Nov. anni 50, illud sane apparet, quo iure optimates usi sint, cum ei succedendum esse existimarent, sed hoc non intelligitur, quam iniuriam sibi Caesar fieri questus sit cum adimeretur, quoque pacto postularit, ut Pompeius quoque exercitus provinciamque dimitteret. Neque obscure Caesar querebatur; nam et Suetonius Caes. c. 29 eum litteris narrat senatum esse deprecatum, ne sibi beneficium populi adimeretur et ipse bell. civ. I, 9 in iis quae L. Caesari adolescenti ad Pompeium se mandasse ait, sic scribit: *doluisse se, quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur ereptoque semenstri imperio in urbem retraheretur, cuius absentis rationem haberi proximis comitiis populus*

iussisset. Quod illud est beneficium populi Romani, quod semenstre imperium, quod ereptum sibi esse ait? Huius origo ex illo tempore repetenda est, quo Cn. Pompeio quod imperium lege Trebonia acceperat, prorogatum est. Ita cum Pompeii potestas longius extenderetur, quam ea, quam ipse habiturus erat, Caesar veritus, ne privatus inimicorum odiis obiiceretur, cum tribunis plebis egit, ut ii plebiscitum efficerent, quo sibi absenti consulatum petere permitteretur. De ea re sic narrat Suetonius Caes. c. 26 *egit cum tribunis plebis collegam se Pompeio destinantibus, id potius ad populum ferrent, ut absenti sibi, quandoque imperii tempus expleri coepisset, petitio secundi consulatus daretur, ne ea causa maturius et imperfecto adhuc bello decederet,* et Dio XL, 51: παρεσκεύασε (Πομπήϊος) διὰ τῶν δημάρχων ἐπιτραπῆναι καὶ ἀπόντι τὴν ἀρχὴν, ὅταν ἐκ τῶν νόμων καθήκῃ, αἰτῆσαι, et denique ipse Cicero ad Att. VIII, 3, 3: *idem* (Pompeius) *etiam tertio consulatu postquam esse defensor reipublicae coepit, contendit, ut decem tribuni pl. ferrent, ut absentis ratio haberetur.* In quo plebiscito duo imprimis animadvertenda sunt. Quo primum non hoc sanciebatur, ut quibuslibet comitiis Caesaris ratio haberetur. Quid enim ille agebat? Hoc, opinor, ut tamdiu haberet imperium quam Pompeius, qui si habebat usque ad Cal. Ian. anni 47, ut nobis probabile videtur, postulandum ei erat, ut anni 49 comitiis consularibus sui ratio haberetur: sic Galliarum imperium habiturus erat usque ad comitia, deinde futurus designatus consul, tum consul usque ad idem tempus, quo Pompeius provincias depositurus erat. Itaque quae apud Caesarem bell. civ. I, 9 commemorantur proxima comitia, quia anno 49 ineunte commemorantur neque ad proxima, quae antecesserunt comitia, de quibus Caesarem non laborasse constat, referri possunt, necesse est intelligantur proxima insequentia, quae anno 49 futura erant consulum anni 48. Itaque ipso in plebiscito fuisse existimo, quod Dio habet ὅταν ἐκ τῶν νόμων καθήκῃ, quando per leges alterum ei consulatum gerere liceret i. e. decem annis post primum, qui anni ipsi anno 49 explebantur, tum ut Caesaris absentis ratio haberetur. Alterum enim est, quod Caesaris sui absentis rationem haberi volebat, in quo non hoc tantum inest, ut

absenti petere liceret, verum etiam ut reipublicae causa absenti et imperium retinenti et provincias regenti. Neque enim, opinor, lex praesentem profiteri iubebat propter quandam vel consulatus vel populi Romani maiestatem atque amplitudinem, sed eam ob causam, ne continuarentur potestates. Ineptum autem erat, Caesari, cuius imperium ex lege consulari anno 50 exiret, hoc dari, ut absentem petere liceret (neque id si imperium deposuisset aut magni fecisset aut non ipse praesens gratiam plebis colligere maluisset), nisi prorogatio simul provinciae concederetur. Haec igitur prorogatio in plebiscito illo vel ipsa perscripta erat vel certe ita intelligebatur, ut dubitari non posset. Atque hoc est *beneficium* illud *populi*, quod adimi, hoc *semenstre imperium*, quod ex imperio suo eripi queritur, nimirum id, quod ab ineunte Ian. anni 49, cum tandem decedere iussus est, futurum erat ad comitia consularia eiusdem anni, quae comitia tunc medio fere anno haberi consuevisse supra Ciceronis testimonio docuimus. De quo imperio nec lege consulari comprehensum fuisse omnium auctorum consensus ostendit nec loqui tamen posset Caesar, nisi aliquo modo decretum habuisset. Idque etiam planius ex iis perspicitur, quae deinde de eo plebiscito acta sunt, quae omnis belli civilis occasionem praebuerunt. Nam cum exeunte consulatu suo Pompeius de iure magistratuum legem tulisset, qua, ne continuarentur potestates, et praesentes omnes, i. e. exuto magistratu, privatos petere consulatum et quinquennio post eum provincias sortiri iussit, casu accidit, ut Caesarem nominatim excipere oblivisceretur, seroque re animadversa atque a Caesaris amicis reprehensa, postquam lex iam in aerarium condita erat, errorem corrigeret (Suet. Caes. c. 28; Dio Cass. XL, 56). Quare dubitatio quaedam existere poterat, an plebiscitum illud amplius pro rato habendum esset, quam Caesar ut tolleret, ab senatu anno 51 petiit, ut praeter legis consularis spatium parumper sibi imperium vel universae Galliae vel partis alicuius prorogaretur (App. bell. civ. II, 25), nimirum ut ab Idib. Nov. anni 50 usque ad comitia consularia anni 49 provinciam retinere ac tum absentem petere consulatum liceret. Sed obstitit Caesaris condicioni M. Marcellus consul, qui cum maximo

in eum odio incensus esset, agere coepit ea quae paulo ante exposita sunt. Hinc nata est illa dissensio civilis (nam etiam Pompeius insigni inconstantia Caesari adversari coepit), quae postquam rempublicam distraxit, tandem in bellum, quo universi imperii Romani forma mutata est, erupit. Quae singillatim persequi, quoniam Galliarum tantum historiam scribimus, ab hoc loco alienum est.

Hoc certum est cum anno 49 bellum civile erumperet, Caesarem rite ex legibus quas ex consulatu acceperat provincias, Galliam utramque cum Illyrico obtinuisse. Nam senatus cum revocandum utique Caesarem esse statuisset, decreverat ille quidem successores, L. Domitium Ahenobarbum, anni 54 consulem, (Caes. bell. civ. I, 6; Cic. epist. XVI, 12; Suet. Caes. 34 et Ner. 2) et M. Considium Nonianum, praetorem anni 52 (Ascon. in Milon. p. 55 Orell.; Cic. epist. XVI, 12; ad Att. VIII, 11, 13), quorum ille Galliam Narbonensem, auctam recentibus bellis, hic Cisalpinam regeret, sed cum huic senatusconsulto M. Antonius et Q. Cassius tribuni plebis intercessissent ac vi prohibiti profugissent, cum probabili aliqua specie Caesar, quicquid ex eo die, quo tribuni fugissent, actum esset, rite ac legibus actum esse negabat (Cic. ad Att. XI, 7 init.), ut ipse ex lege Cornelia vetere, quae tamdiu quemque provinciae praeesse iubebat, dum successor missus esset, legitime Gallias retinere videretur. Quare, ubi provinciis suis relictis in Italiam invasit, legatos reliquit M. Licinium Crassum, III viri filium, in Cisalpina Gallia (App. bell. civ. II, 41), complures alios in Transalpina, in quibus maxime D. Brutus, C. Trebonius, C. Fabius nominantur. Cf. Comment. epigraph. Vol. II p. 224. Sed postquam superatis in Hispania Pompeii legatis dictaturam accepit, antequam ad bellum Pharsalicum proficisceretur, novam provinciarum, quas tunc tenebat, divisionem suscepit, de qua sic refert App. bell. civ. II, 48: ἡγεμονίας τε ἐς τὰ ἔθνη περιέπεμπεν ἢ ἐνήλλαττεν, ἐφ' ἑαυτοῦ καταλέγων, ἐς μὲν Ἰβηρίαν Μάρκον Λέπιδον, ἐς δὲ Σικελίαν Αὖλον Ἀλβῖνον, ἐς δὲ Σαρδὼ Σέξστον Πεδουκαῖον, ἐς δὲ τὴν νεόληπτον Γαλατίαν Δέκμον Βροῦτον. De quibus verbis non facile est statuere, sed credo tamen etiamnunc quod in comment. epigraph.

Vol. II p. 232 dixi omnes illos non sua auspicia habuisse, sed legatos Caesaris fuisse. Nam etsi M. Aemilium anno superiore praetorem fuisse constat (Caes. bell. civ. II, 21; Dio XLI, 36), ut vetere more tunc provinciam suo iure obtinere debuerit, tamen probabile est, Caesarem provincias recens Pompeianis ereptas non statim populo reddidisse, praesertim cum ex lege Pompeia nondum sublata quinquennium inter magistratus ipsos et inter provincias interesse oporteret. Quare Lepidum quamvis ex praetura legati tamen iure usum esse censeo, idque eo magis, quod D. Brutum, qui Galliam accepit, nec praeturam gessisse anno 49 certum est, et *legatum* appellat Liv. epit. CXIIII. Hunc autem ipsum D. Brutum non toti Galliae, quam Caesar habebat, sed ei modo parti, quam Appianus recens expugnatam appellat, i. e. toti Transalpinae praeter Narbonensem, praefuisse existimo, ut in Narbonensi et in citeriore alii legati remanserint; nam Illyricum Q. Cornificio, Hispaniam ulteriorem Cassio Longino, item legatis, paruisse scimus. Sed post victum occisumque Pompeium ubi Caesar anno 47 in urbem rediit, nova lex de provinciis lata est, qua abolita vetere Pompeia consulares provinciae in potestate senatus remanserunt, praetoriae omnes Caesari traditae sunt, qui quos placuisset, iis praeficeret. Vide Comment. epigraph. II p. 232. Idque eo magis necessarium erat, quod, cum nova lex eos, qui modo magistratus gessissent, provincias accipere iuberet, superiore anno nulli praetores facti erant, nec rite ulla sortitio fieri poterat. Itaque in Galliis quidem etiam postea eos invenimus, qui cum nullos antea honores gessissent, legati magis quam sui iuris praesides fuisse videantur. Nam in Transalpina mansisse D. Brutum discimus ex Liv. epit. CXIV, qui anno 46 ab eo Bellovacos rebellantes proelio victos esse scribit, nec decessisse eum existimo ante bellum Mundense confectum, ex quo rediens Caesar D. Brutum secum in Italiam urbemque deduxit (Plut. Ant. c. 11). Interim Caesar, antequam in Africam profectus est, anno 47 exeunte pro potestate modo accepta Galliae Cisalpinae praefecit M. Iunium Brutum (Plut. Brut. c. 6), proconsulari imperio ornatum (neque enim video, cur de fide auctoris de vir. ill. 82

dubitetur), qua in provincia ille sese magna cum integritate atque abstinentia gessit (Cic. Brut. 46; epist. VI, 6 et XIII, 10 sq.), ut etiam postea quae ei Mediolani statua posita erat a provincialibus conservaretur (Plut. comp. Dion. et Brut. extr.). Cui successit anno 45 ineunte C. Vibius Pansa (Cic. epist. XV, 17 et 19; ad Att. XII, 14 et 17 et 19 et 27), ex praetura, opinor, quam anno antecedenti gesserat, huic D. Iunius Brutus, de quo paulo infra dicetur. Narbonensem provinciam, quam a reliqua Gallia seiunctam fuisse ex Appiano collegimus, quis rexerit non traditur, sed cum anno 44 cum Hispania citeriore in unum provinciae corpus coniuncta fuerit, non dissimile videtur esse vero, item eam fuisse coniunctam ab initio dominationis Caesaris eique praefuisse primum M. Aemilium Lepidum, tum Q. Pedium. Novam autem Galliarum divisionem Caesar exeunte anno 45, cum universam rempublicam componeret, suscepit. Nam citeriorem Galliam seiunctam ille quidem ab Italia servavit ac D. Iunio Bruto, cum quo deinde de provinciae possessione ab M. Antonio bellum Mutinense gestum est, tradidit, item Narbonensem cum citeriore Hispania coniunctam M. Aemilio Lepido mandavit (Dio XLIII, 51 et XLV, 10), sed reliquam Transalpinam, quam ipse primus a barbaris ceperat, in duas partes disiunxit, quarum unam A. Hirtius absens per legatos rexit (Cic. ad Att. XIV, 9), alteram L. Munatius Plancus ipse administravit (Cic. epist. X, 1 sq.). Retinuerunt autem has provincias contra legem Caesaris praesides etiam anno 43; sic enim senatus auctore Cicerone decrerat, ut tam diu quisque obtineret, dum sussessor ex S. c. venisset (Cic. ep. XII, 25 et 22); una illa pars, quam A. Hirtius habuerat, postquam hic consulatum iniit, ad L. Munatium Plancum videtur pervenisse: nemo certe alius qui cum imperio in Gallia fuerit, in belli Mutinensis historia commemoratur. Perturbata autem est omnis provinciarum ratio foedere Mutinensi, quo cum III viri reipublicae constituendae summam omnium rerum potestatem inter se partirentur, imprimis hoc providendum esse putarunt, ne quis provinciae atque exercitus opibus praeditus insurgeret dominationemque suam convelleret, quare neminem omnino suis anspiciis impe-

rium habere voluerunt ac quicquid armis occuparant, inter se ipsos diviserunt. Qua in divisione Gallia et Cisalpina et Transalpina praeter Narbonensem tota M. Antonio tributa est, qui cum ad rempublicam constituendam in Italiam proficisceretur, L. Varium Cotylam cum sex legionibus in Transalpina Gallia reliquit. Narbonensem autem provinciam cum universa Hispania M. Lepidus accepit (Dio XLVI, 55; App. bell. civ. IV, 7). Secutum est bellum Philippense, quo confecto III viri vel Antonius et Octavianus (nam M. Lepidi parum ratio habebatur) ita provincias inter sese diviserunt, ut ille quas antea tenuerat Gallias retineret, ac praeterea veterem provinciam Africam, quae Lepidi fuerat, acciperet, hic Hispaniam et novam provinciam Numidiam regeret (Dio XLVIII, 1). Ut autem Octavianus, qui in Italia militum emeritorum commodis prospicere statuerat, Antonio aequaretur, simul decretum est, ut Cisalpina Gallia, quae urbi Romae nimis imminere videretur, liberaretur (App. bell. civ. V, 3), i. e. ut vetere more rursus cum Italia coniungeretur eique pareret, qui ipsi Italiae praeesset. Tenebat enim eam tunc Q. Fufius Calenus, Antonii legatus, qui et Cisalpinam provinciam omittere et partem copiarum suarum Octaviano cedere iussus est (App. l. l.). Ac cum eo Galliae praefuerat etiam L. Antonius, III viri frater, qui ipsis Cal. Ian. anni 41 triumphum ex Alpibus egit (Dio XLVIII, 4). Secutum tandem est post multas magnasque dissensiones foedus Brundisinum, ita diviso imperio Romano, ut, quicquid a Scodra, Illyrici oppido, ad orientem spectaret, Antonio, quicquid ad occidentem, Octaviano Caesari obtemperaret, Italia cum Gallia Cisalpina utriusque esset communis (Dio XLVIII, 28; App. bell. civ. V, 65). Ita Gallia universa, quam Caesar iam antea belli Perusini occasione magna ex parte ceperat, in eius potestatem venit in eaque permansit; nam bellum Actiacum, quo civiles dissensiones finitae sunt, ad has regiones non pervenit. Quare ex hoc tempore paulo certior provinciarum ratio servari coepta est, quae antea, cum bella semper vel gererentur vel expectarentur, fere negligebatur. Atque Caesar quidem, postquam pacem cum M. Antonio ac paulo post etiam cum Sex. Pompeio composuit, anno 39 ipse

in Galliam profectus est, non modo ut populos recens imperio suo subiectos viseret, verum etiam quod motus quidam gentium nondum satis domitarum extiterant. Duxitque secum M. Agrippam, quem cum ipse in Italiam propter S. Pompeium rediret, praefecit Galliae et quidem universae. Ab eo enim et Aquitanos victos esse legimus (App. bell. civ. V, 92; Eutrop. VII, 5) et transiecto Rheno barbaros esse summotos Ubiosque cis Rhenum transductos (Dio XLVIII, 49; Tac. Annal. XII, 27; Strab. IV p. 194). Hinc cum anno 38 exeunte in Italiam et ad consulatum gerendum et ad bellum Sex. Pompeii administrandum rediret, incertum est quis Galliae praefuerit. Nec certe quicunque praefuit, magnas res aut gerere potuit aut gessit; omnis enim Caesaris cura ad bellum Siculum incubuerat, quo confecto ferociaque veteranorum fracta Caesar non modo bellum Delmaticum anno 35 suscepit, Italiae magis quam Galliae vicinum, in quo Fufio Gemino et M. Valerio Messala et M. Agrippa et T. Statilio Tauro legatis usus esse narratur (Dio XLIX, 38; App. Illyr. c. 27), sed etiam in Britanniam transire parabat (Dio XLIX, 38). Intervenit rursus bellum Actiacum, quod quo tempore gestum est, duo, qui cum imperio in Gallia fuerint, reperiuntur, M. Valerius Messala, cuius triumphus ex Gallia anno 27 actus commemoratur in marmore Capitolino, et C. Carrinas, cuius res gestas et triumphum narrat Dio LI, 21. Huic Carrinati in Galliam ulteriorem anno fere 29 successit Nonius ille Gallus, quem Dio LI, 20 ipso anno 29, quo Ianus clausus est, cum Treviris aliisque quibusdam Germanorum gentibus pugnasse scribit.

Pervenimus iam ad ea tempora, quibus Caesar Augustus devictis adversariis compositisque factionibus cum reliquum imperium tum Gallias et recentius armis Romanorum subactas et barbarorum incursionibus etiam postquam provinciis additae sunt, varie temptatas denuo constituit, de quibus brevior omnino esse possem, nisi nuper admodum quidam viri sane docti extitissent, qui quae antea omnibus explorata prorsus ac certa esse videbantur, magna cum eruditione ac subtilitate in dubitationem revocare novasque quasdam a prioribus plane diversas

opiniones introducere coepissent. Qui si vere statuisse viderentur, paucis defungi possemus, ut cum laudatione auctorum ea, quae censuissent, reciperemus, cum sublata veritate quae minus vera sunt, propagare videantur, hoc nobis imponunt sane molestissimum negotium, ut ab redarguendo disputationem nostram incipiamus. Quamquam non sic agemus, ut omnia, quae illi opinionis suae stabiliendae causa attulerunt, refellamus (etenim et longum id est nec contendendi, sed veri inveniendi causa scribimus), verum in ipsa veri expositione eorum quae minus videntur esse probanda, optimam refutationem inesse arbitramur. Sed ut breviter causam ipsam constituamus, conveniebat olim inter viros doctos, fuisse in ea quae Rheno finitur Gallia iam primo post Christum natum saeculo provincias quae Germaniae dicerentur, non tam populorum multitudine, quam barbarorum, a quibus perpetuo defendendae erant, propinquitate exercituumque quos alebant robore totius prope imperii Romani maximas, ut viris et fortitudine et summa dignitate conspicuis committi solerent. Has igitur provincias D. A. Fechterus Basileensis in commentatione de Gallia provincia qualis ante Constantini tempora fuerit (quae inserta est in F. D. Gerlachii, I. I. Hottingeri, W. Wackernagelii museo Helvetico historiae, Frauenfeld. ann. 1839, Vol. III), negavit ullas omnino fuisse. Nam cum in Germania essent octo legiones, his binos legatos praefuisse, qui milites regerent imperiumque a Germanis defenderent; eosdem iurisdictione militari, quam appellat, earum regionum, in quibus milites collocati essent, usos esse, sed civilem iurisdictionem omnium civitatum, quae usque ad Rhenum pertinerent, fuisse penes legatum Galliae Belgicae. Quare recte dici de ducibus exercituum Germanicorum, non recte dici de provinciis Germanicis. Hac opinione qui duobus vel tribus post Chr. nat. saeculis valuit, imperii Romani mos prorsus evertitur statuiturque disiunctio quaedam militaris et civilis imperii, quae nulla usquam fuit. Ne enim de senatoriis provinciis dicam, quibus tamen ipsis qui praeerant, quicquid militum habebant, non minus quam reliquas imperii partes regebant, quoniam antiquitus ita traditum erat, ut imperatores populi Romani simulatque urbem

relinquerent, militari tantum imperio uterentur, Augustus eiusque successores et ipsi a militari imperio profecti universam rempublicam tenuerunt et legatis suis cum militibus omnem omnino iurisdictionem tradiderunt. Hoc apud eos qui rerum Romanarum periti sunt, ita constat, ut plura dicere supervacaneum sit neque veremur, ne quis existat, cui Fechteriana disputatio probetur. Neque ea placuit Theod. Mommsenio in Act. societ. litter. Saxon. Lips. anni 1853 p. 230 sq., qui cum de Africa et Numidia disputasset, etiam de Gallia Belgica et Germaniis dixit, laudans ille quidem verbis, quae ille exposuerat, sed re ipsa ita discedens, ut novam quandam opinionem proposuisse videatur. Verissima enim sunt, quae p. 233 de duplici illa, quae Fechtero placuerat, iurisdictione disputat, quam ullam fuisse negat: quae quoniam falsa esse cognorat, si reliqua etiam Fechteriana improbasset, haud paulo rectius videtur fuisse facturus. Quid autem ipsi placet? Minus equidem me perspexisse fateor, quid diceret, sed quantum eius sententiam assecutus sum, et esse quodammodo vult Germanias provincias et non esse. Negat enim publice Germanias appellatas esse provincias, a scriptoribus et in inscriptionibus saepe sic vocari concedit; unum fuisse quasi corpus Galliae Belgicae eiusque partes quasdam, sive eae regiones sive dioeceses dicerentur, Germanias, sed qui tamen Germanias regerent, imperatorum legatos pari iure fuisse cum praeside Belgicae. Haec quin inter se pugnent, vix videtur esse dubium. Provinciae enim nomen existimamus eius regionis esse proprium, quae suo praesidi pareat neque alterius regionis praesidi subiecta sit; quare si legatus Belgicae et legati Germaniarum pari iure erant neque aut hi illius aut ille horum imperio parebant, sequitur, ut et Belgica provinciam effecerit et Germaniae cum non minus per se ipsae constiterint, publice privatimque provinciae appellandae fuerint. Ac ne in illo quidem, quod duplicem iurisdictionem a Fechtero excogitatam spernit, satis secum ipse Mommsenius consentit. Nam cum certos Germaniarum fines certumque ambitum fuisse putet, idem legatos Germaniarum maximam partem statuit fuisse militares i. e., opinor, militibus imperasse, non ceteris incolis, ut incer-

tum sit, illa quae praeter militarem relinquitur civilis iurisdictio a quo tandem in Germaniis administrari consuerit. Ita cum Fechteriana ratio mori Romano adversetur, Mommseniana certe parum perspicua sit et secum ipsa quodammodo pugnet, nos quidem iam omissa refutatione ita nostram disputationem persequemur, ut omnia, quae dubitationem vel movisse videamus vel movere posse existimemus, diligenter examinemus. Qua in re adiutos nos esse fatemur viri doctissimi M. Roulez. commentatiuncula inserta relationibus acad. reg. Belgic. tom. XXIII n. 6, qui cum novis illis opinionibus omnem Galliae antiquitatem perturbari videret, id egit, ut provincias Germanias fuisse ostenderet. Quamquam nos totam rem et altius paulo repetivimus et ulterius persecuti sumus.

Cum igitur Augustus anno 27 a. Chr. imperium cum senatu populoque Romano partiretur, universam Galliam, quam nondum satis pacatam esse existimaret, sibi reservavit, qua de re Dio Cass. LIII, 12 sic refert: τοῦ δὲ δὴ Καίσαρος (ἐνομίσθησαν) — Γαλάται πάντες, οἵ τε Ναρβωνήσιοι καὶ οἱ Λουγδουνήσιοι Ἀκυϊτανοί τε καὶ Κελτικοὶ, αὐτοί τε καὶ οἱ ἄποικοι σφῶν. Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, τὴν μὲν ἄνω, τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγάς, τὴν δὲ κάτω, τὴν μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ οὖσαν. Quae quomodo dixisset, explicans Dio paulo post addidit: ταῦτα δὲ οὕτω κατέλεξα, ὅτι νῦν χωρὶς ἕκαστον αὐτῶν ἡγεμονεύεται· ἐπεὶ τό γε ἀρχαῖον καὶ ἐπὶ πολὺ καὶ σύνδυο καὶ σύντρια τὰ ἔθνη ἅμα ἤρχετο. Suo igitur tempore i. e. saeculo p. Chr. tertio ineunte, eas esse ait provincias, suo quamque praesidi parentem, quas recensuerit, ut tunc sex in Galliis provincias fuisse intelligamus, Narbonensem, Lugdunensem, Aquitaniam, Belgicam, Germaniam superiorem et inferiorem: quod autem adiicit antiquitus et diu pauciores fuisse provincias, ut binae vel ternae singulis praesidibus obtemperarent, paulo incertius est ac ne de Galliis quidem, quae recens subiectae sint, probabilem coniecturam admittit. A quo igitur cognitionem eorum quae Augustus de Galliis constituit, petemus? Ab Strabone, opinor, qui cum ipsa illa aetate vixerit, tum pro diligentia sua ea quae tunc

illustrissima omnibusque nota essent, si vellet narrare, ignorare non potuit. Cuius fides ac scientia eo magis nobis videtur esse defendenda, quod acriter reprehensa est non modo ab Fechtero, qui eam, quae nunc in libris geographorum reperitur fluminum et montium et populorum accuratam ac subtilem descriptionem immerito in Strabone requirebat, verum etiam ab Theod. Mommsenio, qui cum minus accurate eius verba considerasset, aliud eum ac dixit dixisse putabat ineptosque ei ac prope pueriles errores obiecit. Strabo autem libri IV initio Galliam, quam Celticam vocat, in tres partes dividi ait, Aquitanos, Belgas, Celtas (sive Gallos), tum, postquam pauca de eorum lingua ac natura exposuit, secundum Caesaris dictatoris auctoritatem (eius enim commentarios citat) quos quique eorum fines habuerint, accuratius significat. Ac de Aquitanis quidem sic scribit: Ἀκυϊτανοὺς μὲν τοίνυν ἔλεγον τοὺς τὰ βόρεια τῆς Πυρήνης μέρη κατέχοντας καὶ τῆς Κεμμένης μέχρι πρὸς τὸν ὠκεανὸν τὰ ἐντὸς Γαρούνα ποταμοῦ, quibuscum plane congruunt, quae Caes. bell. gall. I, 1 habet: *Aquitani a Garumna flumine ad Pyrenaeos montes et eam partem Oceani, quae est ad Hispaniam, pertinent.* Tum de Gallis sic Strabo: Κέλτας δὲ τοὺς ἐπὶ θάτερα μέρη καθήκοντας, καὶ τὴν κατὰ Μασσαλίαν καὶ Νάρβωνα θάλατταν, ἁπτομένους δὲ καὶ τῶν Ἀλπεινῶν ὀρῶν ἐνίων, quae expressa sunt prope ad verbum ex his, quae Caesar habet: *Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano, continetur Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum, attingit etiam ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum.* Nam quod Caesar Gallos ait initium capere a flumine Rhodano, id Strabo explicans quasi dicit, pertinere eos ad mare circa Massiliam et Narbonem, in quod Rhodanus influit, parique ratione quod ille tradit eos ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum attingere, id hic, quia in Helvetiorum finibus Alpes sunt, eos aliqua parte Alpes attingere ait. Eademque quasi quadam interpretatione de Belgis utitur Strabo: Βέλγας δ' ἔλεγον τοὺς λοιπούς τε τῶν παρωκεανιτῶν μέχρι τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥήνου καί τινας τῶν παροικούντων τὸν Ῥῆνον καὶ τὰς Ἄλπεις. Quibuscum Caesaris verba *Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis*

Rheni ita videmus convenire, ut nihil adiectum sit nisi quae extrema sunt de Rheno atque Alpibus, quae Strabo, qui partem modo Alpium finibus Gallorum contineri dixisset, necessario addidit. Nihil in his est, quod Strabonis in Caesare intelligendo aut imperitiam aut temeritatem ostendat, nihil, quod ab eo, qui non nostrae aetatis geographorum subtilitatem requirat, iure vituperetur. Veruntamen Augusti in Galliis instituta sic idem Strabo refert: Ὁ δὲ Σεβαστὸς Καῖσαρ τετραχῇ διελὼν τοὺς μὲν Κέλτας τῆς Ναρβωνίτιδος ἐπαρχίας ἀπέφηνεν, Ἀκυϊτανοὺς δ' οὕςπερ κἀκεῖνος (ὁ Καῖσαρ), προςέθηκε δὲ τεσσαρεςκαίδεκα ἔθνη τῶν μεταξὺ τοῦ Γαρούνα καὶ τοῦ Λείγηρος ποταμοῦ νεμομένων, τὴν δὲ λοιπὴν διελὼν δίχα τὴν μὲν Λουγδούνῳ προςώρισε μέχρι τῶν ἄνω μερῶν τοῦ Ῥήνου, τὴν δὲ τοῖς Βέλγαις. Neque quae libr. IV, 3, 1 de Lugdunensis et Belgicae provinciae finibus habet, multo accuratiora sunt, partes Rheni et Rhodani superiores usque ad medios fere Galliarum campos Lugdunensi, reliqua imprimisque quae Oceano adiacerent, Belgicae accenseri. Haec quoque nostrae consuetudini sunt dissimilia, sed congruunt cum Strabonis instituto, qui cum geographum dedecere dicat, provinciarum divisiones, quae quoque tempore e republica visae sint, referre (libr. IV, 1, 1 extr.), etiam Lugdunensis et Belgicae, quarum fines leviter adumbraverat, populos confuso se provinciarum ordine enumeraturum esse profiteatur (libr. IV, 3, 1). Sed quicunque provinciarum fines fuerunt, de qua re paulo post pauca disputabimus, quam quadruplicem Strabo ab Augusto institutam Galliae divisionem commemorat, eam confirmat haud dubie Amm. Marcell. XV, 11, 6: *Regebantur autem Galliae omnes, iam inde uti crebritate bellorum urgenti cessere Iulio dictatori, potestate in partes divisa quattuor, quarum Narbonensis una Viennensem intra se continebat et Lugdunensem, altera Aquitanis praeerat universis, superiorem et inferiorem Germaniam Belgasque duae iurisdictiones iisdem rexere temporibus.* Quibus verbis quo pacto quidam abusi sint, ut civilem, quam appellarunt, et militarem iurisdictionem in Gallia distinguerent, supra exposuimus, qui recte utetur, non dubitabit, quin Gallia in quattuor provincias divisa fuisse dicatur, quae singulae singulos haberent praesides.

Sed quando hanc divisionem institutam esse putabimus? Nam quod est *inde uti Iulio dictatori cessere* et ad ipsum Caesarem, qui subegit, et ad Augustum, qui ex bellis civilibus primus composuit, potest pertinere. Num igitur Caesar quattuor illarum provinciarum auctor fuit? Qui quamdiu imperavit, nunquam quattuor qui Galliam obtinuerint, proconsules commemorantur ipsoque, quo subacta universa republica Romana decessit, anno L. Plancus et M. Lepidus ita narrantur praefuisse, ut neminem tunc alium cum imperio atque exercitu in Gallia fuisse debeamus colligere. Relinquitur igitur Augustus, quem Ammianus non minus quam Strabo quattuor Galliarum provincias instituisse referat. Sed unum est apud hunc, quod magnam merito dubitationem moveat, quod Narbonensi Viennensem et Lugdunensem provinciam contineri ait. Id verum esse utique nequit. Si enim totam Lugdunensem olim Narbonensi comprehensam esse putabat, quod tandem nomen erat quartae illius provinciae, quam praeter Belgicam in Germaniis Belgisque fuisse dicit? Sin sic eius verba interpretabimur, ut partem tantum Lugdunensis ad Narbonensem pertinuisse existimemus, quoniam ipsum Lugdunum prope Narbonensem situm est, necessario faciendum erit, ut hanc urbem, ex qua nomen habebat universa provincia, ex ea exemptam alienisque finibus adiectam fuisse putemus. Illud quidem quod de Viennensi narratur, facile intelligitur, quod Ammianus quia sua aetate propriam Viennensis provinciam esse videbat, adiecit, sed de Lugdunensi fieri non poterit quin errorem aliquem in eius verbis inesse statuamus. Quem tamen errorem iniuste hercle faciat, Ammiano qui ipsi tribuat, homini et peritissimo et hoc maxime loco id agenti, ut veterem provinciarum Gallicarum divisionem explicet; qua in explicatione quam sit et diligens et vetustatis peritus, vel illud documento est, quod alterum ex praesidibus Aquitanis universis praefuisse ait, nimirum illos quattuordecim significans populos inter Garumnam et Ligerim habitantes, quos Strabo IV, 2 ab Augusto narrat ad Aquitaniam esse adiectos. Ac sui quidem temporis provincias accurate sane persequitur, ut in Augusti nobilissimo instituto eum turpiter errasse credere nequeam. Quare librario-

rum potius culpae tribuo, quod Lugdunensis Narbonensi dicitur contineri, qui versuum initiis inter se confusis Lugdunensem, quam cum superiore et inferiore Germania Belgisque coniunctam repererant, male ad priora illa quae de Narbonensi sunt apposuerunt. Scripsisse igitur Ammianum sic censeo *quarum Narbonensis una Viennensem intra se continebat, altera Aquitanis praeerat universis, Lugdunensem, superiorem et inferiorem Germaniam Belgasque*, in quibus recte omnia procedunt neque ulla Ammiani aut inscitia aut ab Strabone discrepantia relinquitur.

Habemus autem etiam aliud de Galliarum divisione testimonium Plinii, qui cum Narbonensem iam libr. III, 4 pertractasset, libr. IV, 17 sq. quae reliquae sunt tres, Belgicam, Lugdunensem, Aquitaniam ita recenset, ut qui in quaque essent populi, enumeraret. Quattuor igitur certe statuit esse universae Galliae provincias, consentiens prorsus cum Strabone et Ammiano. Quo consensu non debebimus in eam adduci opinionem, ut quae provinciae Augusto imperatore fuerunt, easdem Plinii aetate, i. e. Vespasiano et Tito imperantibus, constitisse putemus. Etenim dudum in comment. epigraph. Vol. I p. 197 Plinium in descriptione orbis terrarum, quam a libro tertio exhibet, docuimus non suam aetatem sequi, sed totum ex Agrippa Augustique commentariis pendere. Nolebat ille cum opus suum conderet, ipse quid vidisset atque observasset, explicare, sed quae ex lectione multiplici congesserat, referre, nec post Augustum ullam arbitror orbis terrarum descriptionem qua recte uteretur, esse institutam. Hoc cum in reliquis terris imprimisque in Britannia, de qua quamvis sua aetate multa ac certa comperta esse nosset, paucissima tamen ac fere fabulosa refert, intelligatur, tum in Gallia manifestum est. Citat enim ipsum Agrippam auctorem (III, 4, 37; IV, 17, 105) nec quicquam quod postea factum sit narrat, quod non extra ordinem quasi orationis additum esse appareat, veluti illud, quod III, 4, 37 de Inalpinis quibusdam gentibus formulae Nemausensium attributis tradit; nam nobilissimae coloniae Agrippinensis (IV, 17, 106) auctorem nominare nihil attinebat. Itaque solent viri docti pleraque quae in ea parte

operis habet, ex Agrippae commentariis petita esse existimare nosque ipsi cum de coloniis Romanorum militaribus disputaremus, hinc potissimum quae Augusti, quae reliquorum deinceps imperatorum coloniae essent, cognoscendum esse putavimus. Quae cum ita sint, et quadruplicem illam, quae apud Plinium reperitur, Galliae divisionem ab Augusto profectam esse intelligemus nec statuemus non potuisse fieri, ut ipsa Plinii aetate aliter Gallia divisa fuerit. Ipsa tamen Pliniana divisio differt paululum ab Straboniana. Non commemorabo alia, sed consistam in eo, quod et praecipuum est et iam ab aliis viris doctis animadversum. Etenim Helvetii ab Strabone, qui superiores Rheni et Rhodani partes ad Lugdunum pertinere dicat, haud dubie Lugdunensi Galliae tribuuntur, a Plinio IV, 17, 31, qui singulos quattuor provinciarum populos recenset, in Belgica collocantur, eaque discrepantia eo est insignior, quod et Strabonem Augusto imperante vixisse constat et Plinium ea quae apud Agrippam eundemque Augustum invenerat, retulisse didicimus. Uter igitur rectius tradidit? Atque olim quidem Strabonis auctoritas praeferri solebat, et quod sub ipso Augusto vixisset quaeque Galliarum provinciae essent, ipse cognoscere potuisset, et quod in dictatoris Caesaris Augustique institutis referendis magnam quandam diligentiam ostenderet: nunc ab Fechtero Mommsenioque, quorum libros supra citavimus, probatus est Plinius, contemptus Strabo, quem et provinciarum divisionem parum curasse et multa vel confusionis vel negligentiae documenta edidisse dicerent. Equidem quae utrimque afferuntur quantum valeant cum non dissimulem, animum tamen inducere non possum, ut aut Plinium, qui in transcribendis Agrippae commentariis vix errare potuit, spernam aut Strabonem, quamvis in quibusdam minus accuratus sit, ea, quae tamquam certa tradidit, falso tradidisse existimem. Numquid enim necesse est alteruter peccarit? Tam longa certe fuit Augusti dominatio, ut Galliae provincias initio eius alias, alias in exitu fuisse nequaquam ab veri similitudine abhorreat, attulit etiam, cum perpetua cum vicinis barbaris bella gererentur, eas vicissitudines, ut causa finium mutandorum facile possit reperiri. Denique quandam provin-

ciarum mutationem susceptam esse ab ipso Augusto constat, quae nisi accidisset, cur Strabo in Galliarum potissimum descriptione de ratione sua provinciarum negligendarum disputasset (IV, 1, 1 extr.), parum intelligeretur. Sed ad hanc quidem rem infra, ubi causam, cur Augustus suum ipse institutum mutasse videatur, significabimus, redeundum erit; nunc hoc teneamus, duorum praestantissimorum scriptorum auctoritatem nisi quaedam talis mutatio accidisse putetur, non posse conservari.

Quattuor igitur in Gallia provincias Augustus instituerat, in quas singulas singulos mitteret legatos, sed illud discrimen, quod postea reperimus, ut aliae consulares, aliae praetorios rectores acciperent, nondum observabatur. Nam in ipsam Syriam, qua nulla provincia aut maior aut opulentior aut pluribus tunc quidem legionibus instructa erat, tamen aliquamdiu praetorios missos esse docuimus in comment. epigraph. Vol. II p. 76. Nec in Gallia qui primi imperium tenuerunt, videntur consulari dignitate fuisse. Nam M. Vinicius P. f., qui a Dione LIII, 26 anno 25 narratur Germanos quosdam, qui mercatores Romanos trucidarant, vicisse, certe consulatum nondum gesserat, cum Galliae praeesset. Eum enim ex Cal. Iul. anni 19 a. Chr. consulem fuisse ex fragmento Colotiano cognoscimus, idemque commemoratur apud Vellei. II, 104, quo loco insignem verborum corruptelam sustulimus in comment. epigraph. I p. 38. Sed nec quamdiu nec quam omnino provinciam tenuerit, traditur, quamquam, quoniam Belgicam tunc omnem barbaris vicinam terram comprehendisse suspicamur, hanc quam Lugdunensem ei paruisse probabilius est. Tacetur deinceps de Galliis, nisi quod Dio LIV, 4 anno 22 a. Chr. Narbonensem ut pacatam ait senatui populoque Romano esse redditam, ut postea non legati principum, sed proconsules ei praeessent. Sed tres quae reliquae erant Caesaris provinciae, paulo post traditae sunt M. Agrippae, de cuius potestate disputavimus in comment. II p. 82. Is enim anno 23 in Syriam missus erat legatus Augusti, sed arcessitus anno 21 in Siciliam Augusti filiam in matrimonium accepit iussusque est cum Romam seditionibus perturbatam componere, tum Gallias Hispaniasque

curare. Quae de re Dio LIV, II sic tradit: Ἀγρίππας δὲ, ὡς τότε ἐς τὴν Ῥώμην ἐκ τῆς Σικελίας πεμφθεὶς διῴκισε τὰ ἐπείγοντα, ταῖς Γαλατίαις προςετάχθη· ἔν τε γὰρ ἀλλήλοις ἐστασίαζον καὶ ὑπὸ τῶν Κελτῶν ἐκακοῦντο. Καταστήσας δὲ καὶ ἐκεῖνα ἐς Ἰβηρίαν μετέστη. Ex quibus verbis non apparet, quam tunc Agrippa potestatem habuerit, sed cum eum l. l. docuerimus ita in Syriam esse missum, ut omnibus populis, qui Caesaris essent, imperaret, atque anno demum 18 proconsulari illa potestate, qua Augustus quoque utebatur, esse ornatum, ut etiam in senatoriis provinciis plus quam qui cuique praeessent potestatis haberet, quoniam et Gallias et Hispaniam rexisse narratur, sic existimabimus, eum ab Augusto legatum constitutum esse et trium, quas in sua potestate tenebat, Gallicarum provinciarum et duarum Hispaniarum. Abisse autem in eas provincias videtur exeunte anno 21 vel ineunte eo qui insequitur; rediit Romam mense fere Maio anni 19, retinens tamen imperium provinciarum, dum ipse Augustus ex Asia Octobri mense revertit. Quis ei successerit, non traditur illud quidem, sed probabile tamen mihi videtur esse, Tiberio Neroni, ei, qui postea imperavit, traditum esse Galliarum imperium. Fuerat ille Augusti vitrici comes in Asiatica profectione, ex qua cum eodem tempore quo ille redisset, honores praetorios (τὰς τῶν ἐστρατηγηκότων τιμάς, Dio LIV, 10) accepit, i. e. non ornamenta praetoria, quae iis, qui senatorii ordinis nec essent nec esse possent, dabantur, sed locum praetorium sententiae in senatu dicendae, et *posthaec*, ut Sueton. Tib. c. 9 ait, *comatam Galliam anno fere rexit, et barbarorum incursionibus et principum discordia inquietam. Exin Raeticum Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit.* Quae sic solent a viris doctis intelligi, ut Galliae administrationem cum Raetico bello coniungant, quoque tempore id gestum sit, eodem Tiberium Galliae praefuisse existiment. Quam opinionem ut minus probem, duae imprimis res faciunt. Primum enim Raeticum bellum sic gestum est. Cum anno 16 Lolliana clades in Germania accidisset (Dio LIV, 20 et Vellei. II, 97), Augustus ipse cum Tiberio privigno tunc ipsum praetore (Dio LIV, 19) in Galliam profectus, quia barbari interim recesserant, nihil

magnopere gessit, sed cum simul Raeti et Vindelici arma movissent, Augustus anno 15 primum Drusum ex Italia et Delmatia, tum Tiberium, quem secum habebat, ex Gallia bellum inferre iussit subactique sunt ipsa illa aestate (Strabo IV p. 206). Iam ut tempus illud, quod Tiberius ante bellum Raeticum tunc in Gallia consumpsit, numeremus, certe non annus ille, quem Suetonius prodit, sed sex fere menses efficiuntur. Deinde Tiberius narratur *comatam* Galliam rexisse, non aut Lugdunensem aut Belgicam aut Aquitanicam, quas tunc legatorum provincias fuisse docuimus, unde ei non unam aliquam ex his, sed omnes tres commissas esse colligemus pari fere potestate ac paulo ante Agrippa et in Asia et in Galliis Hispaniisque habuerat. Quodsi universam Galliam tenuit, certe tenere non potuit, cum Augustus ipse in Galliis aderat, quo praesente legati tantum vulgares, qui singulas provincias regerent, opus erant. Itaque sic potius factum esse censeo, ut cum Agrippa in urbem reverso Augustus quoque cum Tiberio ex Asia redisset, hic Tiberius universis Galliis, quae imperatoris essent, praeficeretur easque anno 18 a. Chr. teneret, quo anno exeunte Romam revertit, ut praeturam iam vere in annum 17 delatam gereret (Dio LIV, 19). Successit ei non in omnibus provinciis, sed in Belgica tantum, ut videtur, ille M. Lollius, cos. anni 21 a. Chr., de quo diximus in comment. II p. 107, qui cum ad praedam faciendam barbari in ipsam Galliam irrupissent, cladem accepit magis amissa legionis quintae aquila ignominiosam, quam periculosam (Vellei. II, 97; Dio LIV, 20; Suet. Aug. 23), quae effecit, ut Augustus ipse cum Tiberio in Galliam properarent. Nec vero aut Germani in bello perstiterunt aut Lollius turpiter sese gessit, quare Augustus etiam postea eius opera usus est nec tum ei imperium videtur ademisse; sed cum Augustus ipse quamdiu in Galliis erat summum imperium teneret, M. Lollio tutandum Rhenum inferiorem, Tiberio superiorem tradidit.

Exarserat enim eodem tempore Raetorum Vindelicorumque bellum, ad quod gerendum Augustus et paulo ante Drusum miserat et tunc ut ex Gallia contra barbaros proficisceretur, Tiberium misit. Ac constat tunc universam Raetiam imperio

Romano esse adiectam (Dio LIV, 22; Suet. Aug. 21 et Tib. 9; Liv. CXXXVI), nec tamen recte de eius administratione iudicant, qui quod Vellei. II, 39 ait: *Raetiam autem et Vindelicos* (Ti. Caesar) *novas imperio nostro subiunxit provincias*, peculiarem iam Augusto imperante provinciam Raetiam fuisse putant. Recte enim Fechterus in disputatione, quam supra citavimus, p. 338, eam quodammodo statuit fuisse cum Germania superiore coniunctam, modo ne illa quae a nobis refutata est de militari imperio opinione inductus copias modo, quae in Raetia essent, legato Germaniae paruisse, civilem quasi iurisdictionem ab alio praeside administratam esse putasset. Narrat autem de ea sic Tac. hist. I, 11 *Raetia, Noricum, Thracia et quae aliae provinciae procuratoribus cohibentur*, ut Taciti tempore i. e. Traiano imperante procuratores Raetiae praefuisse constet. Sed item praefuerant iam sub Nerone, siquidem in bello civili, quo Vespasianus imperium adeptus est, Porcius Septiminus Raetiae procurator a Tac. Hist. III, 5 commemoratur. Iam omnes provincias, quae procuratoribus parerent, constat quamvis suos praesides haberent, legatis tamen Caesaris, qui finitimum aliquem exercitum tenerent, paruisse, ut nec ea, in quibus legionum robore opus erat, ipsi administrarent et in quibusdam appellationibus maiori illorum potestati cederent. Id cum in reliquis his minoribus provinciis satis certis documentis intelligatur, tum in Iudaea, cuius procuratores imprimis nobiles sunt, plurimis rebus confirmatur. Raetia igitur et Vindelicia (nam has in unum provinciae corpus coniunctas fuisse existimo) cui legato paruit? Significant ea, quae anno 69 gesta esse narrantur. Cum enim Alienus Caecina, L. Vitellii legatus, Helvetios, qui in Galbae fide perseverabant, ulcisci statuisset, praefectus copiis quibusdam superioris Germaniae misit ad Raetica auxilia, qui ea admonerent, ut illos a tergo aggrederentur (Tac. Hist. I, 67). Alacriter postquam non modo auxilia, verum tota Raetorum iuventus advenit, utrimque Helvetii vexati sunt, totumque negotium tam celeriter confectum, ut iis nec poenitentiae nec deprecandi tempus daretur. Qua tanta celeritate auxilia illa advocari non potuissent, nisi eidem imperio paruissent. Ac quae diversi erant imperii copiae suisque

legatis parebant, enumerantur a Tacito narranturque ad partes L. Vitellii, qui tunc inferiori Germaniae praeerat, transisse (Tac. Hist. I, 55), superioris Germaniae legiones sub Hordeonio Flacco legato, Valerius Asiaticus, Belgicae praeses, Iunius Blaesus, Lugdunensis Galliae rector, Trebellius Maximus, Britanniae legatus; unae illae Raeticae copiae quamvis nominentur, sine duce tamen nominantur, ut eas superioris Germaniae legato paruisse probabile fiat (Tac. l. l. c. 59). Etenim faciamus Raetiam non fuisse coniunctam cum Germania, quoniam reliquos procuratores legatis Caesarum paruisse constat, necesse erit aliam provinciam quaeramus, cui qui praeesset, simul summum Raetorum imperium habuerit, neque invenietur nisi Pannonia, quae per vicinitatem possit admitti. Iam Pannonia, cum initio principatus Tiberii suum praesidem Iunium Blaesum tribus legionibus imperantem habuisse cognoscatur ex Tac. Annal. I, 16 sq., nondum in suae provinciae formam redacta erat, cum Tiberius Raetos Vindelicosque devinceret. Nam anno 6 p. Chr., cum ingens illa Pannoniorum seditio excitaretur, Dio LV, 29 Valerium Messalinum narrat Delmatiae et Pannoniae praesidem fuisse, ut non abhorreat a vero, postea demum extincta illa seditione propriam provinciam Pannoniam esse constitutam, antea quicquid barbarorum per illam regionem imperio Romano pareret, in Delmatiam fuisse contributum, quae ipsa imprimis causa erat, ut Delmatia provincia a senatu populoque ad Caesaris potestatem transferretur (Dio LIV, 34). Sed ne postea quidem, cum suum rectorem Pannonia haberet, Raetiam cum ea coniunctam fuisse bellum Vitellianum docet. In quo cum Germaniae omnesque quae inde penderent nationes, pro Vitellio consensissent, Pannonia, Moesia ceteraeque provinciae ad orientem spectantes Vespasiani partes sequerentur, Tac. hist. III, 5 narrat Raetiam cum procuratore suo fuisse infestam Vespasiano, at Pannoniae praesidem T. Ampium Flavianum ad Vespasianum accessisse, de Norico nihil addit, sed tradit idem copias quasdam auxiliares cum Noricorum iuventute ad occupandam ripam Aeni fluminis, quod Raetos Noricosque interfluit, esse missas, nimirum ut si qui Vitellianorum impetus in provinciam Vespasiano parentem

fierent, repellerentur. Hinc, ut Raetiam cum Germania, ita Noricum cum Pannonia coniunctum fuisse intelligemus. Quare quoniam Pannonia Noricum habuit contributum, non poterimus existimare, eidem fuisse adiunctam Raetiam, praesertim quam in eo bello, quod per exercituum factiones gereretur, a Pannonicis legionibus dissensisse viderimus. Nec vero Raetia Germaniae praesidi ab imperatore aliquo subdita est, cum antea alia cum provincia fuisset coniuncta, sed exitu iam Augusti eam Germaniae rectori paruisse ostendit Tac. Annal. I, 44, qui Germanicum narrat, postquam legionum Germanicarum seditionem composuit, veteranos in Raetiam misisse, ut provinciam adversus Suevos imminentes tuerentur. Neque enim Germanicus ultra Gallias tunc ullum imperium habebat, qua de re paulo infra disputabimus. Neque alia de causa Raetorum Vindelicorumque cohortes in exercitu Germanici in Germaniam ingressae erant (Tac. Annal. II, 17), quam quod omnis Raetia et Vindelicia eius imperio cum reliquis provinciis Gallicis parebat. Quamquam illud merito dubitari potest, num procuratores illi, quos Nerone imperante Raetiae et Norico sub imperio legatorum Germaniae et Pannoniae praefuisse vidimus, iam sub Augusto fuerint. Mihi quidem, etsi nihil certe affirmari posse intelligo, non videtur ac nescio an Claudius anno 42 p. Chr. initio imperii sui, cuius memoria apud Tacitum periit, cum Mauritanias equitibus regendas traderet, item ad vetus Iudaeae exemplum alias minores provincias procuratoribus permiserit: nullum certe eorum vestigium Augusti aetate reperitur.

Docuimus igitur, exeunte Augusti principatu Raetiam Vindeliciamque cum Gallia fuisse coniunctam, diximus etiam, cum Raetia subigeretur, Tiberium ex Gallia esse profectum, ut planum certe esse videatur, eam postquam in provinciae formam redacta est, in Gallicam aliquam provinciam esse contributam. Sed in utram tandem putabimus, in Belgicam an in Lugdunensem? In illam certe existimare debebit, qui Plinii auctoritatem sequetur, qui cum diligenter provinciarum populos recenseat, Helvetios, Raetorum vicinos, in Belgica enumeret. Ubi autem ille Raetos habet? Nusquam in Galliae quidem descriptione, sed recensita Italia libr. III, 20, 133 in

gentibus Alpinis nominat Raetos et Vindelicos. Num igitur eum in reliquis populis enumerandis diligentem, in Raetorum gente negligentem fuisse putabimus? Non arbitror, sed hoc colligendum esse censeo, cuius temporis provincias Plinius recenseat, eo Raetiam Vindeliciamque nondum subactam fuisse vel nondum in provinciae formam redactam. Nam quin Raetorum populi iam aliquanto ante, quamvis suis legibus suisque moribus viverent, tributum tamen populo Romano pendere consuerint, non dissentio. Sequitur igitur Plinius eam Galliarum divisionem, quae ab Augusto initio principatus sui instituta atque imprimis ab Agrippa confirmata est, quem solum auctorem ab illo citari videmus § 105, in quam divisionem si quid eorum, quae postea acta sunt, notabile videretur, subiunxit, veluti de colonia Agrippinensi. Quodsi hoc egisset, non ut regiones populosque recenseret eiusque recensionis recte instituendae causa aliquam, quae certe tradita esset, provinciarum Romanarum descriptionem eligeret, sed ut per quas provincias imperium Romanum regeretur, definiret, cum alia multa facienda erant, tum aut Vespasiani tempora, ad quae accommodaretur, eligenda aut quid deinceps ex superiore descriptione immutatum esset, significandum erat. Nunc constantiam aut aequalitatem parum sane eum curasse confitebimur magnamque cautionem adhibebimus, ne ex iis quae dicit, in errorem inducamur. Similisque prorsus mihi videtur esse Pannoniae Noricique descriptio, quae a Plinio ita adiungitur Delmatiae Illyricoque, ut nulla provinciae fiat mentio (libr. III, 24, 146 sq.), cum Moesia vicina appelletur provincia: quare hos quoque populos ad eorum temporum rationem, quibus nondum suum praesidem acceperant, ab eo recensitos esse arbitramur. Strabo vero totus in hac disputatione negligendus est, qui Galliae ipsius populos non provinciarum ordine enumeret, nedum ut quae gentes republica tantum, non locorum regionumque situ coniungerentur, eas ad Galliam potius quam eo quo natura pertinere intelligeret, recensere debuisse videatur.

Quae cum ita sint, hoc maxime tempore, quo Tiberius ex Gallia Raetis bellum intulit, Gallicas provincias ita mutatas

esse suspicamur, ut et Plinius et Strabo recte tradiderint. Ante annum 16 a. Chr. Belgica ad fontes Rheni Rhodanique pertinebat, qualem Plinius definit, tum accepta clade Lolliana Augustus cum ipse advenisset, et Lollium ad inferiorem Rheni partem, ut barbaros repelleret, reliquit (nam hoc et ex iis quae Dio LIV, 20 narrat, coniicio et quod Augustum etiam postea Lollii opera usum esse video, facile credo), et ipse Lugduni, opinor, quae opulentissima earum regionum urbs erat, consistens (ac consuesse Augustum cum in Galliis esset, Lugduni maxime commorari narrat Dio LIV, 36) Tiberium contra Raetos, qui item arma moverant, misit. Sic factum, ut, quoniam legatorum provinciae separandae erant, Lugdunensis iam ad Rhenum ultraque extenderetur magnamque eorum, qui antea Belgicae fuerant, populorum partem comprehenderet. Quamquam haec, quae explicavimus, coniecturae esse videmus, neque in ea ita persistemus, ut non, si quid melius ab alio afferatur, facile de ea deducamur: illud certe videmur demonstrasse, parum recte facere, qui de errore vel Strabonis vel Plinii declamitent neque per tam diuturnum Augusti imperium fieri potuisse cogitent, ut Galliarum divisio mutaretur.

Sed hoc loco, ut populorum Gallis Germanisque vicinorum fortunam illustraremus, fines huic disputationi propositas paulum egredi Raetiaeque et Norici cum Pannonia coniuncti historiam ulterius persequi placuit. Ac Raetiam quidem imperatoris Traiani aetate ita Germaniae superioris legatis paruisse, ut suos tamen procuratores haberet, paulo supra diximus. Eademque ratio postea constitit. Nam Capitolinus in M. Aurel. c. 8 narrat, cum Catti in Germaniam ac Raetiam irrupissent, contra eos missum esse Aufidium Victorinum, quem inde prorsus ex vetere consuetudine et Germaniae superiori et Raetiae praefuisse intelligemus. Accidit autem hoc Cattorum bellum ipso initio imperii divorum fratrum, si quidem et ab Capitolino ante bellum Parthicum ab Vero susceptum collocatur, et bellum Britannicum, quod eodem tempore irrupisse narratur, a Sex. Calpurnio Agricola, cos. anni 145, ut Borghesio in Mem. Inst. arch. I p. 41 videtur, iam anno 162 p. Chr. gestum esse probabile est. Cf. E. Hübner. in Mus. Rhen. XII, 1 p. 61.

Intellexerat tamen, opinor, Marcus vel plures esse hostes vel maiorem provinciam, quam quae ab uno legato satis defenderetur. Etenim Capitolinus Pert. c. 2 sic narrat: *Marcus imperator, ut compensaret iniuriam* (Pertinaci ab inimicis illatam), *praetorium eum fecit et primae legioni regendae imposuit statimque Raetias et Noricum ab hostibus vindicavit. Ex quo eminente industria studio Marci imperatoris cos. est designatus.* Raetiam igitur Pertinax rexerit anno 172 p. Chr. necesse est; nam consulatum eum absentem anno 175 gessisse scimus (Borgh. Diurn. Arcad. 1824, 2 p. 64). Legio autem illa non potest esse nisi ea quae Adiutrix appellatur, siquidem Minerviam tunc constat in Germania inferiore, Italicam in Moesia inferiore stationem habuisse, utramque in regionibus a Raetia et Norico longe remotis. Adiutrix autem erat in Pannonia inferiore, quam cum imperator ipse Carnunti constitutus tamquam suam provinciam tueretur, uni ex legionibus, quas secum habebat, Pertinacem, alteri Claudium Pompeianum praefecit itaque Raetias et Noricum hostibus liberavit (Dio LXXI, 3). Certum igitur est Pertinacem, cum Raetiam regeret, non alii imperatoris legato paruisse, sed ipsum legatum Augusti leg. I Adiutricis fuisse atque Augusti legatus ab Dione l. l. appellatur, unde tunc Raetiam ab Germania superiore separatam sublatoque procuratore, qui sub tutela legati Germaniae Raetis praefuerat, peculiarem legatum institutum esse discimus. Sed cum Pertinax consulatu ornatus in Asiam ad Cassianam seditionem opprimendam abisset, quid factum est Raetia? Num restituti sunt veteres procuratores? Non arbitror nec barbaros existimo ita fuisse fugatos, ut prorsus tuta pax esset. Successisse Pertinaci videtur T. Iulius Maximus Brocchus Servilianus, qui apud Orell. n. 6490 *leg. Aug. leg. I Adiutricis* appellatur, cuius cum omnes honores hanc maxime aetatem significant tum legatio legionis primae Pertinaci simillima est. Erat enim, id quod magnopere observandum est, legatus Augusti.

Quo loco reperio minus a viris doctis esse intellectum, quid inter ipsos eos, qui legionibus praefuerunt legatique legionum appellari solent, discriminis intercesserit, quorum alii

legati legionis, alii legati Augusti legionis proprie dicuntur. Omnium enim et quae senatui parebant et quae ipsius imperatoris potestati subiectae erant, provinciarum hoc erat proprium, idque non modo supra iam diximus, verum etiam infra insigni exemplo ostendemus, ut penes unum omnium rerum et civilium et militarium administratio esset: quare qui rector erat provinciae, is militibus in provincia collocatis praeerat, qui militibus imperabat, idem omnia praesidis munera implebat appellatioque cum a militari dignitate sola fere petatur, non minus tamen ad ius dicendum pertinet. Si qua autem in provincia plures legiones collocatae essent, unus, penes quem summa rerum erat, omnes ita regebat, ut singulis legionibus singuli legati praeessent; ille unus Augusti legatus et erat et dicebatur, hi simpliciter legati, cum proprie legatorum Augusti legati essent. Itaque si quis legatus Augusti legionis et si quis legatus legionis omisso Augusti nomine appelletur, hoc interest, quod illum, qui ab ipso principe, non ab eius legato mandata acceperit, ei provinciae praefuisse intelligimus, in qua una tantum legio esset, quam dum regit, omnia in provincia praesidis munera tuetur, hic in provincia pluribus legionibus munita unam rexit. Cuius rei documentum cum reliquae provinciae exhibent, tum eae, quae unam tantum legionem habent, velut Numidia, cui qui praeest, modo *leg. Aug. pr. pr. provinciae Numidiae*, modo *leg. Aug. pr. pr. leg. III Aug.* appellatur, pari significatione ac potestate. Neque enim utrum pro praetoribus dicantur fuisse necne, videtur quicquam habere discriminis. Ut omnes legati, non modo qui minores provincias regunt, verum etiam qui maximas, cum sint pro praetoribus, vel nominantur ita vel non nominantur, nec ulla apud eos aut omisso praetoris nomine detractio aut addito amplificatio potestatis fit, ita hos qui a principe ipso singularum legionum curam acceperant, et fuisse omnes censeo praetoria potestate, sine qua exercitus recte obtineri non poterat, et appellari tamen modo pro praetoribus, modo non appellari. Nihil certe est, quod eos, qui pro praetoribus vocentur, provinciis praefuisse, qui non vocentur, legionibus tantum, non simul provinciis praefuisse existimemus; quod qui statuit, et rem imperio

Romano, quale tunc quidem erat, ignotam inducat, ut legiones ab provinciis separet, et monumentorum auctoritate refellatur. Nam Marco imperante M. Claudius Fronto apud Orell. n. 5478 dicitur *leg. Augg. pr. pr. exercitus legionarii et auxiliorum per Orientem in Armeniam et Osrhoenam et Anthemusiam ductorum*, qui cum certe nullam obtinuerit provinciam, nullos populos rexerit, tamen pro praetore appellatur. Rursus autem, qui legionem III Augustam regebat, eundem cum constet Numidiae provinciae praefuisse saepissimeque *leg. Aug pr. pr.* appellari, tamen apud Renier. Inscr. Alger. n. 1839 P. Iulius Iunianus Martialianus vocatur *legatus leg. III Aug. Severianae Alexandrianae praeses*, ut in ipso eo titulo, in quo praeses praedicetur, propraetoris significationem omissam esse videamus. Quae cum ita sint, qui legati Augusti legionis alicuius dicuntur, quamvis non saepe pro praetoribus appellentur (nam rara ea exempla esse reperio), omnes praetorio iure fuerunt ac simul cum legionibus provincias rexerunt. Invenio autem harum legionum dici legatos Augusti, quos ita affero, ut minus anxie quaesivisse me fatear neque omnes a me aut titulos aut legatos recenseri existimem. De *legione I Adiutrice*, item de *legione III Aug.* dictum est; *legatus Aug. leg. I Italicae* L. Novius Crispinus Martialis Saturninus est apud Orell. n. 7420 α et L. Iulius Lucilianus *leg. Augusti leg. I Ital.* in titulo Dacico, ut videtur, apud Mur. 495, 7; *leg. Aug. leg. I M* (inerviae) *in Dacia*, sed lectionis incertae, Q. Lollius Urbicus sub Hadriano apud Orell. 6500; *leg. Aug. pr. pr. leg. III Ital.* Appius Cl. Lateranus, cos. anni 197, Augustae Vindelicorum apud Orell. 1399; *leg. Aug. leg. III Gallic.* L. Aurelius Gallus in titulo Romano apud Grut. 1091, 8; *legatus Aug. leg. IIII Flaviae* in titulo Nemausensi T. Iulii Maximi Brocchi, de quo iam dictum est, apud Orell. 6490; *leg. Aug. leg. VI Victr.* L. Minicius Natalis in inscriptione Tiburtina temporis Hadriani apud Orell. 6498; *leg. Aug. leg. VI Vic.* L. Iunius Victorinus in titulo Britannico apud Orell. n. 6744 similiterque Henzen. apud Orell. 6050 supplevit; *leg. Aug. pr. pr. provinc. Iudaeae et leg. X Fret.* Pompeius Falco sub Traiano apud Orell. 5451; *leg. Aug. leg. X Gem.* P. Iulius Geminius Marcianus apud Orell. 6911

(Ren. Inscr. Alger. n. 1818) et *leg. Aug. leg. X G.* P. Claudius Pallas in titulo Pannonico apud Orell. 4964; *leg. Aug. leg. XI C. P. F.* L. Iulius Marinus sub Traiano apud Marin. Act. fratr. arv. tab. LVIII et *leg divi Antonini Aug leg. XI Cl.* M. Claudius Fronto apud Orell. 5478; multi *legati Augusti legionis XIII Geminae* in titulis Dacicis, velut Grut. 32, 2; Maff. Mus. Ver. 248, 6; Orell. 1248 et 1917 et 1943; *leg. Nervae leg. XVI Flaviae Firmae* et *leg. Traiani leg. VI Ferratae* apud Orell. 364. Hos igitur invenimus Augusti legatos legionum, sed fuisse puto aliquanto plures. Nam quod molestum sane est, saepe in titulis etiam iis, qui publice positi sunt, fit, ut Augusti mentione omissa qui superiores dignitate sunt, reliquis legionum legatis pares esse videantur. Unum exemplum iam attulimus rectoris Numidiae, qui legatus leg. III Aug. nominatur, alia sunt in titulis Dacicis apud Maff. Mus. Ver. 238, 6 et 241, 4 et 247, 6 et 249, 8, ubi legatos leg. XIII G. eadem potestate praeditos fuisse existimo atque illos Augustorum legatos, quos citavimus. Insigne etiam exemplum duo tituli M. Claudii Frontonis apud Orell. 5478 et 5479 exhibent, quorum in priore plenius dicitur legatus Augusti, in altero simpliciter *leg. leg. I Min. leg. leg. XI Cl* Quare ut in iis qui legati tantum legionis vocantur, multos latere existimabimus, qui ab imperatore ipso mandata acceperint, ita illud intelligemus, nunquam eos, qui cum sub alius legati imperio essent, minore potestate uterentur, Augustorum legatos esse dictos. Quamquam etiam altera haec cautio adhibenda est, ne omnes, qui Augustorum legati fuerunt, provincias simul cum militibus rexisse statuamus. Nam non modo ad provincias tuendas, verum etiam ad alios usus Augustorum legati militibus imponebantur, velut paulo ante M. Frontonem, ut legiones auxiliaque per Orientem duceret, legatione ab Augustis ornatum esse vidimus, idemque in eodem titulo *leg. Augg. legionis primae Minerviae in expeditionem Parthicam deducendae* appellatur. Cf. Renier. Inscr. Alger. n. 1818. Nihilominus tamen ad varias provinciarum divisiones inveniendas hoc, de quo disputavimus, legatorum discrimen erit utilissimum.

Sed ut ad Raetiam redeamus, ad annum fere 176 p. Chr.

pervenimus, quo legionem I Adiutricem ad eam tutandam peculiari legato paruisse intelleximus. Ab eodem autem M. Aurelio Dio LV, 24 refert legionem III Italicam in Raetia esse institutam: qui etsi in illo legionum catalogo eam cuique legioni provinciam tribuit, in qua quaeque Alexandri tempore quo scripsit, erat, tamen legio III Italica, quamdiu omnino fuit, in Raetia videtur fuisse, priorque legio I Adiutrix alio esse translata. Unam igitur habebat legionem nova provincia, sed suum Augusti legatum nominaturque paulo post Appius Cl. Lateranus XV *vir sacr. fac. cos design. leg Aug. pr. pr. leg. III Ital.* apud Orell. 1399, ex qua inscriptione eam videmus praetoriis viris ita consuesse mandari, ut spem consulatus afferret. Reliqui legati nullam temporis significationem habent; nam nec Terentius Pudens Uttedianus *leg. Augg. propraet. provinciae Retiae* apud Orell. 1943 nec *ille leg. Aug. pr. pr. provinc. Rae* apud Steiner. Cod. Inscr. Rhen. n. 291, cuius nomen periit, quo tempore vixerit cognoscitur, sed vixisse tamen probabile est aetate Severi.

Simile Raetiae erat Noricum, attributum diu in Pannoniam, ut diximus, initio quidem in Illyricum. Etenim de huius quoque provinciae origine atque initio ab vulgari sententia discedendum esse existimamus. Olim quidem anno 8 p. Chr. Pannonia putabatur esse instituta, quo tempore ne bellum quidem Pannonicum ipsum, quod Tiberius gessit, finitum esse constat; tum Borghesius in Annal. Inst. arch. anni 1844 p. 320 annum 10 p. Chr. praetulit. Nam anno 14 p. Chr. post excessum Augusti Tacitus Annal. I, 16 narrat Pannonicas tres legiones, quibus Iunius Blaesus praeesset, seditionem fecisse, eodemque tempore i. e. sub mortem Augusti initiaque Tiberii Delmatiam a P. Cornelio Dolabella rectam esse docet titulus Delmaticus apud Orell. 2365, quem *civitates superioris provinciae Hillyrici leg. pro pr. Divi Augusti et Ti. Caesaris Augusti* posuisse dicuntur; item Velleius II, 112 Dolabellam narrat, quo tempore Blaesi legiones deficerent, suarum in maritima parte Illyrici disciplinam servasse. Hinc Borghesius anno 14 p. Chr. duas provincias diversas, Delmatiam et Pannoniam, fuisse atque huius originem ad annum 10 continuo post bellum

Pannonicum finitum referendam esse colligit. Sed etiamsi anno 14 fuisset propria provincia Pannonia (nec fuisse paulo post intelligemus), tamen non deberet videri anno 10 esse condita. Nam Pannoniae et Delmatiae, quas existimant, primi legati fuerunt Iunius Blaesus et P. Dolabella, qui ex quo Pannonia domita est, usque ad Tiberii principatum permanserunt. Nec vero Blaesus aut Dolabella anno 10 in Illyrico esse poterant; nam ille a Cal. Iul., hic a Cal. Ian. eius anni consulatum gessit (Orell. 6442). Neque omnino tunc iam ex more Romano nova provincia condi poterat. Nam Tiberius quamvis confecto bello, propter cladem Varianam non anno 10, sed demum mense Ianuario anni 12 triumphavit prosequentibus legatis, quorum opera in Pannonia usus erat (Suet. Tib. 20). Tum rite nova provincia institui poterat, quam antea Tiberii legati ipso absente tenuerant, sed non esse institutam docet Augustus ipse in monumento Ancyr. V, 44: *Pannoniorum gentes devictas per Tib. Neronem, qui tum erat privignus meus et legatus, imperio populi Romani subieci protulique fines Illyrici ad Istri fluminis ripam*, quo loco, si novam ipse provinciam condidisset, certe Pannoniam nominasset. Item qui Velleii II, 125 verba accurate interpretabitur, tum quidem Pannoniam nondum fuisse peculiarem provinciam intelliget; siquidem Blaesum ait *in Illyrico* legionibus praefuisse, Dolabellam in maritima parte Illyrici. Quare quamdiu Augustus viveret, unam provinciam Illyricum servatam esse videmus. Nimirum Tiberius cum anno 12 p. Chr. triumpharet, imperium non deposuit, sed cum Germanico paulo post Germania et Gallia cum octo legionibus tradita esset, ipse ne neglectus esse videretur, totum Illyricum cum quinque legionibus, quas absens per legatos regeret, accepit, ac prorsus ex vetere more factum est, ut anno 14 Tiberius in Illyricum proficisceretur, ut Velleius II, 123 ait, *ad formanda pace, quae bello subegerat* i. e. ut res Pannoniorum componeret, fortasse etiam novam provinciam, quam condi placuisset, institueret. Neque huic rationi obstat, quod P. Dolabella in titulo quem citavimus, *Divi Augusti et Ti. Caesaris Augusti legatus* appellatur. Nam postquam Augustus anno 13 lege lata Tiberio concessit, ut aequum cum

ipso ius in omnibus provinciis haberet, quamdiu supervixit Augustus, nulli Augusti, nulli Tiberii separatim erant legati, sed omnes Augusti et Tiberii, qua de re infra plura dicentur. Veruntamen si Tiberii initiis Illyrici nomine Pannonia comprehendebatur, quando ea propriae provinciae ius accepit? Certe non ante annum 20 p. Chr., quo cos. M. Valerio Messalla et M. Aurelio Cotta in fastis Ostiensibus (Orell. 6443) sic notatur: *V Cal. Ian. Drusus triumphavit ex Illyrico.* Etenim Drusus, Tiberii filius, anno 17 in Illyricum profectus est (Tacit. Annal. II, 44), quod Suevi ab Cheruscis opprimerentur, quo tempore Maroboduus, Marcomannorum rex, receptus est. Versabatur igitur cum imperio ad Danubii ripam in Norico et Pannonia (Tacit. ibid. c. 63), sed erat tamen etiam in Delmatia, ubi Germanicus in Asiam proficiscens eum visit (Tac. c. 53). Rediit Drusus in urbem propter mortem Germanici, sed denuo ad Illyricos exercitus missus est ineunte anno 20 (Tac. Annal. III, 7), ubi Piso in Delmatia versantem adiit. Nonne igitur apertum est, et Pannoniam et Delmatiam cum quinque legionibus, quae in iis erant, sub communi Illyrici nomine ei esse traditas? Triumphumque paulo post ex Illyrico egit (Tac. Annal. III, 19). Neque perturbari debemus, quod Tiberius ipse post bellum Pannonicum triumphasse *ex Pannoniis* dicitur in calendario Praenestino; nam recte fit, ut ex populo, qui nullam ipse provinciam efficiat, triumphus nominetur, sed ut ex alia provincia triumphus nominetur, alii qui triumphavit praefuerit, fieri non potest. Neque illud rationi nostrae adversatur, quod P. Dolabella etiam cum adesset Drusus, in provincia mansit; certe Iaderae eum anno 19 p. Chr. fuisse titulus apud Spon. Miscell. erud. antiq. p. 181 docet. Quamquam utrum tunc Tiberii an Drusi legatus fuerit, incertum est, sed alterum hoc probabilius cum quia Drusi imperium Germanico, sub quo nullos Tiberii legatos in Germania fuisse constat, aequatum esse putamus, tum quod in titulo, quem diximus, *leg. pro pr.*, non *legatus Augusti* appellatur. Redisse autem Dolabellam eodem fere tempore quo Drusum videmus ex Tacito Annal. III, 47, qui iam anno 21 eum in senatu Romano dixisse refert. Quae cum ita sint, anno 20 p. Chr.

nondum ulla fuit provincia Pannonia, latuitque sub nomine Illyrici, sed postquam Drusus in urbem revertit, Pannonia condita, duabus legionibus instructa, proprio legato tradita est. Nam apud Tacitum Annal. IV, 5 Tiberius Pannoniam, Moesiam, Delmatiam in provinciarum recensione commemorat.

Noricum igitur, cum usque ad annum 20 p. Chr. Illyrico, tum Pannoniae adiunctum esset, habuit tamen suos procuratores, quorum complures ex inscriptionibus Latinis collegit I. G. Seidl. in Relationibus Acad. Vindob. anni 1854 p. 62, sub Claudio C. Baebium Atticum procuratorem Ti. Claudi Caesaris Aug. Germanici in Norico (Orell. 6938), Q. Paetum Memmium Apollinarem proc. prov. Noricae (Grut. 437, 7), Ustienum Secundum et Bassaeum Rufum (Orell. 3574), Flavium Titianum sub Antonino Pio. Nam ille lapis Celeianus, in quo est: POS. P. AUG. FLACCO ET GALLO, non procuratorem aliquem anni 174 p. Chr., sed aliud nescio quid videtur significare. Equidem nihil inveni, cur non, postquam Pertinax in Raetia et Norico adversus barbaros pugnavit, etiam Noricum in propriae provinciae formam redactum esse videatur. Instituit etiam ibi M. Aurelius legionem II Italicam, quae nisi ab legato regi non potuit (Dio LV, 24): ac postea nominantur legati, velut Ti. Cl. Candidus, Severi dux, apud Orell. 798, C. Macrinius Decianus *leg. Augg.* (Valeriani et Gallieni) *pr. pr. prov. Numidiae et Norici* apud Orell. 7414 γ, M. Ulpius Acilianus *benef. cos leg. II Ital.* in lapide Celeiano apud Seidl. l. c. p. 83, nec dubium est, quin Q. Herennius Silvius Maximus, qui *legat. leg. II Italicae et alae Antoninianae* vocatur apud Orell. 6745, legatus Augusti in Norico fuerit legionemque atque alam, quae provinciam tuebantur, in titulo suo exprimendas curaverit. Cf. Orell. n. 6506.

Veruntamen, ut ab hac digressione ad id, quod nobis propositum est, revertamur, substitit Augustus in Gallia prope triennium rediitque in urbem anno 13 a. Chr. a. d. IV Non. Iul. (mon. Ancyr. II, 33 cum nota nostra), postquam paulo ante iam Tiberius ad consulatum anni 13 gerendum Romam revertit. Relictus est in Gallia ad bellum cum Germanis gerendum Drusus Nero, Tiberii frater (Dio LIV, 25). Is quae-

ritur qua potestate fuerit. Num uni tantum ex Gallicis provinciis praefuit? an maiore quodam iure utebatur? De prima eius expeditione sic tradit Dio LIV, 32, eum principes Galliae ob censum, qui tunc primum agebatur (Liv. epit. CXXXIX), res novas molientes Lugdunum convocasse ad aram Augusto condendam (Suet. Claud. 2; Strabo IV, 3, 2), tum prope insulam Batavorum Rhenum transisse, Usipetes et Sigambros et Frisios et Chaucos superasse: quorum illud facere non poterat nisi qui Lugdunensi praeesset, hoc nisi Belgicae. Rexit igitur utramque. De Aquitania tacetur quidem, sed non quod eam non rexerit, ut opinor, sed quod in ea nihil memoria dignum gestum est, ut prorsus Drusum universae Galliae, quae imperatoris esset, ab Augusto praefectum esse iudicem. Sic confundebatur quasi illa provinciarum descriptio, quae modo instituta erat; neque enim necesse erat, tres haberet Drusus legatos, sed prout belli rationes poscere videbantur, etiam plures legionibus praeficere poterat. Hieme autem in urbe peracta rediit Drusus in Germaniam anno 11 itemque anno 10, quo praetor erat, quamquam Augustus et Tiberius eum comitabantur (Dio LIV, 36), idem habebat imperium quod antea, siquidem et in Cattos expeditionem suscepisse narratur (Dio l. l.; Flor. IV, 12, 26), et filius eius Claudius illo ipso anno Lugduni natus est Cal. Augustis (Suet. Claud. c. 2), unde eum non minus Lugduni quam ad inferiorem Rhenum imperasse videmus. Neque magis anno 9, quo consulatum gessit, imperium deposuit, sed propere transgressus in Germaniam obiit (Dio LV, 1; Liv. CXLII; Vellei. II, 97). Quadriennium igitur summum Galliarum imperium ita tenuit vitrici legatus, ut singulas provincias per suos legatos rexisse videatur. Successit autem fratri Tiberius (Vellei. II, 97), quem Augustus cum ipse in Galliam profectus esset, item ut illum universae Galliae praefecit. Neque enim quod Dio LV, 6 narrat: τὸν δ' οὖν Τιβέριον ἐς τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἀρχὴν ἀντὶ τοῦ Δρούσου προαγαγὼν τῇ τε ἐπικλήσει ἐκείνῃ ἐγαύρωσε καὶ ὕπατον αὖθις ἀπέδειξε, aliter intelligi potest, nisi sic, ut Tiberio imperium Galliarum ac ius suorum legatorum singulis provinciis praeficiendorum, quod olim Drusus habuerat, delatum esse existi-

memus. Rexit igitur universam Galliam Tiberius anno 8 a Chr., rexit item anno 7, sub cuius principium cum in urbem ad consulatum redisset, non multo post in Germaniam abiit (Dio LV, 8) neque ulla re memorabili gesta revertit.

Hoc tempore Tiberii fortuna deficere coepit. Augustus enim, cum C. et L. Caesares aperte tamquam heredes imperii ostentaret, primum in tanto Galliarum imperio relinquere noluit ornatumque anno 6 a. Chr. tribunicia potestate Syriae praeficere cogitabat; quod quoniam ille sub specioso nomine ad ignominiam suam pertinere intelligebat, commeatu aegre impetrato Rhodum discessit (Comment. epigraph. II p. 99). Sed in Galliae imperio quis ei successerit, non traditur neque erat quisquam cum domo imperatoria tam coniunctus, cui Augustus tantas provincias committeret. Divisum igitur est imperium, quod Tiberius tenuerat, eoque magis, quod iam multis victoriis videbatur esse effectum, ut barbari minus essent metuendi. Quamquam unus nominatur L. Domitius, de cuius morte narrans Tac. Annal. IV, 44 haec pauca habet: *ipse delectus, cui minor Antonia, Octavia genita, in matrimonium daretur, post exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania quam quisquam priorum, easque ob res insignia triumphi adeptus est.* Is propinquus erat Augusti, quoniam Antoniam, ex sorore eius neptem, in matrimonio habebat, sive minor ea erat, ut Tacitus ait, sive maior, ut Suet. Claud. 1 et Plutarch. Anton. extr. referunt, ut ne partem quidem Galliae datam esse intelligamus nisi ei, qui propter affinitatem fide dignus esse videretur. Eundem autem Suet. Ner. c. 4 *non minus aurigandi arte in adolescentia clarum, quam deinde ornamentis triumphalibus ex Germanico bello* appellat. Gessit igitur Germanicum bellum et ex Germania triumphum retulit. Sed utrum Belgicae an Lugdunensi Galliae, cum referret, praefuit? Nesciremus prorsus, nisi in fragmento Morelliano Dionis Vol. III p. 363 ed. Sturz. haec essent: Ταῦτά τε οὖν ἅμα καὶ τὰ τῶν Κελτῶν ἐκινώθη. ὁ γὰρ Δομίτιος πρότερον μὲν ἕως ἔτι τῶν πρὸς τῷ Ἴστρῳ χωρίων ἦρχε, τούς τε Ἑρμουνδούρους ἐκ τῆς οἰκείας οὐκ οἶδ' ὅπως ἐξαναστάντας καὶ κατὰ ζήτησιν ἑτέρας γῆς πλανωμένους ὑπολαβὼν ἐν μέρει τῆς Μαρκομαννίδος κατῴκισε, καὶ τὸν

'Αλβίαν μηδενός οἱ ἐναντιουμένου διαβὰς φιλίαν τε τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις συνέθετο καὶ βωμὸν ἐπ' αὐτοῦ τῷ Αὐγούστῳ ἱδρύσατο. τότε δὲ πρός τε τὸν Ῥῆνον μετελθὼν καὶ ἐκπεσόντας τινὰς Χερούσκων καταγαγεῖν δι' ἑτέρων ἐθελήσας ἐδυστύχησε καὶ καταφρονῆσαι σφῶν καὶ τοὺς ἄλλους βαρβάρους ἐποίησεν. Duae in his discernuntur L. Domitii expeditiones, duae provinciae, quarum in priore cum esset, et Albim transiit et feliciter pugnavit, in altera cum Cheruscorum exules reducere vellet, Rhenum transgressus parum prospere rem gessit. Nam unius certe provinciae esse non possunt, quae a Dione narrantur, qui cum dicit eum quo tempore populis ad Istrum imperaret, cum Hermunduris feliciter pugnasse, haud dubie aliam esse significat illam provinciam, quae ad Istrum erat, aliam, ex qua Rhenum traiecit. Triumphum autem certe L. Domitius in ea provincia adeptus est, in qua bene rem gesserat, i. e. in priore. Sed quae tandem erat? Tres omnino tunc erant ad Istrum provinciae, Moesia, Illyricum, Lugdunensis Gallia, haec quidem secundum ea, quae supra a nobis exposita sunt, nuper admodum Raetia subiecta tam late propagata. Iam duae illae certe dici nequeunt; ex quibus et per ignotas prorsus gentes iter erat ad Albim et qui profectus esset, vix diceretur Germanicum bellum gessisse. Neque afferri debet exemplum Drusi, quem Tac. Annal. II, 44 in Illyricum ait missum esse, ut Suevis opem contra Cheruscos postulantibus auxilium ferret. Neque enim intrare Germaniam iubebatur, sed provincias Romanas, si quem barbari impetum facerent, tueri, (cf. II, 62 sq.) et tamen Galliae potius quam Illyrico esset praefectus, nisi Tiberius, qui Germanicum modo ex Galliis revocasset, earum provinciarum quietem satis tutam esse significare voluisset. Ceteri autem Romanorum imperatores, qui ad Albim penetrarunt, a Rheno omnes profecti sunt, ut paulo post Tiberius (Vellei. II, 106), ut Domitium unum ab Istro exisse credi nequeat. Relinquitur igitur Lugdunensis Gallia, cui L. Domitius praefuerit, quam qui negant usque ad fontes Rheni et Danubium pertinuisse, quae Dio tradit, nullo modo explicare poterunt. Nunc insigne hinc existet argumentum, quo et quae Strabo de finibus provinciarum Gallicarum docet et quae ipsi

supra de tempore, quod apud Plinium illustretur, disputavimus, confirmentur. Sed quando L. Domitius Galliis praefuit? Olim Pighius Annal. III p. 523 putabat anno 12 a. Chr. eum in Germania bellum gessisse, quo tempore Drusum, privignum Augusti, Galliis praefuisse intelleximus. Nulla prorsus praesidum Galliae lacuna relinquitur nisi haec quae fuit postquam Tiberius Rhodum concessit, cum Augustus propinquorum suorum subsidio orbatus eos, quos remotius propinquitatis vinculum teneret vel quorum fidem plane spectatam haberet, maximis exercitibus praeficere coepit. Pervenit igitur in Lugdunensem Galliam L. Domitius anno fere 6 a. Chr. exeunte mansitque ad annum 2 a. Chr., tum Belgicam accepit, in qua provincia pontes longos, quos Tac. Annal. I, 63 commemorat, munivit, mansitque ad annum 2 p. Chr.; hic enim annus in fragmento Morelliano succedit iis, quae de Domitio narrantur.

Secutus autem est L. Domitium sine dubio C. Sentius Saturninus, is, de quo comment. II p. 84 et 122 disputavimus. Etenim fuisse eum in Germania testantur et Vellei. II, 105 et 110 et Dio LV, 28, ad eundemque fragmentum tituli Tiburtini pertinere demonstravimus. Sed qua potestate fuerit quaeritur; certe enim parum proprie loquitur Dio l. l., qui eum Γερμανίας ἄρχοντα appellat; nam nulla imperante Augusto provincia Germania fuit, neque quod Velleius priore loco habet: (Tiberius cum) *in iis quae minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus patris eius in Germania erat, praefecisset*, quomodocunque scribendum esse putabimus, ita licebit interpretari, ut ab illo quoque Germaniam provinciam dici existimemus. Nihil hic quidem dicit, nisi hoc, Saturninum et legatum Augusti fuisse et in Germania esse versatum ac bellum gessisse. At ambigitur in iis ipsis verbis, utrum esse oporteat *qui tum — erat*, in quibus *erat* pro eo, quod codex et editio princeps *fuerat* habent, scribitur, an *qui iam — fuerat*, in quibus *iam* mutatum est ex eo quod apud eosdem testes est *tum*. Hoc significat Saturninum antea Augusti, postquam Tiberius advenit, huius legatum fuisse, illud mansisse ei veterem potestatem etiam sub Tiberii imperio, ut res ad quaestionem de Tiberii potestate redeat. Nimirum Tiberius cum

anno 2 p. Chr. in urbem redisset, triennium remotus ab re publica tamquam privatus vixit (Suet. Tib. c. 15), tum extinctis C. et L. Caesaribus anno 4 adoptatus ab Augusto et confestim in Gallias contra Germanos missus est. De potestate ei permissa tacent auctores nec tribunicia potestas, quam ei delatam esse constat, ad imperium militare valuit; proconsularis autem potestas ei anno demum 13 p. Chr. lege consulari data est (Vell. II, 121; Suet. Tib. c. 21). Sed iam antequam adoptatus est, eum supra ostendimus non uni alicui Galliarum provinciae, sed omnibus coniunctim praefuisse, quare fieri non potest, ut tunc eum honore atque dignitate auctum minore imperio fuisse eoque, quod a patre ipso accipere poterat, caruisse existimemus. Apertoque documento est, quod Dio l. l. narrat, cum Saturnino ornamenta triumphalia decernerentur, simul et Augusto et Tiberio imperatoris nomen esse partum, item illud, quod Tiberius parans anno 6 p. Chr. irruptionem in Germaniam cum Pannoniorum et Delmatarum cognovisset seditionem, subito copias convertit, (Vellei. II, 108; Dio LV, 28) nullo novo imperio auctus, ut ei non Galliarum modo, verum etiam Illyrici, fortasse etiam vicinarum provinciarum imperium datum esse censeam. Quod si non habuit, antequam seditio exarsit, certe paulo post accepit, ut unius summo ductu bellum gereretur. At fuerant tamen legati Augusti eodem tempore, ne alios commemorem, M. Valerius Messalinus, cos. anni 3 a. Chr., qui τῆς Δαλματίας καὶ Παννονίας ἄρχων dicitur ab Dione LV, 29 et praepositus Illyrico a Vellei. II, 112, A. Caecina Severus, cos. anni 9 a. Chr., qui Μυσίας ἄρχων a Dione l. l. appellatur, C. Vibius Postumus, cos. 5 p. Chr., quem Vell. II, 116 praepositum Delmatiae nominat, alii. Omnino igitur parem tunc Tiberius potestatem videtur habuisse ac postea Germanicus, cum in Syriam mitteretur, cui cum omnes provinciae transmarinae permissae essent, suos tamen rectores habuerunt Syria et Asia et Bithynia et Galatia, et paulo ante C. Caesar, Augusti filius, cum ad Parthos reprimendos in Armeniam proficisceretur (cf. Comment. II p. 102). Quae cum ita sint, et apud Velleium, quod olim dixi, teneo, scribendum esse *qui tum legatus patris eius in Germania erat* et Sentium

Saturninum cum legatus Augusti in Galliam Belgicam (nam huic eum praefuisse quae Velleius narrat, ostendunt) missus esset, mansisse cum eadem potestate statuo usque ad annum 6 p. Chr., quo P. Quinctilius Varus ei successit. Quamquam etiam qui Lugdunensi provinciae praefuit, coniectura non certa illa quidem, sed quae tamen a probabilitate non abhorreat, videtur posse inveniri. Etenim Vellei. II, 116, quo loco adulandi causa aetatis suae egregios viros laudat, C. Vibium Postumum, de quo diximus, affert, L. Passienum Rufum, cos. anni 4 a. Chr., Cossumque Lentulum (de quo cf. Comment. II p. 91), qui Africae proconsules fuerant, L. Apronium, quem ait Delmatico bello excelluisse, A. Licinium Nervam Silianum, quem cum patriae dignitati aequatus esset, maiori spei immatura morte praereptum esse queritur, denique L. Aelium Lamiam, de quo haec habet: *Nam et Aelius Lamia vir antiquissimi moris et priscam gravitatem semper humanitate temperans, in Germania Illyricoque et mox in Africa splendidissimis functus ministeriis non merito, sed materia adipiscendi triumphalia defectus est.* Ex his L. Apronium et A. Licinium facile credo fuisse Tiberii legatos, praesertim cum hic ita prope nominetur a Dion. LVI, 12, ac cum essent in hac legatione consulatu ornati sunt, ille Cal. Iul. anni 8 p. Chr. M. Furio Camillo suffectus, hic Cal. Ian. anni 7 p. Chr. Sed his longe vetustior consularis erat L. Aelius; fuerat enim anno 3 p. Chr., quattuor annis etiam ante M. Aemilium Lepidum, legatum Tiberii (Vell. II, 114 sq.), cuius tamen causa erat singularis, quia per Scriboniam affinitatem quandam cum Augusto habebat. Quodsi L. Aelius legatus Augusti, non Tiberii erat, quoniam Belgica a Sentio Saturnino, Illyricum a M. Valerio et C. Vibio Postumo occupatur, necesse est tenuerit Lugdunensem Galliam, cui dum praeest, accidere facile potuit, ut et optime mereretur magnamque rei militaris scientiam non modo in Germania verum etiam conflato bello Pannonico in Illyrico ostenderet, et occasione triumphi adipiscendi careret. Quamquam coniectura sane haec est, quae utrum vera sit an falsa, ad summam disputationem non multum interest.

Successisse autem C. Sentio in Gallia Belgica constat P.

Quinctilium Varum anno 6 p. Chr., ut videtur; hoc enim postremum decessor eius commemoratur. De Varo quae nota sunt, explicavimus in Comment. II p. 85, ex quibus illa duo nunc afferimus, et veterem eum fuisse consularem maximaque provincia Syria functum et coniunctum cum domo imperatoria, ut non sine magna quadam cautione Augustus tanti exercitus curam mandasse videatur. Cuius quam tristis anno 9 p. Chr. exitus fuerit, notum est; sed cum praeses ipse occidisset, reliquias exercitus finesque ipsarum Galliarum tutatus est L. Nonius Asprenas, qui avunculi sui Vari legatus duas legiones ducebat (Vell. II, 120; Dio LVI, 22). Atque ita extractus est ille annus vacua praeside Gallia Belgica. Nam insequenti demum anno Tiberius cum supplemento militum ab Augusto missus advenit, eodem imperio ornatus quo antea, sed ita tamen diverso, quod Augustus ipse nullos tunc suos legatos in Galliis videtur habuisse: nulli certe commemorantur neque eos si ulli fuissent Velleium existimo praetermissurum fuisse silentio. At comitabatur eum Germanicus, quem Dio LVI, 25 tunc pro consule imperium habuisse ait, quamquam praeturam nondum gesserat (ibid. c. 26), unde eundem, cum anno 7 item praeter Tiberium in ipsa quaestura in Delmatiam mitteretur (Dio LV, 31), nullo maiore imperio praeditum fuisse colligemus. Sed illa proconsularis potestas qualis tandem erat? Certe non ea, quam paulo post Tiberius Augusto ipsi aequalem ex Sconsulto accepit, sed haec opinor, similis ei, quam et in Galliis et in Asia Syriaque postea habuit, ut in imperatoriis provinciis, si qui essent Augusti legati, plus posset quam hi, in senatoriis plus quam qui a senatu missi praeessent. Aequavit igitur Augustus Germanicum Tiberio, nisi quod huius imperium fortasse ad plures provincias pertinebat: hoc certe efficere volebat, ut Tiberius, cuius caritati minus fidem habebat, pari Germanici potestate coërceretur: illi autem non in imperatoriis modo provinciis, sed in Narbonensi quoque Gallia, quae tunc senatus erat, summum imperium fuisse ostendit, quod Vell. II, 121 eum dissensiones Viennensis coloniae composuisse narrat. Nemo igitur privatus homo per biennium illud, quod Tiberius post cladem Varianam in Gallia commoratus est, ibi legatus

Augusti erat, nec magis anno 12 p. Chr., quo et Germanicus consulatum Romae peregit et Tiberius ex Pannoniis Delmatisque triumphavit. Quid enim attinebat in unum annum Gallias legatis tradere, quas et absentibus Tiberio et Germanico, cum nullus tunc a barbaris metus esset, satis recte ab eorum legatis obtineri sciret et proxime totas Germanico tradere constituisset? Nimirum exacto consulatu Germanicum anno 13 p. Chr. in Gallias missum esse ex certissimo Suetonii Calig. c. 8 testimonio constat. Illo enim anno Augustus cum ipse imperium quintum in decem annos suscepisset, Tiberium, quem iam antea tribunicia potestate et proconsulari imperio et earum, quas ipse haberet, et senatoriarum provinciarum ornarat, supra Germanici potestatem elatum sibi ipsi prorsus aequavit. Hoc est, quod Tac. Annal. I, 3 ait Tiberium collegam imperii assumptum esse, et Suet. Tib. c. 21 *ac non multo post lege per consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret*, et plenissime Vell. II, 121 *et senatus populusque Romanus, postulante patre eius, ut aequum ei ius in omnibus provinciis exercitibusque esset quam erat ipsi, decreto complexus esset.* Longe haec potestas superior erat atque et Tiberius antea habuerat et Germanicus accepit. Hic enim etsi plus valebat quam qui cuique provinciae vel a senatu vel ab imperatore missus praeerat, non minus tamen ipse erat imperatoris legatus, mandata ab eo accipiebat, denique ei parebat. At Tiberius deinceps, quia collega imperii erat, communiter cum Augusto mandata dabat quique exercitibus praeerant, iam legati Augusti et Tiberii rite appellabantur, nec si qui ita dicuntur, necesse est etiam post mortem Augusti provincias tenuerint, sed ipso anno 13 hoc legitimum eorum erat nomen. Quare C. Ummidium Quadratum, qui apud Mommsen. Inscr. Neap. n. 4234 quaestor divi Augusti et Ti. Caesaris Aug. appellatur, non necesse est anno 14 quaesturam gessisse, sed recte etiamsi anno 13 tantum gessisset, ita appellaretur. Prorsus enim simile est P. Dolabellae exemplum, quod supra p. 114 allatum est. Qua ratione cum Augustus Tiberium secum ipso exaequasset, eidem Germanicum opposuit, id quod significat Tac. Annal. I, 3, ut, etiamsi aliunde de anno, quo hic Galliis

praeesse coepit, non constaret, ex tempore, quo Tiberius in consortionem imperii receptus est, certa coniectura posset fieri. Sed iam ipsum hoc Germanici imperium quale fuerit describendum est. De eo breviter summamque rem spectans Tacitus Annal. I, 3 ait: *At hercule Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legionibus imposuit* (Augustus), similiterque Sueton. Cal. c. 1 eum *missum ad exercitum in Germaniam* dicit (cf. Vell. II, 123 et 125), quocum fere consentiens Dio LVII, 3 praesidem Germaniae appellat. Sed accuratior longe notitia ex iis peti potest, quae Tac. Annal. I, 31 post mortem Augusti apud exercitus Germanicos gesta esse narrat, cum nondum quicquam ex iis, quae Augustus instituerat, mutatum erat. *Duo*, inquit, *apud ripam Rheni exercitus erant: cui nomen superiori, sub C. Silio legato; inferiorem A. Caecina curabat. Regimen summae rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui tum intentum.* Hinc discimus minus recte ab Dione Germanicum dici Germaniae praesidem; regebat enim non modo exercitus Germanis oppositos, sed etiam Galliam, cuius censui agendo intentus erat, cum nuntius de morte Augusti advenit. Nec probabile est, cum Plinius ac Strabo nulla Germaniae provinciae mentione facta quattuor Galliarum provincias ab Augusto institutas esse referant, ipsis extremis eiusdem annis aliam divisionem esse coeptam, cuius commemorationem Strabo certe omittere non potuit. Sed nominabat Dio quod in omni Germanici potestate longe praecipuum erat, itemque Tacitus, cum legionibus eum praefuisse scribit, unde nemo tam imperitus aut rerum aut scriptorum Romanorum erit, qui legiones tantum, non etiam provincias ab eo rectas esse colligere velit. Quis enim, si imperium spectaret ac quantum quisque in republica posset intueretur, ullo tunc in numero haberet provincias inermes? quae praeda potius erant ac praemium belli quam ullum in bello momentum afferebant. Itaque cum omnes provinciae pro numero legionum, quas habent, censentur, tum Tacitus, quod longe erat in Germanici potestate maximum, legionum octo regimen, id unum commemorat Dioque, quod ad limitem Germaniae collocatae erant legiones, Germaniam eius provinciam appellat. Quamquam praeter legiones etiam

populos paruisse significat Tacitus, cum ait censum Galliarum ab eo esse actum. Itemque habet c. 33 *interea Germanico per Gallias, ut diximus, census accipienti excessisse Augustum affertur* et c. 34 *Sequanos proximos et Belgarum civitates in verba eius* (Tiberii) *adigit;* c. 39 Germanicus *apud aram Ubiorum* esse narratur et c. 41 ad Treviros mittere uxorem atque liberos et c. 43 Belgae dicuntur auxilium adversus Germanos obtulisse, tum c. 44 veteranos in Raetiam mittit, c. 45 ad locum cui Vetera nomen est, proficiscitur, multaque alia referuntur, unde Belgicam Galliam, quae ex Augusti divisione erat, Germanico paruisse colligamus. Cf. etiam Suet. Calig. c. 8. Quae tamen sola si in eius imperio fuisset, vix Tacitus Gallias dixisset, unde necessario etiam Lugdunensi Galliae eum imperasse intelligemus. Atque idem alio quodam modo potest coniici. Tacitus enim eum narrat, postquam de Augusti morte comperit, Sequanos proximos et Belgarum civitates in verba Tiberii adegisse. Ubi igitur erat Germanicus, cum nuntius de morte Augusti afferretur? Non fuisse apud inferiorem exercitum Tacitus paulo post ostendit, audita eum seditione eo profectum esse referens; nec magis erat apud superiorem, quem deinde compressa interim inferioris seditione adiit (c. 37). Quis igitur ille locus erat Sequanis propinquus, quo Germanicus, dum census Galliarum agit, versabatur? Lugdunensis, opinor, colonia, in qua etiam Augustum, cum Gallias componeret, saepe versari consuevisse supra ostendimus. Lugdunensem igitur Galliam non minus Germanicus tenebat quam Belgicam, sed, ut existimo, etiam Aquitaniam, quae nisi Galliarum nomine comprehenderetur, addere aliquid debuisse videtur Tacitus. Quare totas Gallias Germanici imperio paruisse censeo. Nam quod Tacitus I, 71 ad supplenda exercitus damna certasse ait Gallias, Hispanias, Italiam, quod cuique promptum esset, arma, equos, aurum offerentes, non puto pro argumento esse posse, ut in illis quoque provinciis aliquid ei imperii fuisse arbitremur, quarum provinciarum quod studiis laudatis dona non accepit, ea ipsa de causa videtur fecisse, ne fines imperii sui egredi existimaretur. Etenim Galliarum quidem, in quibus legitimam potestatem habebat,

donis eum sane usum esse ostendit ipse Tacitus Annal. II, 5. Veruntamen quaeritur etiam quale Galliarum imperium Germanicus habuerit; siquidem et alios Augusti propinquos vidimus et Germanicum ipsum postea scimus ita praefuisse provinciis, ut praeter eos essent legati Augusti subiecti tamen illorum summae quasi potestati; contra Tiberium ita intelleximus Galliis imperasse, ut ipse quos vellet rebus gerendis praeficeret suisque tantum legatis uteretur. Ex utro igitur genere tunc erat Germanici imperium? Num praeter eum Augusti et Tiberii legati singulis Galliarum provinciis praeerant? Iam per se ipsum quidem parum hoc videatur esse probabile; nam Augustus certe, qui eum Tiberio opponere volebat, potentiam eius prorsus infregisset, si alios ei suos legatos addidisset, nec ipsi quibus uti vellet eligere permisisset. Sed certiora ex iis quae Tacitus narrat, colliguntur. Etenim c. 31 sic habet: *duo apud ripam Rheni exercitus erant: cui nomen superiori, sub C. Silio legato, inferiorem A. Caecina curabat.* Hos per ipsam, qua erant dignitate, sane facile existimabimus legatos fuisse Augusti et Tiberii in Belgica et Lugdunensi; nam C. Silius, filius consulis anni 3 p. Chr., consulatum gesserat Cal. Ian. anni 13 p. Chr., A. Caecina longe etiam vetustior erat consularis, quippe qui iam anno 9 a. Chr. propter bellum Pannonicum egregie gestum cum Druso consulatum accepisset Cal. Iuliis loco T. Quinctii Crispini Sulpiciani. Sed ita iis legatis usus est Germanicus, ut eos non ipsius, sed Tiberii fuisse sibique proprium imperium habuisse nemo credat. Nam primum Caecina duas legiones iubetur in hiberna ducere (I, 37), tum in ipsa expeditione anno 14 suscepta expeditas tantum cohortes habet nec ullam legionum partem. At insequenti anno quattuor legiones ducit, reliquum exercitum ipse Germanicus, (I, 56) ut C. Silius in Gallia sine exercitu relictus esse videatur; deinde in altera expeditione Caecina etsi etiam legionibus aliquando praeest (I, 63), tamen modo expeditam tantum manum ducit (I, 61), modo cohortes alias (I, 60). Denique anno 16 C. Silius et A. Caecina primum classi fabricandae praeponuntur (II, 6), tum Silius cum expedita manu in Chattos irrumpit (II, 7) et auctumno cum

magno numero copiarum rursus Chattos vastat (II, 25). Unde C. Silium et A. Caecinam, quos Tacitus ait octo legionibus Germanicis praefuisse, cum, prout iuberet Germanicus, modo hoc modo illud administrarent, modo pluribus modo paucioribus copiis praeessent, intelligimus non Augusti et Tiberii, sed ipsius Germanici fuisse legatos idque in Silio infra etiam alio certissimo argumento demonstrabimus. Erant igitur prorsus eodem loco quo L. Apronius, qui consul non minus fuerat anno 8 p. Chr., quo Germanicus item ad varia negotia usus est (I, 56), ac tribus his consularibus eius legatis ornamenta triumphalia decreta sunt (I, 72). Reliqui legati erant praetorii, P. Vitellius (I, 70) et C. Antius (II, 6) et L. Seius Tubero (II, 20), quem propterea Tiberius sibi ipsi in consulatu suffecit anno 18 p. Chr., cuius nomen dubito an libr. II, 6 in corrupto illo vocabulo *Anteius*, quod vulgo legitur, lateat. Sex igitur legatis utebatur Germanicus praeter legionum quidem legatos, ex quibus C. Caetronius nominatur I, 44, ac quamquam tres ex iis erant consulares summa dignitate militarique fama, nemo tamen ab imperatore accepta potestate suum exercitum habebat. Iam igitur sapientia Augusti apparet, qui cum Tiberium coercendum esse putaret, Germanico validissimas legiones et peritissimos duces et opulentissimas provincias tradidit; apparet etiam paulo post Germanico, cum in Asiam Syriamque mitteretur, ademptam esse magnam potentiae partem nec redditum quod in Galliis habuerat. Nam iuxta eum Cn. Pisonem Syriae missum ab Tiberio ipso praefuisse constat (Tac. Annal. II, 43), nec quod transmarinae senatus provinciae eius summo imperio mandabantur, etsi magnam speciem habebat, tantundem verae potentiae afferebat.

Rediit autem Germanicus ex universae Galliae imperio anno 17 p. Chr. triumphavitque a. d. VII Cal. Iun. (Tac. Annal. II, 41). Quis ei successerit, solet ignorari nec Tacitus, qui bella et civiles actiones referre mallet, commemorare operae pretium duxit, qui si nostrae potius utilitati, quam arti iucunditatique consulere voluisset, commemorare debuit. Quid enim existimamus fecisse Tiberium? Nolebat ille amplius bellum geri vel, si essent utique barbarorum impetus repellendi,

Drusum filium cupidum gloriae imperiique esse ostendebat (Tac. Ann. II, 26). Iam quietem per proximos insequentes annos in Germania fuisse, Drusum autem vel in urbe vel in Illyrico versatum esse (Tac. Ann. II, 44) scimus. Probabile igitur est, reductam esse veterem Galliarum divisionem, ut, quae pars imperatoris esset, tribus legatis, Belgico, Lugdunensi, Aquitanico pareret. At duas ex his provinciis vix Augustus, gloria rerum gestarum atque amore populi Romani satis tutus, alienis hominibus commiserat ac fere coniunctos secum aliqua necessitudine elegerat, quos tantis copiis praeficeret, nedum Tiberium existimemus, qui et natura suspicacior esset nec sine causa res novas timeret, temere legatos suos ingenti potentia ornasse. Atque auctus erat extremo Augusti tempore numerus legionum, ut quattuor ad inferiorem, quattuor ad superiorem Rhenum essent, quas ipse Augustus nemini praeter Tiberium et Germanicum mandarat. Quae cum ita sint, si quam post Augustum provinciarum partitionem commemorari videamus, qua legatorum potentia minuatur maiorque imperatori securitas paretur, eam hoc maxime tempore institutam esse veri erit simile. Iam frequens postea est Germaniarum, quas sub Augusto nullas fuisse docuimus, commemoratio, quarum principium ad Tiberium potissimum imp. referendum esse intelligemus. Eaque res certissimis testimoniis confirmatur. Etenim quinto anno postquam decessit Germanicus ex Galliis, i. e. anno 21 p. Chr., motus quidam per Gallias extiterunt concitati ab Iulio Floro Treviro et Iulio Sacroviro Aeduo, quos narrans Tacitus Annal. III, 41 Visellium Varronem Germaniae inferioris legatum nominat. Unde igitur subito Germania inferior eiusque legatus extitit, nisi Tiberius post reditum Germanici provincias illas Germanias instituisset? Quamquam sic sex annorum spatium relinquitur, quo novae provinciae potuerint institui: licet autem ipsum annum invenire. Etenim cum Florus ille, quem dixi, populares suos ad arma capienda concitasset, *petebat saltus, quibus nomen Arduenna, cum legiones utroque ab exercitu, quas Visellius et C. Silius adversis itineribus obiecerant, arcuerunt* (Tac. Annal. III, 42). Hic C. Silius est ipse ille legatus Germanici, de quo

supra diximus, quem hoc loco legatum Tiberii Germaniae superioris appellari apparet; nam et utrumque exercitum, quem Tacitus dicit adversis itineribus esse obiectum, certum est non posse esse nisi eum, qui in inferiore et alterum qui in superiore Germania erat, et Visellium quidem Germaniae inferioris legatum fuisse modo vidimus. Idem autem C. Silius anno 24 p. Chr., quod ex amicis Germanici maxime Tiberio invisus erat, maiestatis accusatus est. De eo sic refert Tacitus Annal. IV, 18 *amicitia Germanici perniciosa utrique* (Silio et Titio Sabino), *Silio et quod ingentis exercitus septem per annos moderator partisque apud Germaniam triumphalibus Sacroviriani belli victor* (erat) — *Credebant plerique auctam offensionem ipsius intemperantia, immodice iactantis suum militem in obsequio duravisse, cum alii ad seditiones prolaberentur, neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset.* Invisus igitur erat Silius Tiberio, quod inter amicos Germanici sexto anno ante defuncti fuerat, deinde quod ingentem exercitum rexerat, nimirum Germaniae superioris, quo bellum Sacroviri confecerat. Sed septem illi anni qui fuerunt? Nescimus enim quando Silius ex provincia Romam redierit. Quamquam probabile est eum paulo ante decessisse quam accusatus est ac sic solemus de omnium reorum causis iudicare; sed faciamus id non esse solitum, quid iam de Silio reperitur? In duplici quasi provinciae genere commemoratur, primum anno 14, cum Germanicus universae Galliae praeesset, quo tempore eum exercitui superiori quattuor legionum praefuisse ostendimus (Tac. Ann. I, 31), nec certe ipso tempore quo Augustus obiit, in provinciam pervenit, sed superiore, opinor, anno, postquam in consulatu Cal. Iul. anni 13 M. Aemilius Mamercus Scaurus et Cn. Firmus suffecti sunt. Deinde nominatur in bello Sacroviri, quod anno 21 gestum est, quo confecto si continuo in urbem redisset, plus quam octo annos in provincia explesset, non septem, qui a Tacito numerantur. Necesse igitur est, hi septem anni aliter efficiantur deductoque illo tempore, quo Germanicus Galliis praeerat Siliusque quia non Tiberii, sed Germanici legatus erat, superiorem quattuor legionum exercitum regere minus recte dici poterat, hi

tantum anni intelligantur, quibus Germanico Romam reverso Tiberii legatione functus est. Atque ab anno 16 p. Chr., quo Germanicum a Tiberio revocatum esse scimus, ad annum 24, quo Silius accusatus est, ipsi septem anni efficiuntur, unde duo haec iam aperta sunt, primum, quod supra aliis argumentis demonstratum est, cum Germanicus Gallias regeret, nullum in iis provinciis fuisse legatum Tiberii, deinde, continuo postquam Germanicus decessit, Germanias et inferiorem et superiorem a Tiberio esse institutas. Memorabile autem est, quantopere Tacitus, quamvis septem annos numerando duas C. Silii legationes discernat, in rebus eius gestis utramque permisceat; nam triumphalia ornamenta meruerat fideque legionum continenda Tiberii imperium stabiliverat in legatione Germanici, Sacrovirum vicerat in legatione Tiberii.

At enim cum tempus, quo Germaniae institutae sint, invenerimus, de natura earum provinciarum pauca disputanda sunt redeundumque ad Fechteri et Mommsenii opiniones, quas supra commemoravimus. In quibus quid cum universa republica Romana pugnare videatur, exposuimus, diximus etiam de Ammiano Marcellino XV, 11, apud quem quae leguntur, aut pugnare cum historia aut levi transpositione verborum emendanda esse ostendimus. Sed adversari videtur etiam Ptolemaei libr. II, 6 auctoritas, qui Galliam (Κελτογαλατίαν appellat) in quattuor provincias, Aquitaniam, Lugdunensem, Belgicam, Narbonensem, dividens deinceps uno capite Belgicam cum Germania inferiore et superiore complectitur: qua illi auctoritate sic utuntur, ut Germanias ullas omnino provincias fuisse neget Fechterus, Mommsenius ex alio quodam genere fuisse existimet. Ac solet sane reliquas provincias singulas singulis capitibus illustrare, velut Raetiam et utramque Pannoniam et utramque Moesiam; cur igitur Germanias annectit Belgicae? Primum, opinor, quod fines Germaniarum sane exigui erant neque ii, quos geographus propter artem suam magnopere referendos esse putaret, ut, qui imperium Romanum flumine Rheno describeret, facile ad Germanias communiter cum Belgica recensendas adduceretur. Nam quod Gallias quadrifariam dividit, nonne tradit rectissime? Siquidem

Germanos non complectitur Galliae nomen, de quibus simillime omnino Ptolemaeus statuit ac Dio Cassius LIII, 12, quem locum supra citavimus, qui distinguens Germanos Gallorumque quasi colonos quosdam appellans Galliae tamen adiungit. Denique unde tandem constat, nisi quae suum caput apud Ptolemaeum compleat, non esse provinciam? Nam ut Orientis provincias, quarum ratio certissime illam normam redarguit, hoc loco praetermittam, nec Numidia nec Asturia, quas suis tamen praesidibus paruisse infra demonstrabimus, peculiaribus capitibus a Ptolemaeo illustratur, sed illa Africae, haec Tarraconensi Hispaniae adiungitur. Reliqua, quibus Mommsenius nullam provinciam, quae proprie dici posset, Germaniam fuisse demonstrabat, sunt sane leviora. Nam quod Tacitus hist. I, 8, ubi totum imperium quale initio belli civilis fuerit recenset, exercitus tantum Germanicos, non provincias Germanias commemorat, facit ideo, quod omnis potentia sita erat in exercitu ac legionibus, nulla in populis ipsis, apud quos legiones versabantur, ac fallantur certe, qui, quod ibi una Hispania, unum Illyricum, duo in Asia exercitus nominantur, nullas praeterea provincias fuisse colligant. Deinde, etsi in multis monumentis et a multis scriptoribus Germaniae saepe appellentur provinciae, nullam tamen esse ait provinciam, cui tam raro provinciae nomen addatur quam Germaniis. In quo moleste sane fero, omnem rationem ad numerum revocari. Nam si bis appellentur provinciae, quater non appellentur, quid efficiatur? Nihil hercle nisi parum constantem usum fuisse, siquidem et casu accidit, ut ii quos habemus tituli supersint, et alia aliorum est natura, cum multi privatim ab hominibus parum peritis, alii publice illi quidem, sed vel in civitatibus obscuris vel in provinciis parum Latinitate excultis, pauci omnino et publice et ab iis, quos accurate dicere voluisse sciamus, positi sint, in quibus ipsis rursus casu sculptorumque arbitrio multa administrata sunt. Quare quod in insigni sane titulo Praenestino (apud Marin. Arv. p. 793) C. Caesonii Rufiniani Africa et Lusitania et Achaia et Asia et Baetica et Narbonensis dicuntur provinciae, una Germania superior non dicitur, quid ostendit nisi aut errorem sculptoris aut aliquem alium casum? Neque

illud magni faciendum esse censeo, quod Mommsenius vetustissimas inscriptiones, in quibus provinciae Germaniae appellentur, sibi videri dicit esse ex Hadriani tempore, A. Platorii Pollionis (Orell. n. 822) et Q. Lollii Urbici. Sit hoc ita (neque enim tanti hanc rem existimavi, ut quaerendi laborem susciperem), certe simul docendum erat, multas esse prioris aetatis, in quibus provinciae nomen deesset, tum significandum, quid in Germaniarum natura mutatum esse videretur, ut quo nomine antea caruissent, id Hadriano imperante acciperent. Neque eiusmodi quicquam afferri poterit. Equidem tantam in nomine provinciae vel omittendo vel addendo inconstantiam invenio, ut nihil prorsus ex eo colligi posse existimem. Veluti quis dubitat, quin Syria fuerit provincia? At in ἀκεφάλῳ inscriptionis fragmento, quod cum aetatis Augusteae sit, Sentio Saturnino tribuendum esse docuimus in Comment. epigraph. II p. 125, etsi Asia dicitur provincia, Syria et Phoenice eo nomine caret, itemque caret in celebri titulo M. Ciceronis filii apud Mommsen. Inscr. Neap. n. 4320, qui *leg. imp. Caes. Aug. in Syria* appellatur. Ac ne quis hoc ideo factum esse putet, quod principio Augusti provinciarum ratio minus certe constituta fuerit, in C. Ummidii Quadrati inscriptione apud eund. Mommsen. n. 4234 est *leg. Ti. Caesaris Aug. prov. Lusit.*, tum *procos. provinc. Cypri*, at *leg. divi Claudi in Illyrico, eiusdem et Neronis Caesaris Aug. in Syria.* Quo quid potest esse inconstantius? Vetustissima certe erat provincia Asia eaque saepissime etiam in inscriptionibus sic appellatur, at in nobilissimo titulo apud Mommsen. l. l. n. 3601 Eprius Marcellus dicitur *procos. Asiae III*, quamvis in eodem *provincia Cypros* commemoretur. Quare cum inutile esse videatur, haec, quae ab libidine vel sculptorum vel eorum, qui titulos posuerunt, profecta sunt, pluribus persequi, nihil ea ad naturam Germaniarum definiendam valere censemus. Nec magis moveor, quod, cum tot reperiantur legati Germaniae inferioris vel superioris, semel apud Mur. p. 763, 2 in fragmento inscriptionis, quod parum certam explicationem admittit, *leg. pr. pr. exerc. Germ. infer.* commemoratur, et apud Kellerm. Vig. n. 247 C. Popilius Pedo *legatus imp. Caesaris Antonini Aug. Pii pro pr. Germaniae super.*

et exercitus in ea tendentis dicitur, quo tempore nescimus an propter bella aliqua plures solito legiones in Germania fuerint certaque de causa Germanici exercitus mentio facienda fuerit. Nihil igitur in his causae est, cur singularem aliquam Germaniarum rationem fuisse statuamus, at multa et ab Mommsenio allata sunt et infra a nobis afferentur, quae certos earum provinciarum fines certosque incolas fuisse ostendant.

Veruntamen quoniam commemoravimus Numidiam, cuius exemplo qui Germaniam provinciam fuisse negant, maxime utuntur, faciendum videtur esse, ut de hac quoque pauca disputemus erroreque, qui nuper irrepsit, sublato ne de Germania peccetur, provideamus. Statuit igitur Theod. Mommsen. in Bullett. Inst. arch. ann. 1852 p. 165 (act. societ. literar. Lips. ann. 1853 p. 213), cum Caligula anno 37 p. Chr. Africae proconsulis potentiam minuere vellet, missum esse eo legatum, qui cum proconsule ita imperium divideret, ut ipse legionem III Augustam et Numidiae partem solus obtineret ac praeterea in provincia proconsulari quicquid ad rem militarem pertinebat, administraret, proconsuli suae provinciae administratio quasi civilis relinqueretur. Hanc certe eius opinionem esse ex disputatione paulo minus subtiliter instituta coniicio; in qua coniectura etiamsi minus quod dixit, assequar, hoc plane intelligo et negari ab eo Numidiam proprie provinciam fuisse et commune quoddam proconsulis et legati imperatorii imperium statui. Non explicabo rursus, quod supra dixi, per duo prima imperii Romani saecula nullam fuisse militaris et civilis administrationis disiunctionem, sed qui militibus praeesset, eundem populos, quos milites tuerentur, rexisse, ut ipsi etiam legionum legati praeter imperium militare iurisdictionem certarum dioecesium haberent. Sed in aliis provinciis, si fuisset ulla, ferri fortasse potuisset haec imperii divisio ac permixtio, in Africa vero nullo modo potest statui, siquidem consularis vir cum obtineret veterem provinciam, Caesaris legatum, qui praetorii ordinis erat, certe superioris imperio parere oportebat, ut timor ille, quo motus Caligula provincias disiunxit, ea ratione nequaquam tolleretur. Argumenta autem suae opinionis Mommsenius primum affert ea, quae supra in Germaniis refu-

tata sunt, quod et Ptolemaeus non singulari capite Numidiam recenseat, et Tac. hist. I, 11 provinciarum statum, qui regnante Galba fuerit persequens, Africam solam commemoret. Dicit enim sic: *Africa et legiones in ea, interfecto Clodio Macro, contenta qualicunque principe post experimentum domini minoris*, ex quibus qui non hoc intelliget, a Tacito legiones tantum numerari, provincias ipsas, quarum in bello civili nullum momentum sit, prorsus negligi, ac, quamvis divisa esset Africa in proconsularem provinciam et Numidiam, nescio tamen qua fictione (sic enim loquitur Mommsen. in act. Lips. p. 214) unam retentam esse provinciam Africam colliget, certe non minus statuere debebit, cum Palaestina bellumque Iudaicum Vespasiano mandata essent, tamen quodammodo unam fuisse provinciam Syriam iisdem quibus antea finibus comprehensam (nam unam Syriam nominat Tacitus, pro Palaestina bellum Iudaicum commemorans), similiterque de Hispania aliisque provinciis iudicare cogetur. Quodsi talibus argumentis uti liceret, imprimis quae Tacitus Hist. IV, 48 narrat, essent afferenda. Qui cum traditurum se profiteatur de divisione Africae, sic scribit: *Legio in Africa auxiliaque tutandis imperii finibus sub divo Augusto Tiberioque principibus proconsuli parebant. Mox C. Caesar turbidus animi ac M. Silanum obtinentem Africam metuens ablatam proconsuli legionem misso in eam rem legato tradidit. Aequatus inter duos beneficiorum numerus et mixtis utriusque mandatis discordia quaesita auctaque pravo certamine.* Nihil ibi de provincia disiuncta, nihil de populis divisis, milites tantum nominantur, quibuscum omnis civilis potestas coniuncta est. Quare idem Tacitus paulo post ait: *Sed tum legionem in Africa regebat Valerius Festus.* Quae possent nos in errorem quodammodo inducere, nisi superesset Dionis LIX, 20 testimonium: Ἐπειδή τε Λούκιος Πείσων ὁ τῆς τε Πλαγκίνης καὶ τοῦ Γναίου Πείσωνος υἱὸς ἄρξας τῆς Ἀφρικῆς ἔτυχεν, ἐφοβήθη μὴ νεωτερίσῃ τι ὑπὸ μεγαλαυχίας, ἄλλως τε καὶ ὅτι δύναμιν πολλὴν καὶ πολιτικὴν καὶ ξενικὴν ἕξειν ἔμελλε· καὶ δίχα τὸ ἔθνος νείμας ἑτέρῳ τό τε στρατιωτικὸν καὶ τοὺς Νομάδας τοὺς περὶ αὐτὸ προςέταξε, καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ δεῦρο τοῦτο γίγνεται. In quibus quae dissensio videtur esse cum Taciti verbis, quae supra

citavi, scite sublata est a Bart. Borghes. in Annal. Inst. arch. 1849 p. 58. Docet enim ex Dione LVIII, 23, qui propter inopiam senatorum ex senatoriis provinciis quasdam, quae consulares essent, per sex annos ab iisdem proconsulibus rectas esse narrat, et ex titulo C. Maenii Bassi, qui *M. Silani praefectus fabrum sexto* appellatur (apud Kellerm. Vig. n. 257), M. Silanum, Caii Caesaris socerum, per sex annos ab anno 32 Africae praefuisse, tum revocatum ac mori coactum esse anno 39 (Dio LIX, 8; Suet. Calig. 23; Tac. Agric. 7). Tunc igitur statuit Caligula provinciam dividere, divisit paulo post L. Pisone in Africam misso, ut hic primus angustiorem, M. Silanus postremus veterem provinciam proconsule rexerit. Sed ut hoc, quod minus huc pertinet, mittamus, vere a Caligula in duas partes Africam disiunctam esse aperte ostendit Dio. Qui cum ait καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ δεῦρο τοῦτο γίγνεται, hoc certe dicit, quod institutum sit a Caligula, usque ad suam aetatem i. e. saeculum tertium p. Chr. manere, quo tempore nemo est, qui Numidiam ab Africa proconsulari prorsus seiunctam fuisse neget; ipse enim Mommsenius imperante Septimio Severo nomen praesidis Numidiae mutatum eamque quam postea extitisse putat provinciae divisionem accidisse opinabatur. Insigne igitur hinc efficitur documentum, quo moneamur, ne scriptores de legionibus solis, quae vires imperii efficiebant, dicentes male intelligamus, sed illud utique teneamus, quod fundamentum quasi fuit imperii Romani, ut qui militibus praeesset, eundem populos, quibus milites praesidio erant, rexisse censeamus. Quare sui erant fines proconsuli Africae, sui legato Numidiae nec quicquam inter eos commune, nisi quod cum antiquitus una fuisset provincia Africa seiunctaque a ceteris provinciis mari, nonnunquam fortasse scriptores, dum minus accurate loquuntur, etiam legato Africam tribuere possunt. Neque enim, quod via, quae ab imperatore Hadriano a Carthagine Thevesten munita est (Marin. Act. fratr. Arv. p. 773; Letronn. Rev. archaeolog. 1844 p. 825), facta esse dicitur curante P. Metilio Secundo legato Augusti pr. pr., docet proconsulis et legati provincias non fuisse divisas. Siquidem si via publice imperatoris iussu per legionem III Aug. munie-

batur, muniendae oportebat praeesse eundem, qui legioni praeerat, longeque diversum est exemplum Pompeii Paulini, Germaniae inferioris legati; qui cum inconsulto imperatore fossam per Belgicam provinciam ducere pararet, iure prohibitus est a legato Belgicae (Tac. Annal. XIII, 53). Nec magis titulus ille, quem *Q. Lollio Frontoni trib. mil. leg. III Aug. praef. fabr. tert. civitates XXXXIIII ex provin. Africa, quae sub eo censae sunt,* posuerunt (Kellerm. Vig. n. 256), citari debuit a Mommsen. Bullett. l. l. p. 165, quem Tiberio imperante, nondum constituta Numidia, scriptum esse hinc intelligimus, quod praefectus fabrum tertium dicitur. Nam cum secundum ea, quae Borghesius in Annal. Inst. arch. ann. 1849 p. 47 disputavit, praefecti fabrum ita sint non legionum, sed imperatorum, ut quando imperatores imperio decedant, etiam ipsi praefectura decedant titulumque muneris totiens repetant, quotiens imperator ipse imperium, apparet legatorum Numidiae non potuisse esse praefectum fabrum tertium, nisi forte, id quod nunquam certe accidit, eundem tribus diversis temporibus ab imperatore Numidiae praefectum eodemque semper praefecto fabrum usum esse putabimus; erat enim eorum imperium diuturnum, non annuum. At proconsules Africae, qui si plus quam annum provinciam obtinerent, quotannis repetebant imperium, ubi per triennium eodem praefecto fabrum utebantur, praefectum fabrum *tertium* habebant. Quare Q. Lollium discemus proconsulis fuisse praefectum fabrum et quidem eius, qui per triennium Africam tenuisset; nec si proconsuli fuerat praefectus, sub legato fuit tribunus militum, sed sub eodem proconsule, qui legionem III Augustam regeret, confereturque rectissime C. Maenii Bassi inscriptio, quae supra citata est (Kellerm. Vig. n. 257), qui *praefectus fabrum M. Silani M. f. sextum Carthaginis tr. mil. leg. III Augustae* dicitur, item recto munerum militarium ordine, siquidem tribunatus post praefecturam dari solebat. Quae cum ita sint, nulla in illa inscriptione, quae imperante Tiberio posita est, mentio fit legati, nulla provinciae Numidiae, provincia autem Africa proprie dicitur vetus illa proconsularis, quae quicquid tunc in Africa Romanis parebat, complectebatur. Dubito autem an Q. Lollius praefectus

fabrum fuerit L. Apronii illius, quem ab anno 20 p. Chr. per triennium Africae praefuisse docent nummi apud Eckhel. Doctr. numm. IV p. 140 et Tac. Annal. III, 20. Nec satis recte Mommsenius, cum ex iis quae modo refutavimus, legati Numidiae quoddam imperium in proconsulari provincia fuisse colligeret, quasi argumenti loco affert, videri fortasse etiam per Mauretanias pertinuisse legati imperium; nam D. Fonteium Frontinianum, legatum Numidiae, narrari templum Sitifi, quod oppidum in Mauretania erat, dedicasse (Hefner. in act. acad. reg. Bavar. V, II p. 195). Quod quidem ex alio quodam genere est. Nam cum Mauretanias, quae anno 40 p. Chr. in formam provinciarum redactae sunt, constet procuratoribus equestris ordinis esse regendas traditas (Tac. hist. I, 11; II, 58; Plin. nat. hist. V, 1, 11), ac reliquas, quibus procuratores praeessent, provincias certum sit imperio legatorum, qui proximos exercitus regerent, paruisse, velut Iudaeam legato Syriae, Raetiam legato Germaniae superioris, Noricum legato Pannoniae, de quibus paulo supra demonstravimus, prorsus consentaneum erit, ut Mauretanias ei qui unus per Africam legatus Augusti erat, paruisse censeamus, tituloque Sitifensi quód per se ipsum probabile erat, confirmabitur.

Ac sensit quodammodo ipse Mommsenius, debiliorem esse suam opinionem. Quam, cum finibus proconsularis provinciae et Numidiae describendis demonstrare coepisset, quaedam rectissime disputat, pacatas civitates ac Romanis moribus iam mitigatas paruisse proconsuli, gentes barbaras, quae interiorem Africae partem incolerent, legato, tum ex iis, quae geographorum atque inscriptionum ope cognosceremus, hoc effici ait, ut nulla sit civitas, nulla gens, in qua et proconsulis et legati tituli reperiantur, sed alterutri omnes tribui. Quo nullum sane certius argumentum potest cogitari, quod suos et proconsuli et legato fines neque usquam mixtum quodammodo utriusque imperium fuisse ostendat. Sed perturbat virum doctissimum imprimis nominis, quo legati imperatorii utuntur, ratio. De qua nunc, postquam inscriptiones Africanae a Leon. Renier. colligi coeptae sunt, longe rectius iudicari potest. Nam in Lambaesitanis, quas principio habet L. Renier., multo frequen-

tissimum est, ut *leg. Aug. pr. pr.* appelletur, omisso nomine provinciae, quod, cum titulus in ipsa provincia poneretur, addi inutile erat, ut quinquiens tantum nomen esse videatur *leg. Aug. pro pr. leg. III Aug.* vel similiter addita legione. Ex ipsis autem illis quinque titulis primus, qui est n. 11, ita scriptus est, ut nomen legionis etiam ad cohortem, quae subsequitur, possit pertinere, duo, nr. 46 et 97, mutili sunt parumque certam interpretationem admittunt, reliqui duo (nr. 25 et 26) sunt M. Valerii Maximiani, qui semel *leg. Aug. leg. III Aug. pr. pr. consul*, deinde *leg. Aug. pr. pr. leg. III Aug. cos. praeses rarissimus* dicitur; sed uterque ex his titulis a militibus positus prorsus militarem morem ostendit, ut in iis legionem potissimum nominatam esse mirum esse non possit. Verum, qui extra Numidiam positi sunt tituli, possent fortasse potestatem legati demonstrare, si essent aut plures aut emendatiores aut non singulari aliqua de causa a vulgari more diversi. Nam duae illae inscriptiones (apud Mur. 691, 7 et Grut. 498, 5), in quibus *leg. leg. III Aug.* et *leg. divi Traiani Parthici leg. III Aug.* dici videatur, adeo sunt vel corruptae vel incertae lectionis, ut nihil possint demonstrare. Aliae duae, L. Calpetani Rantii Quirinalis Valerii Festi (Borgh. Bullett. Neapol. IV p. 34) et C. Pinarii Cornelii Clementis (apud Cardinal. Dipl. imper. n. 122) vix possunt admitti, quia Africae nomen, quod Mommsenius in iis invenire sibi videtur, in supplementis de coniectura additis est neque ea coniectura quamvis a Bart. Borghesio proficiscatur, aut certa satis aut ea existimanda est, ex qua de provincia Numidia debeat colligi. Ita quattuor tituli relinquuntur apud Mommsenium, quorum ille A. Egnatii Proculi, quem Grut. p. 404, 3 habet (cf. Marin. Act. fratr. Arv. p. 765), in quo est *leg. Aug. prov. Afr. dioeces. Numid.*, cum alia quaedam habet mira iam a Marinio notata, tum, etiamsi et vere traditus et recte scriptus est, singularem aliquam A. Egnatii causam fuisse ostendit. Etenim dioeceses constat appellari eas provinciae partes, quas proconsulum vel Augusti legatorum legati sub illorum quasi imperio atque auspiciis regere solent. Quare si hoc nomen in illa Numidia, quae a Caligula constituta est, quam legatus principis regere solebat,

admittemus, sequetur non tam hoc ut legatus Augusti per proconsularem provinciam militare quoddam imperium habuerit, quam illud, ut proconsul quodammodo ei, quam proprie legatus tenebat, provinciae Numidiae praefuerit, id quod nec dixit quisquam nec ullo argumento demonstrari potest nec cum consilio illo, quod Caligula in separanda Numidia minuendaque proconsulis potestate secutus esse fertur, convenit. Quid igitur faciamus? Hoc, opinor., ut dioecesim illam Numidiam diversam esse statuamus ab provincia Numidia, cui legatus praeerat, singularique aliqua de causa vel belli vel seditionis huic dioecesi, quam rursus ab Africa propria seiungi non placeret, non solitum legatum proconsulis, sed Augusti legatum, qui copiis maioribus instructus res componeret, esse impositum. Quod quamquam intelligo me sine ulla alia auctoritate disputare ac ne tempus quidem, quo haec in Africa acciderint, accuratius posse definire, (nondum enim in inscriptione illa temporis indicium inveni) non video tamen, qua alia ratione haec tanta difficultas possit superari. Veruntamen utut hoc est, illud arbitror constare, de Africae et Numidiae imperio nihil illinc posse colligi. Sic reliquae iam fiunt tres inscriptiones, quarum duae incidunt in aetatem Vespasiani, cum Africa et Numidia bello civili, quod antecesserat, concussae imprimis magna cura egerent: quo tempore factum esse, quod antea non factum esset, impositumque rectorem ab Caesare, qui discordias componeret, nihil habere potest admirationis. Quare quod Domitius Afer apud Grut. p. 403, 1 (cf. Mar. Act. fr. Arv. p. 756) dicitur *praetorius legatus provinciae Afr. imp. Caes. Aug*, non debet eo pertinere, ut Numidia cum Africa coniuncta fuisse videatur, sed hoc significat, tota proconsulari potestate abolita universam Africam traditam esse legato Augusti, ad idemque prorsus tempus spectare censeo alterum titulum apud Mur. 766, 5, quo Afri frater appellatur *qui cum esset candidatus Caesar. pr. desig. missus est ab imp. Vespasiano Aug. legatus pro praetore ad exercitum qui est in Africa et absens inter praetorios relatus*, ut tunc extra ordinem fratres Domitios Africae et Numidiae impositos esse existimem. Alio ex genere est inscriptio P. Metilii Secundi (apud Orell. 3382),

legati imp. Caesaris Traiani Hadriani Aug. pr pr. leg. III Aug. et exercitus Africani, qui cum in alio titulo (apud Marin. Act. fr. Arv. p. 773) solito more *leg. Aug. pr. pr.* appelletur, Numidiam tantum videtur rexisse, sed addita est in titulo leg. III Aug. et exercitus Africanus, quia, quod scite animadvertit Marinius, propter motus Maurorum maior tunc solito erat exercitus, auctus, opinor, non legione nova, sed auxiliis. Quare cum ne hanc quidem inscriptionem, cuius singularis causa est, eo pertinere videamus, ut illa, quam Mommsenius opinabatur, Africae et Numidiae communio quasi significetur, eo deveniemus, quo constanti imperii Romani consuetudine ceterarumque provinciarum similitudine deducimur, ut Africam soli proconsuli, Numidiam cum exercitu legato imperatoris paruisse existimemus neque eo exemplo ad falsam de Germaniis opinionem propagandam abutamur. Quod autem sub Hadriano acciderat, ut belli causa extra ordinem non proconsul, sed legatus Augusti Africae praeficeretur, idem factum est imperante Pio propter seditiones Maurorum (Pausan. VIII, 8, 3; Capit. Ant. Pio c. 5). Nam in inscriptionibus Lambaesitanis a Leon. Renier. collectis n. 19 reperitur L. Novius Crispinus Martialis Saturninus *cos. desig. leg. Aug. pr. pr. provinciae Africae*, qui idem n. 17 et 18 appellatur solito more *leg. Aug. pr. pr.* Quare, cum inscriptio posita sit Lambaesi, quam in Numidia fuisse constat, faciendum nobis erit, ut proconsularem provinciam tunc cum Numidia sub imperio legati coniunctam fuisse statuamus, non per totum illud tempus, quo L. Novius legioni III Augustae praefuit (nam et alios sub Antonino Africae proconsules praefuisse scimus et imperator tanta fuisse traditur constantia, ut bonos praesides per septem et novem annos in provinciis detineret), sed tamdiu, dum bellum a Mauris excitatum componeretur. Novum autem hinc deducetur argumentum, quo legati potestatem nihil ad proconsularem Africam pertinuisse videamus, in qua si ille militarem illam, quam Mommsenius putat, potestatem semper haberet, cum bellum ingrueret, non opus erat sublato proconsule Numidiam cum Africa uni subiungere.

Superest Asturia et Gallaecia, quam a Ptolemaeo diximus

coniunctam cum Hispania citeriore uno capite ita commemorari, ut nomen tamen eius ab reliqua provincia separetur. Quid igitur hoc significat? Num Ptolemaei aetate i. e. Hadriano et Pio imperantibus Asturia seiuncta ab Hispania citeriore suo legato paruit? An seiuncta illa quidem erat, sed ita tamen rursus coniuncta, ut qui ei praeesset, universae Tarraconensis Hispaniae legato pareret? An denique ex Augusti instituto, cum unum quasi provinciae corpus, unus legatus fuerat, nihil tunc erat immutatum? Iam nihil ab Augusti tempore in Hispania Tarraconensi esse mutatum parum est probabile; nam ex omnibus, quae imperatoris propriae erant, provinciis vix una reperietur, quae non paulatim in plures partes divisa sit. Si quid autem est immutatum, non incommode Asturia et Gallaecia nova provincia videbitur esse instituta. Id age, paulo pluribus explicemus. Etenim ab Augusto Hispanias universas constat in tres provincias esse divisas, quarum unam ulteriorem sive Baeticam proconsul, alteram Tarraconensem legatus Caesaris consularis, tertiam Lusitaniam praetorius eiusdem legatus obtineret. Itaque in Baetica quidem sub Tiberio Vibius Serenus proconsul commemoratur apud Tac. Annal. IV, 13, sub Nerone Alienus Caecina quaestor apud Tac. Hist. I, 53, sub Traiano P. Tullius Varro procons. apud Orell. n. 6497, sub Hadriano C. Oppius procons. ibid. n. 3306. Verum imperante M. Aurelio necesse est mutatio acciderit non tantum Baeticae provinciae, sed etiam Tarraconensis. Etenim de Septimio Severo Spartianus c. 2 sic tradit: *Quaesturam diligenter egit: omnibus sortibus natus militari post quaesturam sorte Baeticam accepit, atque inde Africam petiit, ut mortuo patre rem domesticam componeret. Sed dum in Africa est, pro Baetica Sardinia ei attributa est, quod Baeticam Mauri populabantur. Acta igitur quaestura Sardiniensi legationem proconsulis Africae accepit.* Haec verba vitiosa esse omnes interpretes concedunt, sed quomodo emendanda sint, parum constat nec recte emendari posse existimo sine codicum ope. Illud certum est, nullam duplicem fuisse Severi quaesturam, ut primum Romae nescio quam egerit, deinde exacto magistratu in provinciam profectus sit, qui mos cum olim in

libertate fuisset, tunc dudum erat abolitus. Sic igitur statuemus, sorte illum accepisse Baeticam, in quam cum per Africam proficisceretur, quia interim Maurorum bellum conflatum erat, mutata sorte accepisse Sardiniam. Hoc autem acciderit necesse est anno circiter 172 p. Chr. Nam praeturam Severus gessit anno aetatis trigesimo altero (Spart. c. 3) i. e., cum anno 146 natus esset, anno 177; antea fuerat tribunus plebis et legatus proconsulis Africae, quibus muneribus si quadriennium tribuemus, quaestura in eum, quem dixi, annum incidet; atque ad idem tempus Maurorum bellum, quod Capitolinus Marco c. 21 commemorat, referendum erit. Nec tamen Severi tantum quaestoria sors tunc mutata est, sed omnino tota provincia Baetica, quae in senatus potestate fuerat, cum Sardinia, quam inde ab Vespasiano imperatoris esse consuevisse in Commentat. epigraph. II p. 267 demonstravimus, commutata, mansitque aliquamdiu illa apud imperatorem, haec apud senatum. Nam L. Ragonius Urinatius Larcius Quintianus *procos. prov. Sardiniae* Commodo imperante nominatur apud Orell. n. 6492; Commodus igitur mutationem a patre factam imperii sui initio conservavit. Sed idem tamen Commodus postea, cum Maurorum metus sublatus esset, reddita senatui Baetica ipse videtur Sardiniam recepisse. Etenim circiter annum 197 p. Chr. positus est lapis miliarius apud Orell. n. 5191, in quo Marcus Marcellus V. E. Sardiniae procurator Septimii Severi et Caracalli appellatur; est etiam alius titulus apud Orell. 5494 P. Porcii Optati Flammae, qui anno 196 a senatu narratur legatus missus esse ad imp. Septimium Severum et ante eam legationem non modo praetor, sed etiam quaestor provinciae Baeticae fuisse: quae quaestura in primum Severi vel, quod magis credo, in postremos Commodi annos incidet.

Per viginti igitur fere annos ab anno 172 p. Chr. Hispaniam Baeticam imperatorum legatis, non proconsulibus ab senatu missis paruisse didicimus. Suscepta autem est haec mutatio, non ut onera provinciae levarentur, quae causa olim Tiberio fuerat, ut Achaiam ab senatu ad suam curam transferret, nec ut civitates leniore senatus imperio corruptae severiore legati disciplina componerentur, quam ob causam Plinium

ab Traiano scimus Bithyniae esse praefectum, sed belli gerendi causa, ut Mauri, qui in Hispaniam invaserant, repellerentur. Ad quam rem non legato tantum opus erat, sed imprimis legionibus, quas cum senatoria esset provincia, nullas ad id tempus in Baetica fuisse constat. At in Tarraconensi Hispania olim sub Augusto et Tiberio fuerant tres legiones (Strab. III p. 106; Tac. Annal. IV, 5), i. e. VI Victrix, X Gemina, IV Macedonica, ex quibus cum pacata videretur esse provincia, quarta et decima paulatim translatae sunt, illa in Britanniam et Germaniam (Tac. Hist. I, 12 et 18), haec ad aliud bellum, quod ignoramus: illud certum est, cum Galba imperium capesseret, unam fuisse in provincia legionem VI Victricem (Suet. Galb. c. 10; Tac. Hist. I, 16). Sed rediit paulo post quae abierat, decima legio (Tac. Hist. II, 58) additaque erat I Adiutrix, quam ab Galba conscriptam Vitellius in Hispaniam reverti iusserat (Tac. l. l. II, 67): quare cum Vespasianus ad imperium perveniret, tres rursus legiones in Tarraconensi provincia fuisse legimus (Tac. l. l. III, 44). Sed ex iis sexta et decima non multo post sunt in Germaniam missae (Tac. l. l. IV, 68) neque unquam redierunt, item I ab Vespasiano in Germaniam videtur esse avocata (interfuisse enim eam Suevorum bello sub Nerva testatur titulus apud Orell. n. 5439) mansitque in Germania et Pannonia. Eius loco ne tanta provincia legionum robore careret, missa est VII Gemina, quam unam in Hispania collocatam fuisse scribunt Ptolem. II, 6, 30 et Dio LV, 24. Quid igitur ingruente Maurorum bello Marcus faceret? In Africa universa unam constat fuisse legionem III Augustam, quae si adhiberetur, a tergo potius in Mauros invadere debebat: proximae Galliarum provinciae legionibus vacabant nec quae Germanis oppositae erant legiones, propter ingentem, qui tunc erat, omnium Germanorum motum avocari poterant, praesertim cum pestilentia per totum orbem terrarum propagata sciamus omnes exercitus adeo esse imminutos, ut imperator ad servos ac barbaros confugere cogeretur. Olim per tempora belli Vitelliani Cluvius Rufus, Hispaniae citerioris legatus, (Tac. Hist. IV, 39) cum latrocinia Maurorum timerentur, unam ex tribus, quas regebat, legionibus in Baeticam

ad littora tutanda miserat (Tac. Hist. II, 58) senatoriamque provinciam haud dubie coniunxerat: sed id et in copia legionum et in civili tumultu fecerat, cum imperator aut nihil praescriberet aut ei, cuius fidem semel probasset, quamvis ingentem provinciam committere non vereretur. Quare de M. Aurelio sic existimo, eum, ut Mauros depelleret, legionem VII Geminam in Baeticam transtulisse atque huic provinciae, qualem ab senatu acceperat, peculiarem legatum consularem praefecisse. Ut autem Tarraconensi provincia quid interim factum sit cognoscamus, *iuridicorum*, qui hoc maxime tempore commemorantur, natura perspicienda erit.

De quibus cum alii antea, tum nuper disputarunt Theod. Mommsenius script. gromat. II p. 192, Bart. Borghesius in Annal. Inst. arch. 1853 p. 195, nos ipsi in commentationibus epigraphicis II p. 40 sq. Ac Borghesius quidem hoc egerat, ut numerum iuridicorum Italiae provinciarumque, quae cuique obvenire consuesset, fines describeret, nos hac ratione, quam aliis temporibus aliam fuisse putaremus, neglecta potestatem eorum qualis fuisse videretur, explicavimus: quo in genere haec tria intelleximus, nihil prorsus eos diversos fuisse a reliquarum provinciarum rectoribus, ipsius imperatoris, non alicuius, qui superiorem potestatem haberet, legati fuisse legatos, denique, cum exercitibus carerent, praetorios fuisse. Inde etiam nominis ipsius quasi interpretatio petenda erit. Increbruit enim altero p. Chr. saeculo, ut praeter eos Caesarum legatos, qui imperatorum provinciis praeficiebantur, alii multi ad varia negotia administranda mitterentur, qui ab hoc ipso, quod impositum erat, appellabantur, velut, qui *ad census accipiendos* dicuntur sive *censuum accipiendorum*, et qui *ad corrigendum statum* vel *ad rationes putandas* civitatum mittuntur, de quibus Borghes. in Annal. Inst. arch. 1853 p. 209 et Renier. in Miscell. epigraph. p. 47 disputarunt; nec diversus est ille T. Caesernius Statius Quintius *missus ad dilectum iuniorum a divo Hadriano in regionem Transpadanam* apud Renier. Misc. epigraph. p. 75 (Inscript. Alger. n. 1817). Quibus nonne simillimos esse putabimus eos, qui in provincias exercitibus vacuas mitterentur, quibus cum iurisdictio sola obveniret, recte iuridicorum

nomen daretur? Inveniuntur autem praeter Italiam iuridici tantum in Britannia et Hispania; nam quem olim Pannoniae iuridicum reperiri putabat Borghes. Annal. Inst. arch. 1852 p. 23 in inscriptione Africana, is, postquam illa ab Leon. Renier. Misc. epigraph. p. 37 emendata est, periit. Iam de Hispaniae iuridicis Borghesius l. c. et in epistola, quae I. Marquardtii commentationi de provinciis Romanis (Lipsiae 1854) p. 8 inserta est, sic statuit, ut in provinciis imperatoriis, si quae maiores essent, rectoribus existimet additos esse assessores, qui quod iuris dicundi causa fierent, iuridici appellarentur. Haec opinio nobis minus probatur. Nam et Italiae iuridicos constat ab imperatore solo mandata accepisse et in Hispania Asturiae et Gallaeciae iuridici dicuntur legati Augusti, unde etiam Tarraconensis provinciae iuridicos, qui non appellantur, fuisse tamen coniicio Augusti nominisque brevitate usos esse, qualis in Romanorum magistratuum nominibus saepissime reperitur. Qui autem Augustorum legati erant, assessorum tantum loco esse non poterant conferendaque, quae supra p. 111 de legatis legionum, qui Augusti dicuntur, exposuimus. Neque magis probamus, quod idem Borghesius iuridicatum Asturiae et Gallaeciae censet coniunctum fuisse cum legatione legionis VII Geminae (nam haec legio, si erat in Tarraconensi provincia, in Asturia solebat esse collocata), ita quidem, ut iuridicus in legionis administratione uni principi, in iure dicendo legato imperatoris Tarraconensi pareret. In quo et unius hominis mira discerptio magnopere displicet, et exercitus iurisdictionisque divisio a more Romano, qui quidem tunc erat, videtur discrepare, et iuridici ad provinciam exercitu instructam translatio improbanda est, et denique hoc explicari non potest, quod eadem aetate et Tarraconensis provinciae et Asturiae Gallaeciaeque iuridici commemorantur.

Etenim illorum tria exempla nota sunt, Allius Maximus apud Mur. 250, 2, qui dicitur *V. C. iur. prov. Tarraconens.*, tempore Heliogabali, M. Caecilius Novatillianus *iurid. Hisp. cit.* apud. Mommsen. Inscr. Neap. n. 1420, quem non solum quod *praeses prov. Moesiae sup.*, verum etiam quod *allectus inter consulares* dicitur, facile credo Borghesio imperante fere

Gordiano vixisse, denique T. Iulius Maximus πολυώνυμος apud Orell. 6490 *iuridicus Hisp. citerior. Tarraconens.*, qui M. Aurelii aetati tribuendus est. Totidem reperiuntur iuridici Asturiae et Gallaeciae, nimirum L. Novius Crispinus Martialis Saturninus *leg. Aug. iuridicus Astyriae et Gallaeciae* apud Leon. Renier. Inscr. Lambaesit. p. 5 n. 19, quem et ex ipso illo titulo et ex aliis ibid. n. 17—20 imperante Pio in Hispania fuisse discimus, L. Ranius Optatus *legatus Augusti et iuridicus Astyriae et Gallaeciae* apud Grut. p. 463, 4, qui M. Aurelii fere aetate vixit, Sex. Pedius Hirrutus Lucilius Pollio apud Orell. n. 6489, quem Borghes. in Annal. Inst. arch. anni 1853 p. 205 appellari docet *leg. Aug. iurid. (Astur.) et Gallaec(iae)* iisdemque fere temporibus floruisse existimat. Quid igitur hinc colligemus? Baeticam provinciam vidimus cum legione VII Gem., ubi Mauri timerentur, ab M. Aurelio legato consulari esse traditam: Tarraconensis quomodo interim administrata esset, dubitabatur. Iam cum ipso illo tempore iuridici et Asturiae Gallaeciaeque et Tarraconensis provinciae cognoscantur, sic intelligemus Marcum, Baetica legato mandata, seiunxisse Tarraconensem eamque in duas provincias divisisse, quarum unam Asturia et Gallaecia, alteram reliqua Tarraconensis efficeret. Atque hoc quidem constabit, Asturiam et Gallaeciam suo legato, qui ab imperatore mandata acciperet nec quicquam cum reliqua Tarraconensi aut cum Baetica commune haberet, esse traditam; nam *legati Augusti iuridici* nominantur. Reliquae Tarraconensis incertior ratio est; nam *iuridicus* tantum, non *legatus Augusti* dicitur. Quare etsi rectissime statuere possumus, casu legatum Augusti esse omissum quique iuridicus appelletur, eum non minore iure fuisse quam illum, tamen ne illud quidem cum testimoniis, quae extant, pugnabit, si praeter Asturiam et Gallaeciam Tarraconensem, quae superesset, existimemus coniunctam esse cum Baetica, cui qui praeesset, Tarracone suum legatum ad ius dicendum relinqueret. Ac titulus ille T. Iulii Maximi, qui iuridicus Hisp. citerioris Tarraconensis dicitur, videtur diligenter esse scriptus; in legionum certe legationibus, quas gessit, leg. IIII Flaviae et I Adiutricis, Augusti nomen adiicitur

idemque, qui scripsit, si liceret addere, videtur fuisse additurus. Sed errare tamen erat facile erratumque esse saepe in similibus rebus omittendo plurimi quamvis accurate scripti tituli ostendunt. Quodsi iuridicus Tarraconensis legatus fuit non imperatoris, sed legati Baeticae, novum nascetur iuridicorum genus, quale existimabat fere Borghesius, sed ab reliquis quos novimus diversum.

Adiungendi autem huc sunt, qui tantum *legati Augusti Asturiae et Gallaeciae* appellantur, L. Coelius Festus *leg. imp. Antonini Aug. Asturiae et Gallaeciae* apud Orell. n. 77, L. Albinius Saturninus *leg. Aug. Asturicae et Gallaeciae* apud Mommsen. Inscr. Neap. 4033, qui sub M. Aurelio vel paulo post praefuit, Q. Mamil. Capitolinus *leg. Aug. per Asturiam et Callaciam* apud Mur. 716, 5, quem Borghesius, quod *dux leg. VII G. P. F.* nominatur, post Alexandri aetatem vixisse censet, denique ille, qui in fragmento Praenestino apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 341 *(leg.) Aug. provinciar. As(turiae et G)alleicae* dicitur, quem Borghesius apud Marquardt. l. l. p. 9 coniectura non nimis certa eundem illum Festum, cuius unus titulus modo allatus est, fuisse existimat. Novi ex his titulis nihil discimus nisi hoc, ut iuridici appellationem non necessariam fuisse intelligamus, sed potuisse vel addi vel omitti; nam legatus Augusti et iuridicus, qui eadem aetate in eadem provincia commemorantur, quin idem ius atque eundem magistratum significent, dubitari vix potest.

Sed cum depulsis Mauris Baetica senatui esset reddita, quid factum esse putamus in Tarraconensi? Num separatio Asturiae et Gallaeciae conservata est? an vero ad vetus institutum reditum? Nobis quidem hoc videtur, ut unius denuo legati iuri tota vetus Tarraconensis sit reddita, eoque referimus titulum apud Orell. n. 798, quo Tib. Claudius Candidus, unus ex praecipuis Severi ducibus, dicitur *leg. Augg.* (i. e. Severi et Caracalli) *pr. pr. provinciae H. C.* (Hispaniae citerioris) *et in ea dux terra marique adversus rebelles H. H. P. R.* (i. e. hostes populi Romani). Hostes autem populi Romani non Mauros ibi esse existimo, de quorum tumultu nihil illo tempore traditur, sed Albini, quocum Severus bellum civile gessit,

copias: illud certe constat, non Gallias tantum ab Albino esse occupatas, sed etiam Hispaniae partem (Spart. Sev. 12), nec veri dissimile est, Candido, qui in ceteris bellis civilibus Severum adiuvisset, hoc quoque Hispanicum esse commissum. Quamquam nova haec provinciae coniunctio non diu constitit. Etenim ex titulo nuper reperto (apud Orell. 6914) constat, ab Caracallo Asturiam et Gallaeciam ab Tarraconensi Hispania esse seiunctam nominaturque C. Iulius Cerealis leg. Aug. pr. pr., qui primus post divisionem Hispaniam novam citeriorem Antoninianam rexerit. In quo titulo interpretando cavere debebimus, ne eorum opinionem probemus, qui ita prorsus disputant, quasi ante Caracallum Asturia nunquam ab reliqua Tarraconensi fuerit seiuncta. Immo seiunctam fuisse certissime didicimus; sed Caracallus postquam sub Severo rursus coniuncta fuit, sine belli necessitate in perpetuum divisit. Atque in hanc aetatem plurimi iuridicorum et legatorum Augusti, quos citavimus, incidunt, quorum rationes ultra persequi ab hoc loco alienum est.

Quamquam etiam reliqua, quae de M. Aurelii et Severi et Caracalli temporibus disputavimus, minus huc pertinent: quae tantum praeparandi quasi causa attulimus. De Antonini Pii aetate quaeritur, num Asturia peculiarem provinciam effecerit. Atque illa commemoratur Aelius Marcianus, proconsul Baeticae, ad quem Pius scripsisse narratur in Dig. I, 6 (de his qui sui iuris sunt) 2, et C. Iavolenus Calvinus apud Orell. n. 2759, ac Tarraconensi provinciae universae paulo ante initio Hadriani praefuit Ti. Claudius Quartinus, cuius titulus est apud Boiss. Inscr. Lugd. p. 284 (cf. Noël des Vergers. in Athen. Franco-Gall. anni 1856 p. 22). Fuit igitur imperante Pio Hispanicarum provinciarum administratio aliquamdiu eadem, quae fuerat ab Augusto instituta neque ulla Asturiae separatio. Nam procuratorum titulis (ac iam sub Nerva *proc. provinc. Hispaniae citer. Asturiae et Callaeciarum* commemoratur apud Grut. p. 193, 3) non utor, propterea quod illorum provincias cum iis, quas legati habent, saepe parum convenire intelligo. Sed sub eodem Pii imperio alioquin pacatissimo fuisse tamen scimus Maurorum seditionem, de qua Capitolinus

c. 5 et Pausanias VIII, 43, 3 tradunt. Quid igitur? si ad comprimendam eam facta sunt eadem quae postea M. Aurelius fecit, ut Baetica senatui adempta Tarraconensis in duas provincias divideretur? Nonne hoc simile veri videbitur esse? Ac confirmatur haec coniectura prorsus inscriptionibus, quae supra allatae sunt, L. Ranii, qui legatus Augusti et iuridicus Astyriae et Gallaeciae nominatur, et L. Coelii Festi, legati imp. Antonini Aug. Asturiae et Gallaeciae, cuius titulum Pii aetate scriptum esse etiam Borghesius iudicavit. Efficitur, ut Antoninus Pius primus Maurorum causa Asturiam et Gallaeciam per breve tempus peculiari legato tradiderit, tum M. Aurelius eadem de causa iterum in viginti fere annos, denique Caracallus in perpetuum separarit. Ac quod primus Pius propter certam occasionem, cuius tempus esset praeteriturum, seiunxerat, ideo Ptolemaeus separatim illam quidem, sed non sub suo capite Asturiam recensuisse videtur: ut dioecesim tantum mixtaeque quodammodo cum reliqua Tarraconensi administrationis fuisse existimemus, facere certe nullo modo debebimus.

Quare, cum et Asturiam et Numidiam cum Germaniis comparari non posse ostenderimus, cumque reliqua, quae allata sunt, cum more Romano vel cum titulorum consuetudine pugnare docuerimus, maneat, quod supra dictum est, cum Germanicus Caesar ex Galliis revocaretur, a Tiberio, ne uni tot populorum regimen committere cogeretur, Germaniarum duas provincias esse institutas, inferiorique impositum C. Visellium Varronem, superiori C. Silium; hunc deinde Silium anno 24 ex provincia revocatum maiestatisque condemnatum voluntaria morte obisse. De Visellio Varrone quamdiu provinciae praefuerit, nihil traditur; nam quod Tac. Annal. IV, 19 C. Visellium Varronem, cos. anni 24, narrat paternas inimicitias obtendentem C. Silio diem dixisse, dubium est, num patrem, qui Germaniae inferiori praefuerat, tunc supervixisse significet; equidem paulo ante in ipsa provincia decessisse existimo. Neque illud narratur, quis ei successerit, sed non multo post anno 28 p. Chr. in Frisiorum seditione a Tac. Ann. IV, 71 commemoratur L. Apronius, Germaniae inferioris legatus, idem,

quem supra p. 129 vidimus Germanici olim legatum, tum Africae fuisse proconsulem. Quare, si recte C. Visellium coniecimus anno 23 decessisse, ac L. Apronium, cum Frisios oppugnaret, recens advenisse, videri poterit unius legati memoria intercidisse, sed probabilius tamen est, cum inferior exercitus biennium vel quadriennium sine legato consulari fuisset, Apronium circa annum 26 in Germaniam esse missum. Etenim C. Silio quem successisse putamus? Nemo nominatur, sed in Frisiorum bello Tac. Ann. IV, 73 L. Apronium ait *vexilla legionum e superiore provincia peditumque et equitum auxiliarium delectos* accivisse atque *utrumque exercitum* Frisiis intulisse, in quibus certum argumentum deprehendo, quo nullum tunc superioris Germaniae consularem legatum fuisse intelligam, qui si fuisset, aut ipse cum Apronio expeditionem adversus barbaros suscepisset, aut certe nominandus erat ab Tacito. Quare a C. Silio usque ad annum 29, i. e. per quinquennium fere, superiorem Germaniam legato Augusti caruisse censeo addendumque erit hoc exemplum iis, quae a Suet. Tib. c. 41 afferuntur, de quibus in comment. epigraph. II p. 132 disputavimus. Etenim anno 29 Seiani opera superiori Germaniae praefectus est Cn. Cornelius Lentulus Gaetulicus, cos. anni 26, eius, qui anno 1 a. Chr. consulatum gesserat primusque familiae Gaetulici nomen peperit, (Tac. Ann. IV, 44) filius. Eum autem, quamvis esset Seiani affinis, tamen etiam post eius caedem incolumem fuisse magnaque Tiberii gratia florentem Germaniae praefuisse ait Tac. Annal. VI, 30, res anni 34 referens, accuratiusque Dio LIX, 22 eum, cum anno 39 a Caligula propter seditionis suspicionem (Suet. Claud. c. 9) interficeretur, decem annos Germaniam rexisse narrat.

Successit autem ei Ser. Sulpicius Galba, is, qui postea imperavit, cos. ann. 33, et quidem continuo; nam Suet. Galb. c. 6 eum praesente etiam tunc Gaio legiones Germanicas ad modestiam redegisse testatur. Restituit etiam ipsam provinciam Chattosque anno 41 vicit (Dion. LX, 8), deinde regens etiam tunc Germaniam Claudium, cui moderationem suam probarat, in Britanniam comitatus in urbem rediit anno 44, insequentique biennio Africam pro consule rexit (Suet. Galb. 7;

Tac. Hist. I, 49). Sequitur eum Q. Curtius Rufus, consul incerti anni, qui cum in agro Mattiaco argenti fodinas aperuisset, anno 47 insignia triumphi accepit (Tac. Annal. XI, 19). At in inferiore Germania L. Apronius item mansit usque ad mortem Tiberii, qui cum in reliquis provinciis, tum in Germania, fortissimis legionibus munita, omnem mutationem timebat, quem fuisse anno 35 in provincia ostendit Tac. Ann. VI, 30, nec revocatum aut mortuum esse puto antequam Gaius imperare coepit. Is enim, quo tempore ipse in Gallia versabatur, A. Claudium Gabinium Secundum praefecit, qui cum circa annum 38 consulatum gessisset (Borgh. Bull. Inst. arch. ann. 1847 p. 2), in Germania anno 41 Chaucis superatis cognomen Chaucii sibi paravit (Dion. LX, 8; Suet. Claud. c. 24). Huic successit Sanquinius Maximus, qui postquam anno 26 consulatum gessit (Borgh. Diurn. Arcad. ann. 1831, 1 p. 294), urbi praefectus est initio Caligulae anno 38 in eaque praefectura auctus etiam altero consulatu anni 39 (Dion. LIX, 13) mansit usque ad annum 42, quo in Germaniam missus est. In qua cum mortuus esset anno 47 (Tac. Ann. XI, 18), successit Cn. ille Domitius Corbulo, clarissimus aetatis suae imperator, cos. anni 39. Qui quamdiu provinciam rexerit, non traditur, sed quoniam apud Tacitum in urbanis rebus non commemoratur nec, si adfuisset, propter auctoritatem hominis videtur taceri potuisse, suspicor eum in Germania mansisse, dum anno 54 ab Nerone Cappadociae impositus est (Comm. epigr. II p. 140). Cui suffectus est Pompeius Paulinus, pacis quam belli studiosior (Tac. Ann. XIII, 53), quem anno 58 Dubius Avitus excepit (Tac. Ann. XIII, 54). In superiore Germania interim Q. Curtio successerat P. Pomponius Secundus, vir ingenio et poetica laude insignis, (Quinct. X, 1, 93; Plin. ep. VII, 17 et XIII, 26 et XIV, 6) qui cum anno 23 consulatum gessisset (Borghes. in Bull. Inst. arch. 1848 p. 42), propter Seiani amicitiam a Tiberio in vinculis habitus est per septem annos, liberatusque a Caligula Germaniam rexit, quamdiu Claudius imperavit atque etiam initiis Neronis. Nam qui ei successit L. Anstitius Vetus (Tac. Ann. XIII, 53), consulatum gesserat anno 55, qui si provinciam accepit anno 56,

per biennium fere praefuit; nam excepit eum iam anno 58 T. Curtilius Mancia (Tac. Ann. XIII, 56), cuius vita reliqua est ignotior. Nec quando provincia abierit, traditur, sed cum eodem fere tempore inierit, quo in inferiore Germania Dubius Avitus, decessisse etiam una cum hoc coniicio idque eo magis, quod utramque Germaniam acceperunt Scribonii Rufus et Proculus, fratres egregia concordia nobiles, sed nobis parum noti, qui quia Neronis suspicionem moverant, anno 66 in Graeciam evocati et necati sunt (Dion. LXIII, 17). In eorum locum missi sunt, ad inferiorem provinciam regendam C. Fonteius Capito, cos. anni 59, qui cum in suspicionem imperii affectati venisset, iussu Galbae anno 68 occisus est (Tac. hist. I, 7 et 37; III, 62; Dion. LXIV, 2), ad superiorem L. Verginius Rufus, cos. anni 63, qui cum Vindicis seditionem oppressisset, tarde Nerone deserto ad Galbae partes transierat ideoque novo imperatori suspectus specie amicitiae in urbem abductus erat (Tac. hist. I, 8). Huic statim suffectus est Hordeonius Flaccus (Tac. hist. I, 9 sq.), qui a legionibus, quarum contumaciam coërcere non poterat, occisus est (Tac. hist. IV, 36); Capitoni A. Vitellius, cos. anni 48, successit (Tac. hist. I, 9), qui paulo post imperium adeptus est. Qui cum in urbem proficisceretur, quem suo loco provinciae praefecit? Nemo nominatur a Tacito, qui illorum temporum historiam plene scripsit, sed hoc tantum habet Hist. II, 57 *curam ripae Hordeonio Flacco esse permissam.* Hoc quid significat? Num antea ripae curam nullam habuerat Flaccus? At necesse erat haberet qui superiorem Germaniam tueretur. Aliud igitur dicit Tacitus, nimirum hoc, utramque Germaniam ei esse commissam, quae cum maxima copiarum pars cum Vitellio in Italiam abisset, non amplius duobus legatis consularibus videbatur egere. Itaque Tacitus Hist. IV, 12, ubi Civilis seditionem narrat, unum Hordeonium nominat: ille in inferiore provincia bellum gerit, ille omnium legionum legatis imperat, ille unus totam rem administrat, ut neminem alium tunc inferiori Germaniae praefuisse eluceat. Sed occiso eo rursus divisae sunt Germaniae; nam Licinius Mucianus, qui tunc Romae imperium procurabat, in inferiorem misit Q. Petilium Cerialem Caesium Rufum,

Vespasiani ipsius affinem (Tac. Hist. III, 59), qui cum anno 70 a Cal. Apr. consulatum cum Muciano gessisset (Ioseph. de bell. Iud. VII, 4) paulo postquam Capitolium a. d. XI Cal. Iul. restitui coeptum est (Tac. Hist. IV, 53), in provinciam abiit. In qua quanta felicitate seditiosos populos oppresserit omniaque composuerit, non referam; mansit autem usque ad exeuntem annum 71, cum in Britannia Vettio Bolano substitutus est (Tac. Agr. 17). At superiori provinciae eodem tempore quo inferiori Cerialis, impositus est Annius Gallus (Tac. Hist. IV, 68 et V, 19), qui pacatam provinciam habuit.

Ita perpetuam legatorum utriusque Germaniae seriem contexuimus, qui cum maximos exercitus regerent, praetermitti in historia non potuerunt. Reliquis autem quattuor provinciis Gallicis qui praeerant, quia nec consulari, sed praetoria tantum dignitate praediti erant, nec fere rerum gerendarum facultatem habebant, plerique ignorantur: quare illud unum commemoramus, quam divisionem provinciarum Augustus instituerat, mansisse usque ad imperatorem Vespasianum. Narbonensis proconsularis erat provincia ac tam pacata, ut nunquam legati severiore imperio opus esset, reliquae principis legatorum, Lugdunensis, Aquitania, Belgica, ex quibus una Aquitania hoc videtur praecipuum habuisse, ut, qui eam rexisset, consulatu ornari soleret (Tac. Agric. c. 4). Ipsa legatorum nomina, quae pauca nota sunt, afferre inutile est.

DE

ORIGINE BELLI CIVILIS CAESARIANI APPENDIX CRITICA.

Breviter, quantum fieri potuit, in superiore commentatione originem belli civilis Caesariani exposuimus, relictisque multis rebus, quae cognitu essent dignissimae, pro instituto nostro id potissimum secuti sumus, ut quo quisque tempore Galliam provinciam suscepisset, quo decessisset, accurate demonstraremus. Sed haec quae scripsimus, dum domi retinemus, alias commentationes addimus, totum opus in artis formam redigimus, invitis nobis magnum ac molestum hercle negotium natum est, quod nec timide defugere aut fastidiose despicere deceret, et recte si administraretur, copiosam disputationem requireret. Nescio enim quo pacto accidit, ut interim haec ipsa de iure Caesaris et Pompeii quaestio studia virorum doctorum excitaret quaeque diu neglecta neque unquam satis explicata esset, ea subito quasi in lucem revocata magnas ingenii ac doctrinae contentiones gigneret. Neque id hercle iure ita fieri negem. Quis enim in tota prope historia Romana locus debet esse omnium studiis dignior quam ille, quo libertas antiqua in imperatorum dominationem transire coepit, quo omnia et commoda et incommoda veteris reipublicae apparent luculentissime, quo denique imperatoriae potentiae constituendae necessitas intelligitur? Qui quod parum adhuc erat illustratus, maximarum rerum de interitu libertatis et iure imperii consecuta est ignoratio. Sed quo tamen casu maximae saepe quaestiones ex tenebris quasi excitari soleant, advertere iuvat. Prodierunt igitur duorum doctissimorum virorum libelli, qui quod nos tamquam sub alieno nomine paucis, sed abunde tamen confecisse videremur, id propria disputatione sibi explicandum proponerent, quae origo belli civilis Caesariani, quo iure Pompeius, quo Caesar, utrius causa iustior fuisset. Quorum sententiae etsi ita inter se discrepant, ut una quodammodo elevari

videatur ab altera, in tanta tamen et argumenti difficultate et virorum ipsorum auctoritate et libellorum eruditione si nostris contenti illos neglexissemus, verendum esse putavimus, ne magnam quaestionis partem reliquisse ac quod deberemus parum absolvisse videremur. Transibit etiam oratio eo, ut non amplius de Caesare et Pompeio, sed ut de universa republica Romana agatur quodque ad omnia imperii Romani tempora pertineat, ab coniectura parum vera liberandum sit. Neque vero quae scripseramus mutare inserendaque alienarum opinionum refutatione nostram disputationem perturbare placebat. Quare nostra quae supra leguntur, qualia scripseramus, nullo verbo aut addito aut dempto intacta reliquimus, sed hanc appendicem criticam adiecimus, qua superiorem disputationem quasi expleremus quaeque a viris doctissimis contra dicuntur, diligentissime persequeremur.

Habebit autem disputatio nostra praeter argumentum ipsum, de quo agitur, magnam et utilitatem et auctoritatem ad duas res maximas demonstrandas, quae cum soleant in hoc genere quaestionum commendari ac praecipi, nimis tamen facile negliguntur. Etenim, si veteribus temporibus quae acta sint, narrentur, quid magis caveri iubent, quam ne ab auctoribus qui tradiderunt desciscas? Difficile enim omnino factu est, ut impune prae tua sapientia veteres auctores contemnas, non tantum bonos, quorum nec fides nec scientia, nisi magnopere tibi ipse placeas, ullo modo possit incusari, verum etiam mediocres. Tanta est nostrorum morum atque institutorum cum veteribus discrepantia, tanta plurimorum qui illa tradiderunt diligentia. Errat etiam facile iudicium, ut eum quem non debeas contemnendum esse putes eoque magis si cum iis quae ipse inveneris pugnare videatur. Veluti horum in quibus disputatio nostra versatur, temporum duo tantum extant paulo copiosiores ac perpetui enarratores, Dio Cassius et Appianus. Quorum uterque quia Graece scripsit, quasi Romanas res nescierit, a quibusdam contemnitur, praesertim si qua in re ab Cicerone vel Caesare dissentiendi speciem praebeat. Nos vero non modo Appianum, cuius bellorum civilium historia fere laudari solet, verum etiam Dionem fatemur in Caesaris

rebus a nobis inventum esse ducem verissimum, accuratissimum, in ipsa rerum serie ac tempore constituendo diligentissimum, apud quem sicubi offenderemus, ut subtilius quaesivimus, nostra non illius culpa id fieri perspeximus. Neque hercle si recte iudicare volemus, cum, qui maximos exercitus rexerit, plurimas res gesserit in senatoriisque muneribus consenuerit, in Caesaris rebus narrandis peccare aut voluisse aut potuisse statuemus. Quare, si quo loco veteres auctores inter se non dissentiant (id enim raro fit nec certe frequentius quam ipsi hodie in iis quae vidimus aut accepimus dissentimus), sed dissentire videantur, consentaneum est, non ut alterutrum peccasse existimemus, sed ut primum, si fieri possit, utriusque auctoritate conservata aliquam eorum conciliandorum rationem ineamus, deinde ut nostrae scientiae diffidentes num dixerint quae dicere videantur, examinemus. Atque hoc vitium male intelligendorum veterum scriptorum incredibile prope est quam late pateat, ad quot et quantos errores ducat: quod non tam ex quadam nostra negligentia, quam ex rei ipsius difficultate nascitur. Pauci enim omnino quae nostra lingua dici audimus, ita intelligimus, ut voluerunt intelligi qui dixerunt, nedum veteres scriptores recte interpretari sit omnium. Quo magis cavendum erit insigniaque exempla, quibus moneri possimus, diligenter animadvertenda. Neque vero haec ita disputo, ut alios viros doctos superbe vituperem, me ipsum nunquam nec veteres scriptores minus recte intellexisse nec in eorum auctoritate aestimanda errasse censeam; sed illud ostendere volebam, etiam in hoc quasi historico genere antiquitatis cognoscendae arte quadam critica opus esse, quam qui scriptoribus antiquis edendis recensendisque circumscribunt, amplissimae scientiae iusto artiores fines constituunt.

Veruntamen, ut ad rem de qua agitur veniamus, ex libellis, quos supra diximus, prior exiit Frid. Hofmanni de origine belli civilis Caesariani commentarius (Berol. 1857), qui historicam imprimis rationem sequitur. Diligentissime enim quo quidque tempore actum sit, persequitur, consilia artesque eorum, qui egerunt, explicat, multum in iis quae acciderunt accurate enarrandis versatur, denique etsi nihil quod aliqua

interpretatione egeat, praetermittere cupit, historici potissimum partes tuetur. Itaque propriam aliquam laudem habet etiam praeter hanc, de qua disputamus, quaestionem, in qua si minus recte videbitur iudicasse, illud relinquetur, quod multarum rerum tempora constituit primusque quantae hoc loco difficultates ac tenebrae laterent, indicavit. Est autem Hofmannianae opinionis summa haec. De lègis Vatiniae die quod statuit, idem nos, idem ante utrumque nostrum Ferratius docuerat neque ulla potest superesse dubitatio, quin prius quinquennium imperii, quod Caesari datum sit, ab ipsa legis die i. e. a Cal. Mart. anni 59 usque ad Cal. Martias quintas anni 54 pertineat. Ipsam legis Vatiniae vim ac naturam, quam nos etiam extra Caesaris res persecuti multa vidimus de provincia Gallia sanxisse, praetermittit. Alterius quinquennii auctorem non ut vulgo C. Trebonium tribunum plebis, sed, ut nos, Cn. Pompeium et M. Crassum fuisse ostendit, diem autem discedens a nostra quae supra exposita est sententia, exisse statuit Cal. Mart. anni 49. Tunc anno 52 decem tribunorum plebis lege Caesari datum esse, ut ultimo imperii anno i. e. 50 a Chr. absens et provinciam exercitumque retinens consulatum peteret, quo facto eum existimat ultro deposita provincia consulatum anno 49 fuisse gesturum. Sed cum eo honore inimicorum insidiis deiectus esset, hanc contentionem extitisse, ut ipse anni 48 consulatum peteret, Pompeiani absentis rationem habendam esse negarent. Ea de causa a. d. VII Id. Ian. anni 49 senatusconsultum illud factum esse, quo provincia exercitusque ei adimeretur: hinc originem belli natam, hinc ius et Pompeianorum et Caesaris esse repetendum. Pendent igitur omnia ex duabas maxime his rebus, primum ut Hofmannus imperii lege Pompeia dati diem Cal. Martiis anni 49 exisse censeat, deinde ut petitionem consulatus anni 49 datam esse existimet.

De utraque re cum nos in superiore commentatione aliter statuerimus, age argumenta rationesque, quibus vir praestantissimus utitur, examinemus, quae si refellerimus, nostrae sententiae non mediocrem fidem adiiciemus. Initium autem disputandi sumit ab Dione Cassio XXXIX, 33, qui locus supra p. 78 et 86 allatus est, qui postquam Cn. Pompeio et M. Crasso

lege Trebonia provincias in quinquennium datas esse narravit, Caesari postulantibus amicis ferentibusque ipsis consulibus triennium adiectum esse scribit, ὥστε τὴν ἡγεμονίαν καὶ ἐκείνῳ τρία ἔτη πλείω, ὥςγε τἀληθὲς εὑρίσκεται, μηκῦναι. At Appianus bell. civ. II, 18, Cicero Phil. II, 10, Velleius II, 46, Livius epit. CV, Plutarchus Pomp. c. 52, i. e. omnes, qui huius rei mentionem faciunt, alterum quinquennium adiectum esse tradunt. Discrepare igitur cum videretur Dionis auctoritas cum ceteris, ad praecipitem illam et lubricam rationem Hofmannus delatus est, ut errasse Dionem statueret: periculosam sane eam esse, sed cum interpretando ad elevandam dissensionem nihil profici possit, aut desperandam omnino esse veritatem aut aestimatione facta utram sequi malimus auctoritatem eligendum. Neque tanti faciendum esse Dionis hoc testimonium, qui cum addat ὥσγε τἀληθὲς εὑρίσκεται, ipsum indicare, non quae apud auctores invenerit, sed quae ipse statuerit, a sese referri. Nobis vero ipsa illa verba magnam videntur habere confirmationem, ut Dionis testimonium ne contemnamus. Ostendunt enim quod apud auctores reperisset, non temere eum, sed ratiocinatione instituta posuisse; Dionem autem potius errasse, qui optimis auctoribus uteretur, in rationibus subducendis, quam nos, qui post tantum temporis intervallum scribamus, quantae superbiae est existimare? Ac nonne ipse et posse et debere alios secum dissentire indicat? Si quis quod verum sit quaerat, triennium ait esse datum: specie igitur plus dabatur, quam speciem qui sequeretur, eum dissentire oportebat. Denique numquid dissentit Dio? Appianus alterum quinquennium praeter prius Caesari datum esse scribit, Velleius prorogatam in quinquennium provinciam, similiterque Cicero et Livius: ipse consules effecisse, ut Caesari imperium in triennium produceretur. Illi igitur de lege, in qua quinquennium nominatum sit, dicunt, hic lege omissa quid ex ea consecutum sit refert. Nulla igitur est illa quam Hofmannus maximam esse statuit Dionis cum reliquis auctoribus dissensio deducimurque ad eam consuetudinem Romanam, quae supra p. 86 a nobis commemorata est, ut imperii prorogatio non ab exitu veteris imperii, sed ab die novae legis numeraretur.

At Dioni erroris quem opinatur de imperio Caesaris duas fuisse causas arbitratur Hofmannus p. 12. Una, inquit, in eo posita est, quod persuadere sibi non potuit, Vatinia lege Caesari, qui ante annum 58 provinciam non attigisset, decedendum iam fuisse anno 54, i. e. quattuor non amplius annis exactis: quo factum est, ut unum annum quem addidit quinquennio priori, de altero necessario detraheret. Scilicet nos Dione longe sumus rerum Romanarum peritiores, longe diligentiores, longe melioribus auctoribus instructi, explicaturque praeclare unus eius error statuendo altero. Altera de triennio peccandi causa fuit in tertio eius errore. Nam libr. XL, 59 de anno 51 sic scribit: ἔπραττε δ' (ὁ Πομπήϊος) ὅπως, ὅταν τὸν δεδομένον οἱ χρόνον (Καῖσαρ) διάρξῃ (τοῦτο δὲ οὐκ ἐς μακρὰν, ἀλλ' εὐθὺς ἐν τῷ ὑστέρῳ ἔτει γενήσεσθαι ἔμελλε) τά τε ὅπλα κατάθηται καὶ ἰδιωτεύσων οἴκαδε ἐπανέλθῃ. Item Caelius apud Cicero epist. VIII, 8, 9 anno 51 narrat: *Illa praeterea Cn. Pompeii sunt animadversa, quae maxime confidentiam attulerunt hominibus, ut diceret se ante Cal. Mart.* (anni 50) *non posse sine iniuria de provinciis Caesaris statuere, post Cal. Mart. se non dubitaturum.* Ex his duobus locis inter se collatis Hofmannus p. 12 efficit, ut Dionis sententia fuerit, Caesaris imperium anno 50 exisse et quidem initio eius anni. At quid, quaeso? Num de eadem re dicere existimamus Dionem et Caelium? Ille de exitu imperii narrat, hic voluisse Pompeium post Cal. Mart. de Galliis statuere, atque Hofmanno, si causam suam probare vellet, imprimis hoc agendum erat, ut doceret non potuisse statui de provinciis, antequam essent vacuae, nec potuisse fieri, ut etiam cum alius imperio tenerentur, utrum eas consulares in proximum annum an praetorias esse oporteret, deliberaretur. Veruntamen hoc nec demonstravit Hofmannus nec poterit, opinor, demonstrare. Quare subtiliore interpretatione adhibita cum intelligamus de alia re dicere Caelium, de alia Dionem, huius de imperio Caesariano testimonium illud esse colligimus, ut id anno 50 exisse dixerit; de initio eius anni ac Cal. Martiis nihil invenimus; nam εὐθὺς ἐν τῷ ὑστέρῳ ἔτει est proximo insequenti anno. At etiam Appianus anno 50 Caesaris imperium ex lege Pompeia exisse

tradit, primum non obscure libr. II, 26, tum aperte c. 27, ubi agens de senatu, qui Cal. Mart. anni 50 habitus est, sic scribit: Κλαύδιος εἰςηγεῖτο πέμπειν Καίσαρι διαδόχους ἐπὶ τὰ ἔθνη· καὶ γὰρ ἔληγεν ὁ χρόνος, unde Hofmannus (p. 29) eo ipso die, quo habitus est senatus, i. e. Cal. Mart. finiri imperium colligit, parum recta rursus utens interpretatione; nam ἔληγεν ὁ χρόνος est *appropinquabat finis temporis, exibat tempus.* Quare tantum abest Appianus ut Cal. Mart. anni 50 exisse tradat, ut post eum diem exisse doceat.

Veruntamen contemnit Hofmannus hos auctores, quamvis soli ex omnibus de imperii Caesariani exitu non significationem aliquam obscuriorem, sed apertum testimonium habeant. Displicet ei totus annus 50, idque multis de causis, ex quibus quattuor nominat p. 13. Et primum quidem, inquit, qui quinquennium Caesaris imperio lege Pompeii et Crassi additum esse putat, idem decedendum fuisse Caesari anno 50 contendere non potest; contenderet enim ea, quae non essent apta et inter se convenientia. Nimirum a Cal. Mart. anni 54, qui legis Vatiniae dies fuerat, ad annum 50 quadriennium tantum fit. Itaque Dionem quidem excusat Hofmannus, qui cum de triennio tradidisset, ad eum annum aliqua ratione pervenire potuerit. At Appiano quid faciamus? Tradidit de priore Caesaris quinquennio, tradit de altero, tamen anno 50 finit imperium. Immemor, inquit, suae in alienam sententiam transiit nec quid quisque dicat, sed quid cuique consentaneum sit dicere, id nos spectare oportet. Numeros, opinor, nesciebat aut tam supinae erat oscitantiae, ut quod modo dixisset, id ipse oblivisceretur. Nonne ipsa haec vitii, quod ei tribuitur, absurditas, ne quemquam omnino ita peccasse arbitraremur, efficere debuit? Alterum, quo Dionis error convincatur, argumentum petitur ex Suetonii Caes. c. 26: *Caesar egit cum tribunis plebis, collegam se Pompeio destinantibus, id potius ad populum ferrent, ut absenti sibi, quandoque imperii tempus expleri coepisset, petitio secundi consulatus daretur*, ex quibus verbis Hofmannus petitionem illam extraordinariam ad ultimum imperii annum pertinere colligit: iam Caesarem anno 50 petere voluisse consulatum, efficique, ut ante comitia anni 50 non exierit imperium.

Redargui igitur Dionem, qui de Cal. Mart. anni 50 cogitet. Haec ratio nititur tota et illo qui putatur Dionis errore, et ea opinione de petitione consulatus, quam infra refutabimus, et denique interpretatione Suetonii parum vel subtili vel necessaria. Nam *quandoque imperii tempus expleri coepisset* cur ad ultimum imperii annum pertineat? Immo ad eum qui expletum imperium proximus insequitur annum pertinet: coeperat expleri imperium postquam exiit. Ultimum quidem imperii annum cur potius intelligamus quam primum aut secundum aut quemvis denique? Initium enim explendi imperii primo eius anno magis etiam factum est quam ultimo. Reliqua igitur, de quibus aut diximus aut postea dicere debebimus, si omittamus, parum accurata interpretatione hoc quoque argumentum natum est.

Verum Cicero et Caesar, gravissimi omnium auctores, annum 50 Dionisque sententiam redarguunt. Ille ad Att. VII, 9 extremo Decembri anni 50 de universa republica sic scribit: *De reliquis quid est deterrimum? Concedere illi quod impudentissime postulat. Nam quid impudentius? Tenuisti provinciam per decem annos, non tibi a senatu, sed a te ipso per vim et factionem datos. Praeteriit tempus non legis, sed libidinis tuae. Fac tamen legis: ut succedatur decernitur. Impedis et ais: Habe mei rationem. Habe tu nostram. Exercitum tu habeas diutius quam populus iussit invito senatu?* Haec verba cum exeunte anno 50 scripta sint, tamen non ad id tempus, quo scripta sint, sed ad id quo de provinciis Caesaris senatus futurus erat i. e. ad ineuntem mensem Ianuarium anni 49 pertinere censet Hofmannus p. 14. De futuris igitur rebus quod agebat Cicero, futuris, opinor, temporibus usus est. Non usus est, posuit perfecta et praesentia, tamquam de re praesenti loqueretur; sed quod Caesar provinciam per decem annos tenuisse dicitur, ideo Hofmannus, qui anno 50 decem annos imperii Caesariani ullo modo praeterire potuisse neget, novam hanc rationem excogitat, ut Ciceronem alio tempore scripsisse, alio cogitasse censeat. Sed fac verum sit, quod vix quisquam poterit credere, ut Cicero tamquam poëta furore abreptus aliud dixerit, aliud cogitarit: pauci enim omnino dies inter extremum mensem

Decembrem, quo epistola data est, et inter initium mensis Ianuarii, quo senatus habitus est, intercedunt: referantur Ciceronis verba ad tempus senatus habiti. Numquid rectius Caesar decem annos explesse dicitur? Nostra quidem ratione, qui non vulgares annos, sed duo quinquennia, quorum prioris sex prope menses perierint, intelligamus, et exeunte anno 50 et ineunte 49 decem anni praeterierant, Hofmanniana autem, qui Cal. Mart. anni 49 alterum quinquennium finiat, si de senatus die atque ineunte mense Ianuario anni 49 intelligatur, tamen duo menses ad decem annos desint. Quid igitur iuvat tam contorta et obscura interpretatione uti, si tamen quod velis non assequare? Sed est etiam hoc apud Ciceronem *praeteriit tempus legis*, quod si ad mensem Ianuarium anni 49 referatur, quicquam confirmationis Dionis sententiae afferri Hofmannus negat. Et recte negat, sed ei Dionis sententiae, quam ipse sibi finxit, non ex testimoniis incorrupte traditis effecit, sed ita, si interpretationem illam, quam modo redarguimus, probemus. Nos vero hoc de quo disputavimus Ciceronis loco vix ullum censemus esse posse certius testimonium, ut mense Decembri anni 50, quo epistola scripta est, alterum Caesaris quinquennium iam expletum fuisse intelligamus. Postulata Caesaris exponit Cicero. Tenuit provinciam per decem annos. Quid potest esse minus obscurum? Praeteriit tempus legis Pompeiae Liciniae, quae ut Caesari gratificaretur, alterum quinquennium addiderat. Potest successor mitti et mittitur. Numquid potest esse apertius? Contra Caesar impediens non exisse tempus suum negat, sed ait: Habe mei rationem i. e. absentis comitiis consularibus anni 49. Quid potest expectari certius, cum mense Decembri anni 50, cum imperium Caesaris exisset, hoc tantum actum esse intelligamus, utrum eius absentis ex lege tribunicia in consulatu petendo ratio habenda esset necne. Veruntamen desciscens quodammodo a se ipso ac rediens eo, ut epistolam de eo quo scripta est tempore intelligat, Hofmannus, quae sequuntur, inquit, *exercitum tu habeas diutius quam populus iussit invito senatu*, perspicue significant extremo anno 50 imperii tempus nondum fuisse circumactum. Aliis sit hoc perspicuum, nobis quidem non est. In coniunctivo

habeat illud inest, ut non debere Caesari diutius concedi provinciam Cicero censeat; utrum habeat ille iam diutius necne, non decernitur.

Paulo plura de Cicerone diximus inviti, pauca dicemus de Caesare bell. civ. I, 9, qui ineunte anno 49 ad Pompeium sic scripsisse se narrat: *Doluisse se quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur ereptoque semenstri imperio in urbem retraheretur, cuius absentis rationem haberi proximis comitiis populus iussisset.* De his ita Hofmannus p. 14 disputat, comitia proxima dici aut ea quae antecedant anni 50 aut quae insequantur anni 49; quare cum semenstre imperium ereptum esse narretur, ad initium aut anni 49 aut anni 48 perveniri, nullo modo ad initium anni 50, de quo Dio credat. Nimirum si semenstre imperium vel omnino quod tempus ad comitia consularia pertinebat, imperio lege Pompeia dato comprehendi oporteret; sed id Hofmannum ex Suetonii loco minus recte explicato effecisse ostendimus. Ac tota haec ratio ad errorem qui falso Dioni imputatur refellendum pertinet.

Verum omnia haec, quae adhuc examinavimus, in anno 50 reiiciendo versantur: quae proficisci intelleximus ab Dionis loco parum recte explicato, propagari ad multas minus subtiles interpretationes errorumque a se ad alios magnas translationes. Sequitur deinceps apud Hofmannum p. 15, ut suae de Caesaris imperio opinionis rationem reddat, quam admodum simplicem esse video et eam, ut tot homines in re tam aperta unquam peccare potuisse merito mirere. Decem annos, inquit, Caesari datos esse constat; item prius quinquennium Cal. Mart. anni 54 exisse. Adde alterum quinquennium, confecta res est, pervenietur ad Cal. Mart. anni 49. Nimirum illud omisit nec unquam cogitavit, in quo tota ratio nititur, alterum quinquennium ab confecto priore necesse esse incipi. Id contra sese habere supra p. 84 ostendimus, iterumque postea aliis argumentis confirmabimus. Cadit igitur haec ratio, quae si vera esset, sola rem conficeret. Diffidebat tamen vir doctus ipse quodammodo tantae rationis simplicitati eamque duobus aliis argumentis quasi commendandam esse putavit. Primum

tria cogitari posse ait, ut Caesar initio aut anni 50 aut 49 aut 48 decedere debuerit, sed cum duo reliqui anni excludantur, unum relinqui 49. At cur tandem ineunte anno imperium exierit necesse est? Cur exeunte aut medio anno aut quovis denique die finiri non potest? Hoc frustra quaeras: unum illud de die legis Vatiniae videtur sequi. Deinde a Suetonio c. 26 hoc dici datum esse Caesari, ut ultimo imperii a Pompeio dati anno consulatum peteret, petere autem voluisse anno 50: ita effici, ut ante comitia anni 49 decedere debuerit. Hoc quoque simplicissime concluditur; sed nec Suetonius illud dicit nec Caesar unquam de anni 49 consulatu cogitavit: illud paulo supra ostendimus, hoc postea in Hofmanni opinione refellenda docebimus.

At enim multa opinioni suae obstare videt Hofmannus, ex quibus quaedam iam examinavimus, alia postea loco commodiore commemorabimus. Neque in eo quod Hirtius bell. Gall. VIII, 39 narrat, longi crimus, qui cum anno 51 prope exeunte unam aestatem ad bellum gerendum Caesari reliquam fuisse refert, post aestatem anni 50 eius imperium exisse significat, nihil aliud. Magnam vero in universa hac quaestione auctoritatem habet Cicero epist. VIII, 11, quo loco imprimis nos supra p. 84 ad diem imperii Caesariani definiendum usi sumus. Scribit enim Caelius ad Ciceronem mense Aprili anni 50, Pompeium cum senatu in id incubuisse, ut Idibus Novembr. eius anni Caesar decedat: *Scaena rei totius haec: Pompeius tamquam Caesarem non impugnet, sed quod illi aequum putet, constituat, ait Curionem quaerere discordias.* De his dupliciter, ut debebat, Hofmannus disputat, primum ut post illas Idus imperium exisse doceat, deinde ut causam, cur eum tamen diem Pompeius constituerit, reperiat. Initium autem ducit hinc: pro ipsa die quam lex Pompeia Licinia praescripserit, Idus Novembres non posse haberi, quin omnes rationes suae plane perturbentur. At perturbentur sane, dummodo quod verum est, reperiatur. Caesaris imperium aut ante Idus Novembres aut ipsis aut post exisse. Rectissime. Si ante exisset, Pompeium non aequum, sed admodum liberalem fuisse futurum. Rectissime hoc quoque. Si ipsis Idibus Nov. exisset,

Pompeii aequitatem intelligi, sed Curionis tribuni plebis, qui Caesaris causam tuebatur, non perspici querelas nec cur ille alterum Pompeii consulatum exagitare dicatur; hoc enim addit Caelius. At quaerere illum ait discordias Pompeius, nihil esse quod iuste succenseret, propterea quod ipse quod aequum esset, servaret. Exagitandi vero Pompeii causam maximam nos quidem invenimus. Nam Pompeio ipso assentiente tribuni plebis anno 52 (Caes. bell. civ. I, 32) tulerant, ut Caesaris absentis et provinciam retinentis in consulatu anni 48 petendo ratio haberetur eamque ob rem ille usque ad comitia anni 49 ne revocaretur: quanta igitur erat eius inconstantia, qui iam cuius tribuendi ipse auctor fuisset, id eriperet? Unde copiosa Pompeii insectandi materies sumi poterat, imprimis ex secundo consulatu, in quo ille amplissimarum provinciarum accipiendarum causa plurima violenter fecerat. At Hofmannus cum nisi de tempore, quod lege datum erat, aliquid ademisse dicatur, nullam Pompeii vituperandi causam fuisse putet eamque ob rem Caesari Idibus Nov. anni 50 diem exire potuisse neget, unum relinqui ait, ut imperium ultra eum diem pertinuerit. Veruntamen quo iam abit illa aequitas, qua Pompeius gloriabatur? Qui si de eo tempore, quod sua ipse lege a populo Romano dandum curaverat, aliquid adimere voluisset, nonne summa fuisset non modo iniquitate, sed superbia ac prope insania?

Nascitur enim hoc loco haec quaestio maxima. Faciamus imperium Caesari usque ad Calendas Martias anni 49 datum fuisse: num fieri potuit, ut senatus Pompeiusque id ei Idib. Nov. anni 50 eripere vellent? Redit enim tota res illo, num senatui ea quae populus iusserat, reprehendere licuerit; nam ad populum de altero Caesaris quinquennio latum erat, senatus autem solus de successore ei mittendo decrevit. Iam id nemo qui reipublicae Romanae more leviter imbutus erit, dicet: everteret enim omnia. Tot latae sunt leges perniciosae ab tribunis plebis, quarum tollendarum summa cupiditate senatus flagraret, tot res plebis opera perrogarunt Gracchi, Saturninus, Drusus, Clodius. Earum num unquam factum est, ut ulla senatus consulto tolleretur vel ut contra ullam decerneretur? Contra

rempublicam id fuisset; nam populus Romanus summum habet omnium rerum arbitrium, qui quicquid rite sanxerit, id cum ab reliquis, tum ab senatu observari debet. Decrevit aliquando senatus, quae apud populum acta essent, rite lata non esse, ac leges esse negavit, quae esse viderentur, sed nunquam contra ea, quae ab populo rite iussa nec tamquam vi vel vitio lata essent reprehensa, decrevit. Iam haec de imperio Caesaris lex non erat tribunicia, sed consularis atque ab ipso Pompeio lata, reprehendere igitur eam quasi minus rite latam nec senatus poterat nec Pompeius. Quare si senatus Cal. Nov. anni 50 successorem mittere volebat, necesse est aut ante eas Idus aut ipsis dies legis exierit peccabuntque insigniter omnes, qui Cal. Ian. anni 49 aut omnino post Idus Nov. anni 50 imperium Caesaris lege Pompeia datum finient. At senatus Pompeiusque quam primum decedere volebant Caesarem ipsaque aequitate servata legem tenere, nihil ultra concedere. Ideo efficitur, ut ipsis his Idib. Novembr. Caesaris imperium exierit.

Veruntamen ipse Hofmannus quam Iduum Novembrium rationem reddit? Nullam, quantum equidem video, nec quicquam reperit, cur in Idus Novembres senatus cum Pompeio potius incubuerit quam in quemvis alium exeuntis anni 50 diem. Suspicionem profert, quam suspicionem esse ipse fatetur. Pompeius, inquit, has condiciones tulit, ut Caesar si consulatum anno 50 petere vellet, antea de provincia decederet, comitia vero, ne Caesar ultra quam satis premeretur, in Idus Novembres reiicerentur. Sic igitur futurum erat, ut usque ad Idus Novembres anni 50 Gallias regeret, tunc consul designatus Cal. Ian. anni 49 consulatum gereret. Has condiciones, quaeso, cur tandem Caesar non accepit? Quid unquam plus postulavit? Tantum si Pompeiani concessissent, certe nullum bellum civile extitisset. Quare, etiamsi Caesarem ante expletum imperium retrahi in urbem potuisse et anno 50 consulatum petisse et reliqua omnia, quae falsa esse docuimus, verissima esse fateamur, ad huius loci scopulos Hofmanniana opinio eiicitur tota.

Adiungit autem huic de Caesaris imperio disputationi Hofmannus a p. 18 alteram de imperio Pompeii lege Trebonia

dato quaestionem, in qua sic ratiocinatur: Pompeii imperium, quod Crassum collegam eius mense Novembri anni 55 in provinciam exisse constet, coeptum esse ante Cal. Mart. anni 54, unde alterum Caesaris quinquennium deducit, sed, ut eius potentia Caesari exaequaretur, ultra quinque annos vulgares ad easdem Cal. Mart. anni 49, quibus Caesar coercetur, esse propagatum. Quinquennium autem etiamsi quid extra quinque annos accedat, tamen appellari III virorum reip. const. exemplo, quod nos in commentationibus epigraphicis Vol. I p. 24 exposuimus, ostendit. Contra haec multa disputari possunt, sed duas res afferre satis erit. Primum Dio XXXIX, 36 uno die et a C. Trebonio de Pompeii Crassique imperio, et a Pompeio Crassoque de Caesaris altero quinquennio latum esse scribit, deinde Pompeio ex consulatu tertio prorogatum est imperium nec mirum, si id multo longius quam Caesaris pertinebat. Ita tota haec quaestio alia fit.

Diximus de uno fundamento disputationis Hofmannianae, quod cum everterimus, ne quae consequuntur quidem, probari poterunt. Sed persequitur ille omnia etiam minima singillatim, incipiens a Pompeii consulatu tertio i. e. anno 52, de quo dum disputat, imprimis legem illam decem tribunorum plebis, qua ipso Pompeio adiuvante Caesari datum est, ut absenti consulatum petere liceret, illustrat. Quamquam vellem hercle denuo pluribus quid in ea fuisse censeret, exposuisset: fortasse ad veriorem sententiam esset deductus. Nunc contentus est iis quae de Sueton. Caes. c. 26 dixit, quae minus subtili interpretatione orta esse supra p. 152 docuimus, creditque anni 50 consularibus comitiis ei absenti petitionem datam esse. Sed contra hanc quam putat legem Pompeium ait quattuor res insidiose gessisse. Earum prima in nova lege, quam de iure magistratuum tulit, collocatur. De qua lege universa, si quae p. 24 et 25 sunt, conferas, minus recte Hofmannus videtur iudicare; nam una praescriptum esse putat, ut magistratus quinquennio post exactos honores provincias sortirentur, alia et diversa, ne absentes peterent. Imo una eademque lex de iure magistratuum lata utrumque habebat. Veruntamen hoc minus ad hanc quaestionem pertinet. Insidias autem in eo

fuisse putat Hofmannus p. 25, quod Pompeius ubi a petitione honorum absentes submovebat, sciens et dolo malo, quamvis paulo ante legem tribuniciam ipse adiuvisset, Caesarem non excepit. At Suetonius c. 28 per oblivionem Caesarem non exceptum esse ait oblivionemque ostendit, quod lege iam in aes incisa et in aerarium condita Pompeius errorem correxit: quod quis faceret, qui ea ratione Caesari nocere cuperet? Pugnat igitur Hofmanniana auctoritas cum Suetoniana, pugnat etiam quodammodo cum probabilitate, sed illud tamen certum est, ea oblivione Caesaris inimicos usos esse. Nam M. Marcellus cos. anni 51 ideo absentis rationem habendam esse negavit, quod plebiscito Pompeius postea obrogasset (Suet. Caes. c. 28). In hac re omne momentum collocandum erat: hae unae sunt insidiae Caesaris imperio factae, non voluntate Pompeii, sed casu: hinc origo belli repetenda est. Reliqua tria, quae Hofmannus affert, coniecturis efficiuntur parum rectis. Putat enim legi tribuniciae, qua secundi consulatus petitio data est, ascriptum fuisse *ne petitionis causa maturius et imperfecto adhuc bello decederet;* itaque Pompeianos dixisse, cum Caesaris litterae et supplicationes bellum confectum esse ostenderent, decedendum ei esse ante exitum imperii. Non quaero, quam hoc apte legi, qua imperium mandetur, possit ascribi; nam cum in certum aliquod tempus potestas tribuitur, sponte hoc inest, ne ea ante id tempus deponatur. Sed fuerit ita in lege: numquid qui imperfecto bello decedere vetatur, perfecto iubetur decedere? Atque illam legis cautionem unde colligimus? Suetonius c. 26 egisse Caesarem scribit cum tribunis plebis, ut absenti sibi consulatum petere liceret, ne ea causa maturius et imperfecto adhuc bello decederet. Nimirum Caesar ut et ipse honestum aliquem praetextum haberet et amicis quod apud populum prae se ferrent, praeberet, bellum Gallicum ingens esse dictitabat nec posse ante annum 49 totum confici; quare ne ante tempus confecti belli decedere cogeretur, darent sibi, ut absens et provinciam retinens peteret. Haec causa Caesari erat petendi, tribunis legis ferendae, ascripta fortasse etiam in eius prooemio, sed Hofmannus parum vera interpretatione Suetonii (is enim ne maturius decederet Caesarem egisse ait)

deceptus causam legis in legem ipsam vertit. Sane M. Marcellus anno 51 retulit ad senatum, *quoniam bello confecto pax esset ac dimitti deberet victor exercitus* (Suet. Caes. 28), ut Caesar ante tempus revocaretur; sed faciebat id invidiae excitandae causa, ut ipsi milites Caesaris in otium et domum redire cuperent, volebat fortasse etiam de ea re ex senatus consulto ferri ad populum, qui ut dederat, ita adimere poterat imperium: sed licebat id etiam, si nulla eiusmodi quam Hofmannus putat, cautio legi ascripta reperiretur. Tertio loco quae p. 27 de Pompeianorum insidiis disputantur, qualia sint, infra examinabimus: quarto loco p. 28, cum quibus quae p. 31 sunt, coniungemus, res sane magna agitur, quae cum verbis Ciceronianis efficiatur, rursus eo redit, ut minus recta interpretatio adhiberi videatur. Ait enim Pompeianos ita cavillatos esse, absenti licere Caesari petere consulatum, retinenti exercitum non licere, utiturque Cicerone ad Att. VII, 7, ubi ille per speciem sermonis cum Attico habiti nullos in republica bonos esse scribit, plerosque ne regnum quidem timere, dummodo otiosi sint. Tum Atticus: *Quid ergo? Exercitum retinentis cum legis dies transierit, rationem haberi placet?* Cicero: *Mihi vero ne absentis quidem, sed cum id datum est, illud una datum est.* Atticus: *Annorum enim decem imperium et ita latum placet?* Cicero: *Placet igitur etiam me expulsum et agrum Campanum perisse et adoptatum patricium a plebeio, Gaditanum a Mytilenaeo, et Labieni divitiae et Mamurrae placent et Balbi horti et Tusculanum?* Quo de loco quaeri ait Hofmannus, quid sit quod, cum plebiscito Caesari datum sit, ut absens, illud una datum esse dicatur, ut retinens exercitum consulatum peteret. Aperte autem rem a Cicerone significari. Alterum enim una cum altero ideo dici datum esse, quod imperium Caesaris fuisset decem annorum. Neque id posse intelligi, nisi ut plebiscito cautum esse statuamus non solum, ut absens Caesar consulatum peteret, sed etiam ut peteret antequam imperium esset finitum. Una hac ratione effici, ut *absens* idem significet quod *retinens exercitum*; effici etiam, ut petitio consulatus Caesari ultimo imperii anno i. e. anno 50 data sit. Omnis haec ratiocinatio ab interpretatione Ciceronis proficiscitur. Ideo datum

esse ait, ut absens et retinens exercitum peteret, quod imperium fuisset decem annorum. At in qua voce illius causae significatio, quae aperta esse putatur, latet? An in particula *enim?* At ea Attici cum dissimulatione quadam respondentis est et ad sententiam, quae cogitatione supplenda est, pertinet. Serio enim et plene loquentis haec erant: At ne absentis quidem rationem haberi, quod et contra leges est et vi perlatum, placere tibi potest. Num *enim* annorum decem imperium tibi placet? Perit igitur coniunctio petitionis et decem annorum, perit quam eius coniunctionis rationem sibi invenire videtur Hofmannus, perit denique argumentum, ut petitionem ad annum 50 pertinuisse credamus. Neque omnino satis verum est, quod *absens* et *exercitum retinens* idem significare ait; dirimit enim Cicero, dirimebant fortasse etiam cavillantes Pompeiani; nam hoc facile Hofmanno concedo.

Quamquam inest in hoc loco quaedam difficultas, quam nos in superiore commentatione cum de imperio Caesaris disputaremus, quamvis intelligeremus, minus tamen fortasse explicavimus. Movet enim me non quod idem sed quod diversum esse Cicero significat *abesse* et *retinere exercitum.* Etenim, ut supra dixi, cum absenti Caesari petitio secundi consulatus data est, data est retinenti provinciam neque aliud quicquam valet abesse, quam habere provinciam. Scio equidem, omnes auctores, Dionem XL, 56, Appianum bell. civ. II, 25, Ciceronem ad Att. VIII, 3 et Phil. II, 10, hoc unum narrare, absenti datam esse petitionem, sed dicunt hoc ipsum retinenti provinciam. Id et ex re ipsa et ex Caesaris historia apertissime intelligitur. Quid enim, quaeso, vetus mos vel lex, quae candidatos praesentes profiteri iubebat, sequebatur? Num dignitatem nescio quam populi Romani spectans vetabat candidatos, si eorum rationes ita ferrent, ruri versari? Magnum videlicet hoc erat, quod non repulsa puniendum, sed lege sanciendum esse videretur. An hoc spectabat, quoniam cum imperio urbem intrare non licebat, ne continuarentur imperia spatiumque accusandi, si quis quid admisisset ne adimeretur? Ipsi etiam legi Pompeiae, quae de iure magistratuum lata est, scimus hoc propositum fuisse, ut intermissione quadam honorum atque im-

periorum et ambitio minueretur et libido magistratuum coerceretur. Itaque ut inter consulatum praeturamque et provinciarum sortitionem spatium imperio vacuum interesse iubebat, ita aliquid etiam inter provincias et novos honores interiici oportebat, ne si quis provinciam cum consulatu coniunxisset, nullum eius accusandi spatium relinqueretur. Idque facillime lex, si absentes candidatos recipi vetaret, assequebatur. Ipsa legis verba quae fuerint nescimus: sed sive in ea una absentis vox erat sive (id quod magis credo) provinciam aut munus habentis vel simile quid adiectum inveniebatur, scriptores, qui brevitatem sequerentur, absentes tantum appellare satis erat. Abesse enim intelligitur, qui publice abest. Caesaris vero historia eandem rem clarissime demonstrat. Anno enim 52 in summa reipublicae perturbatione cum Cn. Pompeius solus crearetur, tribuni plebis aliique amici Caesaris id agere coeperant, ut eum illi collegam adderent (Sueton. Caes. c. 26, Dio Cass. XL, 51 et 56). Nimirum ex consulatu apta erat vel nova provincia vel veteris prorogatio, aptum novum imperium, quod cum Pompeio futurum esse viderent, Caesari quoque contingere volebant. Sed ille cum a bello Gallico discedere nollet, si alterius consulatus petitio absenti sibi daretur, contentus erat, et quidem legitimo suo anno i. e. 48 a. Chr; nam id ita latum esse et auctores tradunt et nos infra explicabimus. Quid igitur? Num eum imperio consulari et proconsulari, quod sperare certo posset, hoc mutasse putamus, ut liceret sibi per rura Italiae vaganti anno 49 consulatum petere? Absurdum illud quidem est. Sed plus ei datum esse faciamus, ut liceret ei provinciam usque ad comitia anni 49 retinere atque ita alterum consulatum petere. Num id satis est? Non videtur; ita enim totus ex senatu pendebat, quem sibi adversum esse suspicabatur. Quare necesse est decem tribunorum haec lex fuerit, ut Caesar usque ad comitia anni 49 provinciam retineret atque ita absens provinciamque retinens alterum consulatum peteret. Hoc est illud populi beneficium, quod Caesar ipse bell. civ. I, 9 sibi per contumeliam ab inimicis extorqueri queritur (cf. Suet. Caes. 29), quod non in consulatus tantum petitione, verum etiam in provinciae prorogatione situm est. Atque idem alia quadam ra-

tione efficitur. Etenim Appianus bell. civ. II, 25, cum ceteri auctores de hac re taceant, Caesarem narrat anno 51 ab senatu petisse, ut sibi aliquid temporis ad quinquennium quod lege Pompeia Licinia habebat, adiiceretur (τὴν βουλὴν ᾔτει χρόνον ἄλλον ὀλίγον ἐς τὴν παροῦσαν οἱ τῆς Γαλατίας ἡγεμονίαν ἢ ἐς μέρος αὐτῆς ἐπιλαβεῖν). Cur hoc petebat? quod est breve illud tempus, quod addi sibi volebat? Nimirum ipso illo tempore M. Marcellus consul agere coeperat in senatu, ut ante tempus Caesari succederetur et ne absentis in petendo consulatu ratio haberetur, propterea quod tribuniciae legi Pompeius alia lege de iure magistratuum ferenda obrogasset. Quod ubi accepit Caesar, quoniam provinciae prorogationem iure defendi non posse videbat, a senatu impetrare cupiebat, quod antea a populo datum erat, nimirum ut tamdiu imperium retineret, dum consul designaretur. Nec in hoc quod a senatu petebatur, illud defuisse existimo, ut liceret absentem consulem designari, sed Appianus unum nominavit, alterum intelligi voluit.

Certum igitur esse debet, cum Caesari daretur, ut absens peteret consulatum, una datum esse, ut provinciam dum designaretur, retineret. Sed quomodo iam diversum esse potest *abesse* et *retinere exercitum?* Nonne qui provinciam habet, idem habet exercitum? Certe, sed non tantum quantum Caesar. Acceperat ille lege Vatinia, ut magnum exercitum comparare liceret, nec lex Pompeia Licinia, cum modo consulibus magnae provinciae infinitaque belli gerendi potestas tradita essent, minus ei concedere potuit. Sed cum haec quoque lex exisset atque alterum quinquennium completum esset, poterat ab senatu sine dubio adimi exercitus, cuius sumptus publice praeberetur, sed provincia relinqui: quo facto extitit illud, ut Caesar publice in regenda provincia abesset, exercitum autem non amplius retineret. Quamquam cum ille paululum temporis ad provinciam sibi adiici cuperet, vix operae pretium erat, separato ab provincia exercitu hunc dimitti iubere, illam relinqui; fortasse etiam contra morem veterem erat, ut rector provinciae adempto exercitu tamen remaneret. Itaque Cicero et exiguum potestatis discrimen et consuetudinem spectans rectissime scripsit, cum unum datum esset, alterum una datum esse; nec

minus tamen recte ius provinciae et exercitus distinxit. Quod autem de provinciae et exercitus separatione disputavimus, non esse a nobis excogitatum, sed multis multorum sermonibus tunc agitatum ea, quae sub initium belli anno 49 acta sunt, ostendunt. Etenim Caesar ipse c. 2 senatus consultum factum esse scribit, *uti ante certam diem Caesar exercitum dimittat*, sed plenius exequitur Dio XLI, 3 decretum esse, ut Caesar provinciam successoribus traderet et exercitum ante certam diem dimitteret. Id sic agi oportebat, ut exercitus prius dimitteretur quam successores in provinciam venirent; neque enim alienus exercitus in provincia, quae novo proconsuli pareret, remanere poterat. Quem diem senatus dimittendi exercitus praescripserit, nescitur; sed intra mensem fere dimitti poterant Caesaris legiones, tum praecurrere novorum proconsulum legati, qui provincias acciperent. Ipsi proconsules interim dilectibus novoque exercitu comparando occupabantur. Sed persequi haec, quae demonstrari non possunt bellique tumultu perturbata sunt, inutile est; illud certe apparet, quod inter provinciam et inter exercitum discrimen Cicero significat, de eo etiam aliis testimoniis constare.

Veruntamen ut ad Hofmannianas rationes locumque Ciceronis paululum revertamur, in iis quae sunt *exercitum retinentis cum legis dies transierit, rationem haberi placet?* quaeritur quae lex dicatur. Non dubie Pompeii et Crassi legem, qua alterum quinquennium Caesari datum est, intelligo. Probabile id esse negans Hofmannus, prohibere, inquit, Caesarem petitione quae lege apertis verbis ei data erat, ea de causa, quod ultra legitimum tempus exercitum retinuisset, num hoc est iure agere aut aequitatem conservare? Leviter inflectendo totam Ciceronis sententiam commutat; neque enim hercle causam, quare Caesaris ratio non habenda sit, Cicero eam esse ait, quod dies legis transierit: id Hofmannus subiicit, ipse qui Caesarem cum legis dies transierit, exercitum retinentem faciat, non ait. At ille, quasi certissima sit sua interpretatio, legem intelligit tribuniciam, qua Caesari alterius consulatus petitio data est, hac lege qui annus vel dies petitioni praescriptus

fuerit, eum transisse, denique anno 50, non anno 49, ei consulatus petitionem concessam esse colligit.

Sequitur altera ratio, qua tota prope Hofmanni commentatio nititur, quod Caesari lege tribunorum in comitia anni 50 petitionem datam esse putat, non anni 49, quae communis omnium virorum doctorum sententia est. Ac vulgaris huius sententiae argumenta videntur esse certissima. Quid enim planius est, quam Dionis XL, 51 verba, qui Caesari illa lege datum esse scribit ἀπόντι τὴν ἀρχὴν ὅταν ἐκ τῶν νόμων καθήκῃ αἰτῆσαι i. e. ut legitimo post primum consulatum tempore exacto petere liceret, id quod anno 48 accidere omnes concedunt neque Hofmannus negat. Atque ipse Caesar bell. civ. I, 32 ait *se nullum extraordinarium honorem appetisse, sed expectato legitimo tempore consulatus eo fuisse contentum, quod omnibus civibus pateret*, legitimum autem illum annum bell. civ. III, 1 fuisse ait annum 48. Denique Hirtius bell. Gall. VIII, 50 anno 50 narrat Caesarem colonias et municipia Galliae adisse, ut *se et honorem suum in sequentis anni* (i. e. anni 49, cum consules anni 48 creati sunt) *commendaret petitione.* His tantis testimoniis quid potest esse magis perspicuum? Sed non placent Hofmanno p. 27, imprimisque Dio improbatur, cui exceptionem illam plane ac dilucide legi ascriptam fuisse, concedere se nullo modo posse. Scilicet nos Dione longe sapientiores nec, si quid nobis obscurius est, dubium potest esse, quin ille potius in re maxima errarit quam nos minus diligentes fuerimus. At non erat illa exceptio, sed ipsa lex admodum simplex, quae in certum annum Caesari absenti consulatum daret. Sed fuerit exceptio, cur tandem Dioni concedi non potest? Nimirum tribunos si anni 49 petitionem absenti darent, aut nihil omnino fuisse acturos aut eadem lege Caesaris imperium prorogare debuisse. Quorum hoc non fecisse eos constare, illud non fuisse Caesaris prudentiae relinquique, ut absenti anno 50 petere permiserint. At unde constat, non prorogatum esse lege tribunicia Caesaris imperium? Hoc frustra quaeras apud Hofmannum, quem cum tam prope ab eo quod verum est abfuerit, aliis tamen errorem obiicere quam sibi amplius quaerendi officium imposuisse mirere.

Sed in eo capite, quod peculiare instituit ad demonstrandum, qui annus Caesari ad consulatus petitionem praescriptus sit, Hofmannus p. 30 primum affert Caelii epistolam mense Octobri ann. 51 scriptam apud Cic. epist. VIII, 8, 9: *Itaque iam, ut video, alteram utram ad condicionem descendere vult Caesar, ut aut maneat neque hoc anno sua ratio habeatur, aut, si designari poterit, decedat.* Perspicue his verbis ostendi ait, voluisse Caesarem petere anno 50. Aliis sit perspicuum, nos quidem, si Latinitas spectetur, *hunc annum* intelligimus esse aut eum, quo scripta sit epistola, aut eum de quo agatur. Illum esse non posse facile concedet ipse Hofmannus; sin alius intelligendus sit, cur 50 a. Chr. potissimum dicatur, non video. Sed etiam licuisse Caesari anno 50 petere consulatum Hofmannus demonstrare vult ex alia Caelii epistola apud Cic. ep. VIII, 13. Commemoratur enim ibi relatio consulum mense Iunio anni 50 facta de provinciis Caesaris et petitione consulatus, de qua relatione senatus tribunis intercedentibus assenserat. Ille breviter admodum apparere ait, de comitiis anni 50 agi, nos et haec comitia tam propinqua fuisse censemus, ut qui admittendi essent, constare deberet nec de comitiis solum, verum etiam de provinciis actum esse videmus, quarum dies si ipso illo anno 50 exibat, rectissime num adimendae essent, mense Iunio consulebatur. Neque quicquam aliud, quod non iam refutatum sit, affertur, sed discedenti Hofmanno ab scriptorum veterum auctoritate eorumque testimonia spernenti accidit necessario, ut multa viderentur obstare. Itaque longus esse cogitur in iis removendis, atque interpretatione uti parum simplici ac quasi naturali. Nam bell. civ. I, 9 Caesar *doluisse se* ait, *quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur ereptoque semenstri imperio in urbem retraheretur, cuius absentis rationem haberi proximis comitiis populus iussisset. Tamen hanc iacturam honoris sui reipublicae causa aequo animo tulisse. Cum litteras ad senatum miserit, ut omnes ab exercitibus discederent, ne id quidem impetravisse:* in his si proxima comitia anni 49 intelligantur, Hofmannus p. 34 negat aequo animo tulisse iniuriam, sed Rubiconem transisse. Quasi vero ille se sua causa, non ad defendendum ius tribunicium arma

sumpsisse dictitarit! At retractum in urbem esse Caesarem a. d. VII Id. Ian., litteras missas Cal. Ian., ac debuisse eas iniurias inverso ordine commemorari. Quasi vero aut temporis ordo illo loco diligentissime servandus fuerit aut Pompeiani ante Cal. Ian. non conati sint Caesarem retrahere! Nihil igitur est in his difficultatis, at maxima hercle in Hofmanni ratione, qui semenstre imperium ereptum quam sibi sit molestum, ne ipse quidem satis dissimulat. Simillimeque de altero loco Caesaris bell. civ. I, 32 iudicamus, qui si veteribus auctoribus credas nec ab epistola historiae secundum temporis ordinem compositae vel fastorum diligentiam requiras, facillimum habet intellectum.

Destruximus fere, nisi quid nos fugit, totius Hofmannianae disputationis fundamenta idque ita nobis faciendum esse putavimus, ut singillatim quae afferrentur argumenta examinaremus perpetuitatemque ipsam rationum diligentissime persequeremur. Reliquum commentarium minus curare licebit; quamvis enim et doctrina et subtilitate abundet, quia tamen in iis quae refutavimus, nititur, in multis et magnis rebus necesse est ab veritate abhorreat. Veluti quae p. 67 de Cn. Pompeii litteris ad senatum missis exponuntur, certe parum probabilia videbuntur esse, quippe quae ab ea opinione proficiscantur, Pompeium anni 50 comitia in Idus Novembres differre voluisse, ut iis Caesar deposito imperio praesens peteret; caput autem nonum de comitiis anni 50 a p. 87 cadet totum, quo rationes exponuntur, cur Caesar de consulatu anni 49 deiectus tamen ad arma ire noluerit. Quamquam etiam aliud incommodum in summa subtilitate viri doctissimi natum est ex eorum, a quibus proficiscitur, vanitate atque infirmitate. Deducitur enim necessario saepe eo, ut haereat in veterum scriptorum testimoniis, quae cum semel in ipsis disputationis fundamentis iaciendis contemnere coepisset, animum ipsum nescio quo pacto assuefecit, ut, si quid displiceret, id spernere quam suam sententiam mutare mallet. Itaque praeter Ciceronem nemo est veterum scriptorum, qui non alicuius erroris arguatur. Ac Dio quidem totus despicitur nec subtiliore interpretatione dignus habetur, velut p. 52 de difficillima intercalandi quaestione, quem si diligentius interpretere, videas non dicere, primam mentionem

intercalandi factam esse ab Curione, nec pugnare cum Ciceronis testimoniis, quae afferuntur, item p. 65, ubi in quibus rebus ab Appiano et Dione dissentiat, negat operae pretium esse afferri, similique ratione utitur p. 98 et p. 108 et p. 118 et saepe. Nec Graeci modo contemnuntur, sed etiam Latini, veluti p. 79, ubi subtilissima disputatio instituitur de morbo Cn. Pompeii, quando coeperit aegrotare, quando convaluerit, reprehenditurque Velleius, qui biennio ante bellum civile Pompeium narret gravissima valetudine temptatum esse. Quasi vero morbus ille non eiusmodi esse potuerit, ut multo et ante ipsum discrimen et post langueret nec certi omnino dies et temptatae et restitutae valetudinis possint indicari. Sed quod iure mirere, etiam Caesar vituperatur p. 115, non quod causam suam excuset eamque iustiorem videri cupiat, sed quod bell. civ. I, 2 et 3 eodem die, quo tribuni in senatu intercesserant, relatum esse de intercessione scribit, qua in re, quantum equidem reperio, nec cum consuetudine nec cum ullo alio scriptore pugnat.

Quae cum ita essent, totum Hofmanni commentarium non putabamus esse perlustrandum; nihil enim magnopere quod ad Caesaris et Pompeii ius explicandum pertineret, efficeretur. Sed duas res addo, parvas illas quidem et mentione fortasse minus dignas, sed quas nostrae defensionis causa commemorandas esse existimavimus. Quaeritur enim postquam anno 52 lex Pompeia lata est, ut praetores consulesque quinquennio post exactum magistratum provincias sortirentur, qua ratione interim provinciae mandatae sint. De ea quaestione breviter nos, sed abunde tamen diximus in comment. epigraph. Vol. II p. 204 sq., disputat etiam Hofmannus p. 143, corrigens, ut opinatur, nostra et quae in iis falsa essent, refutans. Etenim qui omnino ad sortiendas provincias admittebantur eo tempore, quo ipsa lex Pompeia valere nondum poterat? Omnes ait Hofmannus, qui ante quinquennium vel ultra gessissent magistratum. Nam in senatus auctoritate apud Ciceronem epist. VIII, 8, 8, quae auctoritas de provinciis anno post legem Pompeiam mandandis scripta est, haec sunt: *si ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent,*

unius autem collegii praetores, qui octo erant, novem provinciarum (nam tot tunc erant) numerum exaequare nullo modo poterant: hinc Hofmannus non uno anno qui praetores fuissent, sed omnes omnium annorum, qui ultra quinquennium essent, praetores ad sortiendum admissos esse colligit, parum recta ratione. Plus quam unius anni admissos recte colligeret, ut de omnibus annis credamus, nulla causa est. Sed quis eos annos definiret, quibus qui praetores fuissent, ad sortem accederent? Senatus, inquam, idque duobus argumentis certissimis demonstratur. Nam intercessisse senatus consultum, quo qui ad provincias admitterentur, quasi eligerentur, ostendit et illa, quam citavi, senatus auctoritas, in qua est: *quos ex S. C. in provincias ire oporteret*, nec legis Pompeiae ulla mentio fit, et Cicero epist. II, 15, 4, qui senatum voluisse ait eos provinciis praeesse, qui antea non praefuissent, legis non magis ullam mentionem iniicit. Sed etiam de sortitione ipsa, cum omnes, qui ultra quinquennium honores gessissent, admissos esse censet, Hofmannus ab constanti Romanorum more, quem ipse fatetur, cogitur desciscere. Etenim sic fieri solebat, ut tot sortes deiicerentur, quot essent provinciae, sortique non utrum quis provinciam acciperet necne, sed quam quisque acciperet, permitteretur: in aliis rebus alium sortiendi modum fuisse facile credo, sed in provinciis illa una erat consuetudo, quam diximus. Nec video ab Hofmanno ullum argumentum afferri, quo ab hac consuetudine tunc descitum esse doceat. Potuisse descisci demonstrare instituit ex Dione Cass. LIII, 14, qui postquam ab Augusto legem Pompeiam renovatam esse narravit, aliquamdiu addit omnes, qui ultra quinquennium honores gessissent, etiamsi plures essent quam provinciae, sortitos eas esse, postea electos ab principe. De quo loco vereor tamen ut recte existimarit Hofmannus. Vere enim tradit Dio provincias (ἔθνη) quae regendae essent, plures fuisse quam praetorios qui sortirentur (nam consularium quae ratio fuerit paulo post videbimus), sed praeter eas etiam praefectura aerarii Saturni et praefectura aerarii militaris et alia munera in sortem coniiciebantur, ut sortium numerus eorum, qui sortirentur, numerum aequaret. Alterum argumentum, quo docere

vult ex omnibus, qui ante quinque annos honorem gessissent, sorte electos esse provinciarum rectores, petit Hofmannus ex eo quod anno 51 Cicero et M. Bibulus provincias consulares acceperunt, cum tot consulares praeteritos esse ait, quot nisi sorte, praeteriri nequirent. At ut eorum numerus minueretur, senatus decrerat, ne admitteretur ad sortiendum, nisi qui provinciam nondum rexisset: quare ne ad consularem quidem provinciam, qui iam praetoriam habuerat, admissus est. (Cic. epist. II, 15, 4; ad Att. VI, 6, 3). Hac ratione eorum, ad quos provinciae pervenire possent, numerus ita minuebatur, ut Cicerone et Bibulo eligendo nemini fierit iniuria idque, si omnium, qui tunc erant, magistratuum vitam ac rationes plane perspectas haberemus, persequi etiam in singulis possemus. Nunc quae olim de provinciarum hac sortitione disputavimus, cum denuo examinarimus, verissima esse deprehendimus, nimirum duo haec esse observata, ut ex ordine annorum, quo quisque vel praeturam vel consulatum gessisset, ad sortiendum admitteretur, deinde ut tot admitterentur quot essent provinciae. Quibus duabus rebus demonstrandis cum tunc, quod apertae viderentur esse, supersederi posse putarim, iam breviter duo argumenta certissima afferam, primum consuetudinem imperatorum Romanorum, sub quibus revocata lege Pompeia cum inter honorem et inter provinciam quinque vel decem vel plures anni interessent, hunc constat morem fuisse, de quo plura dicere inutile est, deinde illam, quae saepe citata est, senatus auctoritatem apud Cic. epist. VIII, 8, 8. Ea iubentur provincias sortiri, primum ii, quos ex S. C. mitti oporteret, tum uti quodque collegium primum praetorum fuisset, denique proximi cuiusque collegii qui praetores fuissent: unde uti quodque collegium aetate antecessisset, ita ex eo qui nondum provincias rexissent, primos ad sortiendum esse admissos intelligimus. Extrema autem quae sunt, ut ex vetustissimo quoque collegio eligerentur, *quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret,* nonne totidem fuisse qui sortirentur, quot essent provinciae, luculente demonstrant? Sed cur anno 49 sortiti sunt provincias consulares L. Domitius et Q. Metellus Scipio, quorum neuter quinquennium post exactum

consulatum explerat? Id ex eadem illa senatus auctoritate explicandum esse censemus nos quidem; Hofmannus p. 153 coniicit, quod ex praetura nullam provinciam habuerant eaque praetoria provincia post consulatum translata est, sed quam difficilem quaestionem tangat, videtur nescire. Dixit de ea multa multis locis Bart. Borghesius magna cum eruditione et subtilitate, sed adhibitis imperatorum Romanorum temporibus: ex illa unius anni sortitione nihil demonstrari potest.

Altera res, in qua vituperamur, levis sane est nec commemoraretur, nisi magna nobis inscitia exprobraretur. Etenim anno 49 C. Fannium praetorem, non Asiae pro praetorem fuisse diximus in comment. epigr. Vol. II p. 213, propterea quod in nummis appellaretur PR i. e. praetor. At Hofmannus p. 156 nos docet saepe qui pro consulibus essent, consules, qui pro praetoribus, praetores esse appellatos. Nova scilicet res et quam nos ne fando quidem unquam audiverimus. Quamquam vellem hercle illud de consulibus demonstrasset; nobis quidem videtur esse inauditum locique quos affert, partim in melioribus editionibus correcti sunt, velut Cic. p. Arch. 5, partim alio pertinent. Sed ne praetores quidem qui pro praetoribus essent, in nummis certe unquam appellabantur. Nam quae exempla affert ex Eckhel. Doctr. numm. IV p. 230, quae ne nobis quidem ignota fuisse disputatio nostra facile ostendit, ita sunt dubia, ut M. Atium Balbum vere praetorem, S. Catonem item vel praetorem vel praefectum (nam pro praetore nunquam fuit) vocari censeam, praesertim cum unum illum, qui praeterea in nummis provincialibus PR vocatur, C. Coponium vere praetorem fuisse ostenderimus p. 214. Sed narratur etiam C. Fannius apud Cic. ad Att. VII, 15, 2 in Siciliam esse missus idque minus facile nobis in eo, qui propriam provinciam haberet, tam periculosis temporibus videbatur accidere potuisse. At Hofmannus exemplis multis allatis demonstrat, multis saepe mutatas esse provincias, multis extra ordinem alia imperia decreta. Quasi vero id nos nescierimus, sed quod facilius et quasi simplicius esset, sequendum esse putabamus. Quamquam levis, ut diximus, est res eaque de qua alios aliter sentire facillime patiamur, dummodo ne notissimarum rerum inscitiae ipsi arguamur.

Diximus de commentario Hofmanniano et satis diximus, ut nostra de imperio Caesaris sententia defensa ac constituta esse videatur: sequitur ut Theodori Mommsenii libellum de iure Caesaris et senatus, qui in actis societatis hist. phil. Breslav. (Breslav. 1857) prodiit, examinemus. Is ab priore longe est diversus. In illo magna cum cura omnia argumenta afferuntur, loci veterum expenduntur, tota quaestio singillatim pertractatur: hic minorem curam singula examinandi prodit, sed altius evectus de summa republica disputat eaque profert, quae si vera essent, universam historiam Romanam non leviter immutarent. Eoque magis ne hanc quidem viri doctissimi disputationem silentio praetermittendam esse putavimus, quae si vera sit, facile ab iis, qui litteras nostras non in opinionibus, sed in argumentis ac rationibus positas esse existiment, contemnatur, sin falsa, in tanta eius a quo instituta est auctoritate ne propagetur atque ad antiquitatem Romanam minus recte explicandam adhibeatur verendum sit.

Est autem Mommsenii de imperio Caesaris opinio haec. Vulgo ait p. 37 sic existimari imperium eius prid. Cal. Ian. anni 48 exisse paucosque dies in universa historia esse certiores. Mirum igitur hercle est, tot viros doctos, qui testimonia atque auctores diligenter examinassent, tamen de re facillima (nam quomodo non sit facillima, qua nihil in universa historia certius esse dicatur?) non dubitarint modo, verum etiam alius in aliam sententiam discesserint. Sed cur dies ille exeuntis anni 49 certissimus est? Quia, inquit, constat, Caesarem sperasse se dum alterum consulatum anno 48 auspicaretur, in provincia esse mansurum. At diversum est, quod quaeritur, nec si sperabat ita Caesar, sequitur, ut quinquennium legis Pompeii et Crassi eo die exierit; siquidem et speramus saepe quae non oportet fieri et relinqui potest in provincia etiam cuius dies exierit. Quaeritur autem, quid ex lege licuerit Caesari, idque, opinor, nisi ex iis quae postulabat, cognosci non potest, postulasse autem Caesarem hoc tantum, ut dum designaretur consul i. e. usque ad medium fere annum 49 provinciam retineret ipse fatetur Mommsenius p. 54. Poterat fortasse ille sperare, si semel esset designatus, auctoritate novi honoris,

quem proxime initurus esset, se apud senatum effecturum, ne quis sibi ante annum 48 successor mitteretur itaque in provincia retineretur: sed postulasse eum quicquam eiusmodi nemo tradidit. Quare quod Mommsenius quasi pro argumento communis opinionis affert, quia ex duabus rationibus inter se parum recte confusis efficitur, nullum est argumentum; neque quicquam aliud, quo illam opinionem demonstret, addi video, nisi forte hunc Caesaris bell. civ. I, 9 locum, qui in mandatis, quae praetori Roscio et L. Caesari ad Pompeium dedit, haec fuisse scribit: *doluisse se, quod — erepto semenstri imperio in urbem retraheretur, cuius absentis rationem haberi proximis comitiis populus iussisset.* Quae ille cum sic interpretatur, si Caesar coactus esset praesens petere consulatum, futurum fuisse, ut semenstri imperio privaretur, leviter inflectendo argumentum efficit, unde nullum effici potest. Neque enim quid futurum fuerit, si absenti petitio adimeretur, Caesar scribit, sed ineunte anno 49 cum iussus esset decedere, semenstri imperio sese spoliatum esse queritur. Quare cum duae illae res, quae argumentorum loco ab Mommsenio afferuntur, parum valeant, nihil de exitu anni 49 credemus, sed in ea sententia remanebimus, quam supra satis multis rationibus confirmasse videmur, ut Idibus Novembribus anni 50 alterum quinquennium Caesaris praeterisse statuamus.

At alii imprimisque Hofmannus Cal. Martiis anni 49 exire debuisse ex lege existimant eius imperium, quam sententiam non minus ille certissimis argumentis ita ait esse demonstratam, ut refutari non possit. Quod quam vere dixerit, qui superiorem nostram disputationem legerint, iudicabunt. Ipse quidem una hac ratione utitur, qua omnes, qui eodem die imperium Caesaris finiverunt, decepti sunt. Lex Vatinia, inquit p. 40, ad Cal. Mart. anni 54 pertinebat; adde alterum quinquennium lege Pompeii adiectum, pervenietur ad Cal. Mart. anni 49. De qua ratione cum supra p. 165 satis dictum sit, nihil nunc disputari opus est. Reliqua quae habet, ad diem definiendum nihil valent nec minus cum Idib. Novembr. anni 40, quas nos statuimus, quam cum Cal. Mart. anni 49 conveniunt. Nihil igitur in hac quidem re novi affert nec movet novas dubita-

tiones, ut multis refellendus sit; quae minus vera esse intelleximus repetit.

Sed faciamus vera esse, quae falsa esse docuimus: credamus interim Mommsenio dicenti non demonstranti, Caesaris imperium et Cal. Mart. anni 49 et prid. Cal. Ian. anni 48 exisse: nonne pugnant haec inter se? Quod imperium Cal. Mart. finitur, quomodo potest idem ad prid. Cal. Ian. extendi? Ubi de iure Caesaris et Pompeii ac belli civilis origine agitur, illud, opinor, imprimis quaerendum est, quid in lege, qua Caesari imperium vel datum vel prorogatum est, fuerit, in qua lege certe unus tantum dies nominabatur, duos nominatos esse nemo poterit credere. Neque hercle id placet Mommsenio, sed veterem aliquem morem vel legem reperisse sibi visus est, qua quod imperium proprie ad Cal. Mart. pertineret, ad Cal. Ian. propagaretur. Hoc in loco versatur maior pars commentationis Mommsenianae, hoc novum necdum a quoquam virorum doctorum, qui de antiquitate Romana scripserunt, observatum est, hoc denique eiusmodi videtur esse, quod, si verum esse demonstretur, nostram de republica Romana scientiam magnopere commutet.

Nimirum cum anno 153 a. Chr. consules Cal. Ian. magistratum inire coepissent, non esse prorsus abolitum vetus anni initium censet Mommsenius p. 12 sq., remansisse ex vetere more, ut a Cal. Martiis annus militaris, quem appellat, inciperetur; in ceteris rebus ex illo tempore Cal. Ianuarias pro initio anni esse observatas, in rebus militaribus Cal. Martias. Neque eum morem mansisse aliquamdiu, sed usque ad extrema prope imperii Romani tempora religiosissime esse conservatum; nam argumenta, quibus opinionem suam confirmari putat, ex inscriptionibus ineuntis saeculi tertii p. Chr. sumit. Magna profecto res atque admiratione nostra dignissima, qua, quod prorsus novum sit, in rempublicam Romanam introducatur. Reliqui quidem adhuc existimavimus, res militares et civiles (utar enim hoc nomine quamvis parum apto, quia ab Mommsenio civilem annum et similia appellari video), existimavimus igitur, res militares apud Romanos non consuevisse separari ab civilibus. Quid enim separarentur? Omnibus

rebus iidem praeerant, consules, praetores, quaestores, qui pari iure civiles et militares res administrarent, neque ipsi tribuni plebis, quatenus eorum potestas pertinebat, a re militari abhorrebant. Num igitur duplicem quasi personam magistratus gerebant? Quis hoc unquam audivit? aut quomodo fieri poterat? Quae res maxime civilis a nobis existimatur, ius et iudicia, nonne pro imperio exercitam esse constat? Quae comitia sanctissima habentur summamque omnium rerum potestatem habent, centuriata nonne militari ratione et instituta sunt et perpetuo habentur? Quid igitur, quaeso, interesse potest inter res militares et civiles in urbe Roma? Extra vero et in Italia et in provinciis omnia sunt plena imperii; omnia enim armis capta sunt atque armis retinentur; qui praesunt, cum cohorte sua militia funguntur. Labentis demum ac prope corruentis imperii Romani institutum fuit, ut res civiles ab militaribus seiungerentur atque alii illis, alii his imponerentur. Quid igitur vult sibi annus militaris? quid civilis? siquidem illud discrimen Romanis ignotum fuit. Novimus etiam, in quibusdam rebus proprie sacris morem fuisse Romanorum, ut annum diversum ab vulgari sequerentur. Velut omnia sodalicia constat ab eo die, quo quos magistros crearent magisterium inirent, annos numerasse lateque patet ille usus. Qui tamen quantopere ab anno militari discrepet, vix potest esse obscurum. Etenim eam ob causam, quia apud Romanos tempus ex eorum qui cuique rei praeerant, nominibus numerabatur, sodalicia ab die, quo magistri inirent, annos incipere oportebat. Dissimilia etiam videntur esse, quod aedes in urbe Roma ex Cal. Iuliis fere locabantur (Suet. Tib. 35) et quod censores ex Idibus Martiis vectigalia locabant: ex quibus rebus quae apud nos quoque cum communi anno discrepant, nemo certe de nova temporis numerandi ratione colliget.

Mirum igitur esse videatur, si aliam anni rationem in rebus militaribus Romani secuti sint, aliam in rebus civilibus, alienumque a more Romanorum, quippe qui nusquam ita militiam seiunxerint. At quae huius tam admirabilis rei argumenta afferuntur? Primum Mommsenius citat inscriptionem apud Henzen. n. 6752, quae hoc habet argumentum. Anno 203 p. Chr.

sedecim milites, qui inter vigiles Romae stipendia fecerunt, genio centuriae, in qua fuerunt, aram posuerunt: *qui frumento publico incisi sunt Cal. Martis — quorum nomina infra scripta sunt, milites facti Anullino II et Frontone cos.* (i. e. anno 199). Sequuntur quattuordecim militum nomina, ex quibus unus miles factus esse dicitur K. Iun., quinque VIII K. Aug., reliqui IIII Id. Aug., XVI K. Nov., VI K. Nov., Id. Nov., tres VIII Id. Dec., IIII K. Ian., tum Severo et Victorino cos. (i. e. anno 200) unus K. Febr., alter Id. Febr. Aperta videtur esse inscriptio nec quicquam habere, quod a communi quam adhuc credidimus, ratione discedat; nam illud, quod vigiles dicuntur inter eos esse inscripti, qui frumentum publicum acciperent, praeclare illustrat Ulpian. fragm. III, 5, qui *ex senatusconsulto* ait *concessum esse* Latinis, *ut si triennio inter vigiles militaverint, ius Quiritium consequantur*, civium autem Romanorum hoc commodum fuisse constat, ut frumentum publicum accipere possent. Quid in his est, quod annum quendam militarem demonstret? At Mommsenius sic ratiocinatur, quod tempus sedecim illi milites supra triennium meruissent, eius elucere non esse rationem habitam trienniumque, quod ex SC. ad civitatem Romanam assequendam opus esset, ab Cal. Mart. anni 200 esse numeratum: perspicue igitur apparere annum militarem, cuius initium ab Cal. Mart. duceretur. Qua in ratione duae res praetermissae sunt vehementer necessariae, primum qui triennium inter vigiles meruissent, continuo, quamvis non essent professi nec petissent, civitatem Romanam esse assecutos, deinde, qui Latini facti essent cives, rursus continuo in tabulas eorum, qui frumentum publicum acciperent, esse inscriptos. Etenim si aut vigiles post stipendia triennii ius tantum civitatis Romanae consequendae, non ipsam civitatem adipiscebantur, aut qui cives Romani facti erant, expectabant, dum in tabulis frumenti publici loca vacua fierent, non poterat modo accidere, sed certe plerumque accidebat, ut vigiles post expleta triennii stipendia aliquamdiu, dum et cives fierent et frumentum publicum acciperent, expectarent. Manca igitur est et incertissima Mommseniana ratio, ex qua nihil omnino effici censeo, nedum apparere annum militarem, qui in aliis rebus

inauditus est, existimem. Quod Cal. Martiis vigiles illi in tabulas frumenti publici narrantur esse inscripti, haud scio an nihil ostendit, fortasse hoc unum, vel omnibus Calendis vel Cal. Martiis (neque enim de hac re a proposito nostro alienissima hoc loco quaerere possumus) tabulas frumenti publici esse correctas atque in demortuorum locum alios substitutos, de anno militari ex vestigiis, quae adeo nulla sint, colligi non licet. At omnino ait, sicubi milites, qui pariter i. e. eodem anno militari stipendia facere coeperint, recenseantur, eos dici duobus consulatibus militiam inisse. Vereor, ne vir doctissimus per orbem quendam ratiocinando ab eo proficiscatur, quo perveniendum sit ac quod demonstrandum sit, pro certo sumat: nec consuetudinem illam per duos consulatus recensendorum militum constantem esse ipse paulo post p. 15 fatetur. Plerumque sic fieri dicit, umbram etiam illam rationis destruens. Nam quot causae reperiri possunt, cur milites aetate ac stipendiorum numero proximi communiter aliquid posuerint ac dedicarint? Ex exemplis autem, quae afferuntur, primum certe huc minime pertinet. Nam apud Henzen. n. 6863 septem milites cohortis praetoriae anno 150 propter missionem honestam genio centuriae aram posuisse dicuntur, ex quibus quinque anno 133, duo anno 134 militare coeperant. Ex qua inscriptione si opinionis suae argumentum quamvis tenue sumere vellet, Mommsenius docere debebat, quinque illos milites post Cal. Mart., duos ante Cal. Mart. milites esse factos; aliter enim intra unius anni, quem putat, fines non coercentur, vel, quoniam hoc fieri non poterat, missionem honestam post ipsorum sedecim annorum stipendia dari consuevisse, ut inde, qui pariter missi facti essent, pariter militiam inisse intelligerentur. At ipse cum p. 15 rectissime observet, non fuisse hoc moris eosque, qui stipendia emeruissent, potuisse honestam missionem accipere, non oportuisse: quid, quaeso, efficitur? Reliqua duo exempla petuntur ex inscriptionibus Lambaesitanis, quarum prima (apud Leon. Renier. Inscript. Alger. n. 19) posita est L. Novio Crispino Martiali a veteranis *leg. III Aug., qui militare coeperunt Glabrione et Torquato item Asiatico II et Aquilino cos.* i. e. ann. 124 et 125 p. Chr., altera M. Aurelio de-

dicante A. Iulio Pisone leg. Aug. pr. pr. a centurionibus et veteranis *leg. III Aug., qui militare coeperunt Glabrione et Homullo et Praesente et Rufino cos.* i. e. ann. 152 et 153, tertia ipsi A. Iulio Pisoni ab iisdem centurionibus et veteranis *leg. III Aug., qui militare coeperunt* iisdem annis (Leon. Renier. l. l. n. 45 et 46). Hae inscriptiones Mommsenius dubitandum esse negavit quin eam ob causam positae sint, quod veterani facti sint, qui posuerunt: cur centuriones, qui in duobus titulis cum veteranis coniunguntur, posuerint, non addit. Sed etiam de veteranis magnopere dubitari posse video. Nam alteram ex inscriptionibus, quae citatae sunt, positam esse constat anno 176 p. Chr., ut viginti tres anni praeterierint, postquam veterani illi militare coeperunt, veterani autem, ni fallor, post viginti annorum stipendia fieri solebant, ut tot stipendia emeriti, quamvis non acciperent honestam missionem, tamen vacatione munerum castrensium et veteranorum honore statim donarentur: sic tradi certe a viris doctis videmus, neque enim ipsi quaesivimus. Quod si ita est, num veteranos triennium post expleta stipendia expectasse putamus, antequam pro veteranorum honore imperatori legatoque titulum illum ponerent? Sed cur duorum annorum milites coniunctim legato suo nescio quid posuerunt? Nescio quid commune habuerint, sed de anno militari nec esse demonstratum nec posse omnino demonstrari intelligo.

Atque elevat ipse Mommsenius opinionem suam miro modo. Etenim si erat ullus ille, quem coniicit, annus militaris, videtur in eo fuisse positus, ut Cal. Martiis et iniretur et deponeretur militia; quid enim valeret aliud? At Mommsenius varie disputat, primum certe non necesse fuisse, Cal. Martiis milites et deligerentur et dimitterentur: nam delectus diem ex arbitrio imperatoris pependisse atque in tabulis militum nullum diem non nominari, missionem item datam non post certa stipendia, sed quando placeret imperatori, deinde tamen, si universus rei ordo spectaretur, videri fere Cal. Mart. et deligi et dimitti consuevisse; nam et primis reipublicae Romanae temporibus incipiente vere convocatum esse exercitum et sub imperatoribus missiones ineunte mense Ianuario consue-

visse concedi, qui dies non procul abesset ab Cal. Mart. Quae quam incerta et blandiendi magis quam demonstrandi causa sint disputata, non opus est dicere. Equidem sub imperatoribus (nam libertatis exeuntis aetate haec ad arbitrium imperatorum facta esse ipse Mommsenius fatetur) voluntario milite constitisse intelligo legiones, delectus ad necessitates, quarum nullus certus dies esse potest, adhibitos; voluntario autem militi nullus dies ineundae militiae potest praescribi. Missionis denique concessae tempus ex tribus exemplis (nam tot citantur) definiri nequit, nec video, cur omnino certus dies in ea re servatus sit.

Veruntamen esto: fuerint Cal. Mart. ita apud Romanos observatae, ut iis militia et iniretur a militibus gregariis et deponeretur: quid hoc pertinet ad centuriones, praefectos, tribunos, legatos? Neque enim quod cadit in illos, idem oportet cadere in hos. Velut hodie in nostra civitate moris est, ut bis per annum statis diebus delectus habeantur, sed nemo propterea centurionum et tribunorum et legatorum stipendia ab iisdem diebus numerari existimabit. Nec dissimilis est Romanae militiae ordo sub imperatoribus certe, sub quibus cum exercitus a magistratibus separarentur, prout imperatori placuisset, praefecti vel sumebantur vel deponebantur. Quare etiamsi de militibus gregariis, quando milites fieri solerent, constaret, non sequeretur, ut eodem tempore consules et praetores et postea legati quique alii exercitibus praeerant, imperium inissent. Huius autem rei Mommsenius nullum prorsus argumentum attulit, sed tamquam nulla dubitatio superesse posset, quod in militibus praetorianis tempore imperatorum reperisse sibi visus erat, id ad imperia consulum et proconsulum et praetorum transtulit.

At etiam ultra progreditur. Iudicia, inquit p. 21, coniuncta sunt cum imperio, quare si imperii certus quidam et ab vulgari diversus fuit annus, idem valuit in iudiciis. Testimonia tamen hac in re prorsus deesse ait, quasi magna ulla attulerit de imperio. Sed argumenta tamen quaedam esse, unde iudiciorum ac litium principium a Cal. Martiis duci apud Romanos consuevisse colligamus. Praetores enim praefuisse

iudiciis, qui cum plures essent, sortitionem quid quisque ageret, semper factam esse post Cal. Ian.; duos igitur menses videri sortibus praetorum constituendis esse tributos, tum Cal. Mart. iudicia ipsa coepisse. In quo vereor ne Mommsenius, quod de provinciis, quas praetores exacto magistratu administrabant, verum est, minus recte ad praeturae ipsius munera transtulerit. Etenim provincias sane praetoribus constat obtigisse primis cuiusque anni mensibus, propterea quod eas proximo anno erant administraturi; sed in praetura quid quisque ageret, antequam magistratus iniretur, debebat constitui. Cuius rei cum multa exempla afferri possint, contenti erimus duobus, quae in promptu sunt. C. Verrem constat fuisse praetorem urbanum: qui postquam est designatus, statim urbanam provinciam sortitus est, edictumque composuit, quo L. Annii Aselli filiae patris hereditatem eripuit. Ea ita narrantur a Cicerone in Verr. libr. I, 41, ut nihil dubii superesse possit, quin Verres et antequam magistratum iniit, urbanam iurisdictionem acceperit et continuo post Cal. Ian. omnibus iudiciis rite praeesse potuerit. Neque minus apertum est alterum exemplum M. Metelli, cuius praetura in annum, qui Verris iudicium insequitur, incidit, de quo sic scribit Cicero in Verr. Act. I, 8: *Ecce autem illis ipsis diebus cum praetores designati sortirentur et M. Metello obtigisset, ut is de pecuniis repetundis quaereret, nuntiatur mihi.* Satis, opinor, hoc est ut praetores paulo postquam facti sunt, de muneribus suis sortitos esse Calendisque Ian. ipsa iudicia exercere potuisse intelligamus. Nec magis verum est alterum argumentum, quo Mommsenius utitur. Ait enim post Cal. Sept. eos, qui iudiciis praeessent, nullas novas causas videri admisisse; et cum hae Calendae mediae sint inter duas Cal. Martias, annum illum iudiciorum a Cal. Mart. incipientem significari. Existimat igitur nec Ianuario et Februario nec quattuor ultimis cuiusque anni mensibus ullas novas causas potuisse recipi. Hoc vero inauditum est et quam maxime cum rerum ipsarum natura pugnat, ut inutile prope sit exempla afferri. Itaque rursus duo tantum citabo, unum ex mense Septembri, alterum ex ipsis extremis anni diebus. Etenim Caelius apud Cic epist. VIII, 8, 1 anno 51 scribit: C.

Sempronius Rufus *M. Tuccium accusatorem suum post ludos Romanos reum lege Plotia de vi fecit*, et apud Ciceronem praetorem a. d. III Cal. Ian. reus factus est Manilius, Pompeii amicus, de cuius iudicio narrant Plut. Cic. c. 9 et Dio Cass. XXXVI, 27. Multae aliae causae cuiusvis generis vel leviter quaerenti facile occurrent, ut nihil magis constet, quam totum annum causis iudiciisque patuisse.

Haec sunt fundamenta disputationis Mommsenianae, quae quoniam coniecturis parum veris nituntur, ne quae superstruuntur quidem opiniones, probabiles videri poterunt. Itaque ea singillatim examinari ac redargui non opus est, praesertim cum talia longe facilius dicantur quam refellantur. Unum afferam, quod facile alios in errorem inducere possit, quod p. 30 ait praetores et consules, quamdiu magistratu fungebantur, imperio caruisse: qua in re abutitur eo, quod Vellei. II, 31 Cn. Pompeium narrat consulem anno 70 iurasse, in nullam provinciam se ex eo magistratu iturum. Quod cum ita interpretur, nullum illi imperium fuisse neque ex consuetudine provinciam obtingere potuisse, reliqui omnes sic potius intelligimus, cum liceret ei provinciam sortiri, Cn. Pompeium, ut modestiam ac temperantiam ostentaret, praeter ceterorum consulum consuetudinem iurasse, ex illo consulatu se in nullam provinciam esse iturum. Quare de imperio consulum nihil ex illo loco potest colligi, de provinciis hoc, consuevisse eas dari consulibus. At vero locus ille apud Caes. bell. civ. I, 6, quo anni 49 consules narrantur ex urbe profecti esse, *quod ante id tempus acciderat nunquam*, sane ad explicandum est difficillimus ac longae disputationis. Equidem hoc video nunquam in republica Romana factum esse, ut consules nullis decretis provinciis urbem relinquerent et cum imperio in Italia aliisque provinciis versarentur, id quod fieri non potuit nisi simul tota imperii sedes ex urbe in alium locum transferretur. Consules autem anni 49 per legem Pompeiam prohibiti provincias sortiri tamen cum summo imperio provincias obierunt. Sed pluribus haec persequi ab hoc loco alienum est. Mommsenii quidem interpretatio, qui ipsius consulatus anno consules nunquam ait in provincias exisse facile redarguitur. Ipse enim citat unde-

cim exempla, cum profecti esse consules narrantur, quae licet temporum necessitate excusari dicat, facere tamen debebant, ne Caesar nunquam id factum esse scriberet. Si enim ulla unquam fuerat in republica necessitas, fuit bello Caesaris illato.

Sed haec et talia, ne a proposito nostro aberremus, praetermittenda esse putamus: illud notare volebam, quo coniecturas parum probabiles persequendo perveniatur. Verum cur tandem tantae hae turbae excitantur? Nimirum ut Cal. Martiae imperii Caesaris defendantur, quarum una haec causa est, quod cum legem Vatiniam ad Cal. Mart. pertinere constet, legem Pompeiam, qua alterum Caesaris imperio quinquennium additum est, ad easdam referendam esse existimant. Qua in re negligunt constantem illam consuetudinem Romanam, quae saepe a nobis animadversa est, primum ut omnium extraordinariorum imperiorum ac potestatum dies ab eo die, quo lex de iis perferretur, sumeretur. Id in dictatura, quod summum est huius generis imperium, etsi per scriptorum silentium non potest demonstrari, apparet tamen fieri debuisse; in Caesaris quidem dictaturis, quarum memoriam accuratius persequi licet, certis testimoniis a nobis infra pluribus exponetur. Eodemque multae aliae potestates pertinent, velut eorum, qui agris dandis assignandis fiebant; id in XX viris, qui lege Iulia constituti sunt, certum videtur esse (Comment. epigraph. I p. 286) transferrique debet ad IIIviros legis Semproniae et X viros, quos lex Servilia in quinquennium fieri iubebat (ibid. p. 272), et alios multos, qui ante ea tempora simili de causa facti erant. Imperia extraordinaria antiquo tempore vel nulla fuerant vel quamdiu quodque pertinuerit, minus nobis nota sunt, sed ex quo tempore uberior scriptorum memoria extat, illa quam dixi consuetudo non difficile intelligitur. Etenim Cn. Pompeius lege Gabinia cum adversus piratas imperium in triennium acciperet, continuo habuit ab eo die, quo lex perlata est. Nam latam esse legem scimus ineunte anno 67, Pompeius autem bellum *extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit* (Cic. de imp. Pomp. 12). Num igitur aliquem diem casu electum esse putabimus, a quo im-

perium inciperetur? Nam Cal. Martias expectatas esse propter Ciceronis verba, quae citavimus, existimare non licet. An vero eam legem fuisse statuemus, ut quo die perlata esset lex, ab eo Pompeius imperium inciperet? Atque id haud dubie Plutarchus Pomp. c. 26 indicat, qui quo die populus legem sanxisset, eo ipso illum narrat noctu in urbem intrasse postridieque contione habita apparatum belli coepisse. Similiterque de lege Manilia existimandum est, qua perlata continuo Pompeius in novas provincias profectus bellum adversus Mithridatem administrare coepit. De Caesaris imperio hic disputamus, III viri autem reipublicae constituendae, qui post eum extraordinario imperio potiti sunt, non magis quin eodem die, quo lex Titia de iis perlata est, inierint potest dubitari. Cf. Comment. epigraph. I p. 17. Qua enim alia de causa diem a. d. V Cal. Dec., unde id coeptum esse constat, putamus esse electum? Num casu, cuius nulla possit ratio reddi? Nam, nisi quovis die recte imperium suum incipi arbitrarentur IIIviri, ut occupanda Italia atque urbe militibus obsidenda aperte omnes reipublicae leges violarant, ita triginta quinque dies amplius expectare poterant, dum Cal. Ianuariae advenissent. Ac constat ex diligenti rerum, quae tunc gestae sunt, narratione circiter a. d. V Cal. Nov. IIIviros urbem intrasse legemque Titiam esse latam. Denique rem conficit Appianus bell. civ. IV, 7, qui postquam uno die lex de novo imperio constituendo perlata est, insequenti nocte tabulas proscriptionis propositas esse narrat, in quibus IIIviri novi imperii nomen ascribunt et pro potestate sibi permissa se illas caedes facere profitentur. Altera consuetudo Romana ex ea quam modo diximus consequitur prope necessario. Etenim si antequam alicuius imperii dies exisset, vel idem prorogaretur vel novum adiiceretur, non expectabatur, dum prioris tempus praeterisset, sed continuo ab die novae legis prorogatio vel novum imperium incipiebatur. Id aperte intelligemus in dictatoris Caesaris honoribus, de quibus proxima, quae insequitur, nostra commentatio est, in quem cum alii super alios honores cumularentur, nunquam dum veteris honoris dies exisset, novum dilatum, sed hunc continuo initum esse docuimus. Idem-

que de III virorum reip. constituendae imperio saepius repetito argumentis haud dubiis in comment. epigraph. I p. 17 et 22 demonstravimus. Quae cum ita sint, qui Caesaris imperium lege Pompeii et Crassi datum ad Cal. Mart. anni 49 pertinere putat, desciscit a more Romano; nos, qui id Id. Novembr. anni 50 finitum esse statuamus, initiumque sumptum ab eo die quo lex perlata est (etenim circa illum diem latam esse et ex aliis argumentis intelligitur neque ab iis ipsis qui de Cal. Martiis credunt, negatur), non modo certa scriptorum testimonia, quorum nullum contemnimus, verum etiam veterem ac constantem reipublicae Romanae consuetudinem sequimur.

De iure autem Caesaris atquè origine belli civilis iam perspectis legibus constitutoque imperii tempore haud paulo rectius iudicare poterimus, de quibus rebus reliqui viri docti propter eam ipsam causam, quod ab iis quae vera sunt, desciverant, ad longas ac fere inanes disputationes descendere cogebantur. Nunc intelligimus causam Caesaris et Pompeii nihil commune habuisse cum lege consulari, qua alterum Caesari quinquennium datum est: eius dies cum frustra a M. Marcello temptatus esset, praeterierat: at pendebat tota ex plebiscito illo, quo Caesari permissum erat, ut usque ad comitia consularia anni 49 provinciam retineret atque absens consulatum peteret. Leges pugnabant haud dubie pro Pompeio, aequitas omnis pro Caesare. Etenim plebiscito illi obrogatum erat lege Pompeia, quae de iure omnium magistratuum lata erat, nec Caesar, cum leges contra suam causam esse ipse animadverteret, prorogationem provinciae ab senatu impetraverat. At inique nec sine aliqua fraude Caesari populi beneficium extortum erat; siquidem plebs cum legem Pompeiam sanciret, quicquam tamen eripi Caesari certe noluerat; inique tota civitas in armis erat, inique Pompeio summa omnium rerum potestas tradebatur, inique multa alia violandi Caesaris causa acta erant. Neque tamen hic quamvis inique oppugnaretur, sui honoris causam armis tueri statuit, sed expectans, dum inimici ira abrepti tribunorum potestatem sacrosanctam imminuerent, cum leges quoque secum facere intelligeret veteremque plebis potestatem tueri videretur, tum demum erupit. Accidit igitur in Pom-

peii et Caesaris contentione, quod saepe in talibus certaminibus accidere solet, ut verba legum cum aequitate pugnarent, quae pugna rursus ita comparata erat, ut, qui aequitatem tueretur, veterem rempublicam tolleret uniusque dominationem institueret. Nam Pompeius, quamvis suam utilitatem sequi videretur, haud dubie tamen libertatem defendebat, Caesar cum sibi quae aequa essent, retineret, reliquis quae iniquissima essent, imposuit. Item hoc apparet, quanto in casu maximarum rerum discrimina vertantur: quem tunc in oblivione Cn. Pompeii de gravissimo iure legem ferentis situm fuisse veteres auctores consentiunt. Neque haec occasio si defecisset, aliam delendae reipublicae Caesarem quaesiturum fuisse negabimus, sed quo fortunae quasi ludibrio levissima res maximarum apud Romanos commutationum causa extiterit, cognoscimus.

DE

DICTATORIS CAESARIS HONORIBUS.

Cum nuper in Galliae provinciae historia enarranda ad C. Iulii Caesaris tempora pervenissemus, ut potestates eius atque imperia diligentius examinare coepimus, magna capti sumus admiratione, quod omnia prope vel obscura vel incerta vel parum virorum doctorum studiis explorata esse videremus. Neque id in auctorum inopia aut exilitate accidit, sed tot gravissimi ac locupletissimi Caesarianae aetatis testes extant, quot vix alio imperii Romani tempore inveniuntur. Etenim ne M. Ciceronem, ex cuius tamen libris uberrima harum rerum cognitio peti potest, numeremus, Plutarchum habemus et Appianum et Dionem Cassium, quos quamvis tempore remotos, at copia et fide et rerum Romanarum cognitione haud contemnendos esse existimamus, habemus Suetonium, eorum quae ad imperatores pertinent, enarratorem accuratissimum, habemus denique ipsum Caesarem, qui licet causae suae serviret eaque ut iustior esse videretur, quaedam vel tacuit vel addidit, tamen tempora resque ipsas et optime cognovit et incorrupta fide tradidit. Accedit ad haec, quae per se ipsa satis idonea existimari poterunt, inscriptionum et nummorum certissima auctoritas, quae cum publica sit, ubi publice quid gestum sit quaeritur, nihil dubium relinquere posse videatur. Quamquam ab ipsis his nascitur quodammodo hoc loco confusionis atque obscuritatis initium. Servata enim nobis sunt in fastis Capitolinis, qui appellantur, duo fragmenta annos 49 usque ad 43 a. Chr. complectentia, in quibus quae de temporibus ac magistratibus traduntur, ab iis quae scriptores narrant, ita discedere videbantur, ut ab viris doctis quamvis diligenter quaerentibus nondum ea

inter sese conciliari potuerint. Quare ne locus historiae Romanae maximus, qui tot tantorumque auctorum testimoniis optime posset illustrari, obscurior relinqueretur, haec de honoribus Caesaris disputare statuimus, ut et tempora eorum explicaremus et universa quaedam de eorum vi ac natura adderemus.

Sunt autem fragmenta illa Capitolina, quae nobis pro regula quasi quaestionis nostrae erunt, haec:

C· CLAVDIVS· M· F· M· N· MARCELLVS L· COR
EODEM· ANNO
C· IVLIVS C· F· C· N CAESAR DIC
C· IVLIVS· C· F· C· N CAESAR· II P· SER
C· IVLIVS C· F· C· N· CAESAR II D
M· ANTONIVS· M· F· M· N .....
EODEM· ANNO
Q· FVFIVS· Q· F· C· N· CALENVS P· VA
C· IVLIVS· C· F· C· N CAESAR III M· A
C· IVLIVS· C· F· C· N· CAESAR III D
M· AIMILIVS· M· F· Q· N· LEPIDVS MA
EODEM· ANNO
C· IVLIVS· C· F· C· N· CAESAR IIII SINE
EODEM· ANNO
Q· FABIVS· Q· F· Q· N· MAXIMVS· IN M
MORTVVS· EST· IN· EIVS· L
C· CANINIVS· C· F· C· N· REB
C· IVLIVS· C· F· C· N· CAES
M· AIMILIVS I

VT· QVM· M· DVS PALVDATVS
CN DOMITIVS· M· F· M· N· CAL
IN· INSEQVENTEM· ANN
ERAT· NON INIIT
C· IVLIVS· C· F· ... CAESAR V
P· CO
C· VIBIVS cet.

Ita ipsi ex tabulis marmoreis descripsimus nec sane multum recedunt vetustiora exempla ab Smetio et Grutero allata.

Unum tantum erat quod cum animadvertissemus, magnum esse videretur, quod a principio versuum quorundam lineolas ascriptas invenimus: quas cum primum vidimus, frustra a nobis susceptam esse putabamus hanc quae iam scripta atque absoluta erat disputationem universam. Quid enim possunt lineolae illae significare quam annorum divisionem? Quae cum his temporibus propter insolitorum honorum multitudinem incertior esse existimaretur, ab eodem, qui honores perscriberet, lineolas esse adiectas: publice igitur, qui quoque anno summi magistratus fuerint, cum indicetur, illud unum relinqui, ut scriptorum testimonia cum illa auctoritate conciliemus, de ipsa et honorum et annorum serie prorsus constare. Neque hercle dubium esse potest, quin quisquis lineolas addidit, annorum distinguendorum causa addiderit: nec tamen minus dubium, quin male addiderit. Etenim cum constet Caesarem consulem quintum anno 44, quo occisus est, fuisse, quoniam sex lineolae interiiciuntur, efficietur, ut dictaturam anno 50, consulatum alterum anno 49 gesserit, quod utrumque cum omni chronologia pugnat. Quare aut qui nomina scripsit, imperite sine ulla publica auctoritate lineolas ascripsit aut postea alius non minus imperitus homo adiecit: nos quidem, quasi nullae prorsus annorum distinctiones reperiantur, ita scriptorum testimonia cum nominibus fastorum conciliabimus. Incipiemus autem, ut omnia ordine exponamus, ab illo tempore, quo bellum civile coeptum est.

Etenim cum Caesar provinciae suae fines egressus Italiam peteret Pompeiumque in Graeciam expelleret, omnes eum vi, non legibus egisse neque ulla potestate, qua tantarum rerum licentia ei permitteretur, praeditum fuisse confitentur. Neque ipse in commentariis suis de bell. civ. I, 7 id dissimulat, sed tribunorum plebis suaeque dignitatis necessariam defensionem praetexens aliam legitimam causam sibi defuisse significat. Expulso autem Pompeio postquam Caesar a. d. XV Kal. Apr. anni 49 (Cic. ad Att. IX, 15) Brundisium occupavit omissoque interim adversario Romam paucis ante Kal. Apr. diebus pervenit, nonne imprimis hoc efficere debuit, ut reliquum bellum iam legitima aliqua potestate ornatus administrare vide-

retur? Ipse quidem de bell. civ. I, 32 etsi summam orationis in senatu a se habitae refert, nihil eiusmodi narrat, sed supplet quodammodo lacunam Dio Cass. XLI, 15 sq.; ait enim Caesari senatum extra urbem datum esse, item populum contionis causa extra pomoerium convenisse, ut ei, cum Pompeium Italia exegisset primumque ad urbem venisset, nullam qua in urbe ipsa versari liceret, potestatem traditam fuisse appareat. Sed eam cum ad urbem tunc versaretur ei decretam esse ex iis, quae Plut. Caes. 35 narrat, intelligimus; nam quod L. Metellum tribunum plebis pro aerario publico intercedentem monendo ac minis deterruisse, ne amplius resisteret, dicitur, nisi in forum atque urbem intrasset, facere non potuit. Quare quae tunc instituta esse refert Dio XLI, 17, non omnia ab aliis, sed quaedam ab ipso Caesare administrata sunt. Ac leges quidem omnes ab amicis Caesaris latas esse existimo, ab M. Antonio maxime et Q. Cassio trib. pl., qui in urbem reversi saepe cum populo agebant, velut eas, quibus multi damnati restituebantur, ab Antonio rogatas esse constat (Cic. Phil. II, 23). Eodemque tempore de liberis proscriptorum latum est, ut ad honores curules admitterentur (Dio XLI, 18); nam reliqui honores, velut quaestura et tribunatus, etiam ante iis patuerant. Exemplo est C. Vibius Pansa, cos. anni 43, qui cum proscripti filius esset (Dio XLIV, 17), anno 51 trib. pl. fuit (Cic. epist. VIII, 8), tum praetermissa aedilitate, quam propter legem Corneliam gerere non potuerat, comitiis, quae dictator Caesar anno 49 habuit, praeturam anni 48 obtinuit (Borghes. in Diurn. Arcad. 1822, 3 p. 317). Nam sic cum Dionis auctoritate conciliandus est Plutarchus Caes. 37, qui in dictatura Caesarem proscriptorum liberos ad honores evexisse scribit (τῶν ἐπὶ Σύλλα δυστυχησάντων τοὺς παῖδας ἐπιτίμους ἐποίησε): nimirum Antonius ut eorum rationem haberi liceret tulit, Caesar in dictatura comitiis praesidens ex lege rationem habuit. Similemque fortunam habuit C. Carrinas (Dio LI, 21), qui cum eodem quo C. Vibius anno consulatum gesserit, praeturam quoque vicino tempore videtur gessisse. Haec igitur ac talia ab amicis Caesaris tunc acta esse arbitror, ipse nihil, opinor, praeter rem militarem tetigit. Sed qua potestate? quo

iure? Scriptores enim, quamvis quid pro ea potestate egerit dicant, qualis potestas fuerit, non commemorant. Ac primum quidem senatus consulto dandum erat, etsi urbem intrasset, ut imperium ne amitteret, quod utrum ita decretum sit, ut olim Q. Fulvio proconsuli decretum esse refert Livius XXVI, 9, ut ei par cum consulibus imperium esset, an alia aliqua ratione nescimus, sed decretum esse apparet. Extra urbem autem efficiendum erat, ut quod bellum Caesar gereret, id iuste ac legitime gerere videretur. Primum Sardiniam qui Pompeianis eriperet, misit C. Valerium legatum, tum C. Curionem in Siciliam legatum pro praetore (Caes. bell. civ. I, 30), eas quas diu ipse rexerat Gallias item legatis divisit (comment. epigraph. Vol. II p. 224), denique Italiae M. Antonium, tum maxime tribunum plebis, praefecit, sed legati et pro praetoris iure praeditum. Proconsulis haec sunt, sed eius, qui omnibus provinciis imperet: quare non nova potestas Caesari delata est (nam et proconsul fuerat et ex lege Vatinia tot quot ipsi placuisset legatis uti potuit), sed ea, quam habebat, ambitu ac provinciarum numero amplificata. Neque definitas esse existimo provincias, quibus Caesar imperaret: quam enim omittere aut poterat aut volebat? In Sardiniam, Siciliam, Africam legatos mittebat, Macedoniam Asiamque, in quam Pompeius invaserat, propediem erat liberaturus, Hispanias petebat: quid igitur ex imperio universo, quod non nominatum esse putare possimus, relinquitur? Quae cum ita sint, ab M. Antonio et C. Cassio trib pleb., iisdem, qui reliqua tunc agebant, legem latam esse existimabimus, in qua duae hae res continerentur, primum ut quod imperium Caesar haberet, id in urbe ipsa retineret, deinde ut praeter Gallias, quas habebat, Italia quoque reliquaeque provinciae ei permitterentur. Atque haec ita esse lata significat Dio Cass. XLI, 17: Τοσούτου τε ἐδέησαν τὰ χρήματα ἃ ὑπέσχετο σφίσι, τότε γε λαβεῖν, ὥστε καὶ τἄλλα οἱ πάνθ', ὅσα ἐν τῷ δημοσίῳ ἦν, πρὸς τὴν τῶν στρατιωτῶν, οὓς ἐφοβοῦντο, τροφὴν ἔδοσαν. Unam rem nominat, quae fuerit in lege, sed si fuit de pecunia ad bellum necessaria, certe non minus de ipso belli imperio, quantum et quale esse oporteret, fuit, intelligemusque non illud modo, quod

narratur, non vi, sed lege lata Caesarem aerario potitum esse, sed universum bellum in Pompeium eiusque legatos iam lege ac iure munitum gessisse. Notabilis autem est ipsa etiam proconsularis potestas, quae paulatim ita amplificata est, ut Caesar ea ornatus toti orbi terrarum imperaret. Nam in vetere republica ea unius fere provinciae uniusque anni finibus continebatur, Sulla tempus produxit, Caesaris Pompeiique ambitio et tres pro una provincias et decem annos comprehendit, Caesaris denique consummata iam potentia, etiamsi forte perpetuitatem nondum concupivit, (nam anni haud scio an certi sint praescripti, per quos Caesar imperium haberet in provinciis) provinciarum certe fines sustulit ad eamque amplitudinem pervenit, quam postea Augustus retinuit atque ad successores suos propagavit. Haec igitur est origo proconsularis illius potestatis, quam postea imperatores Romani habuerunt (cf. Comment. Vol. II p. 79), quorum dominatio nihil novum, nihil insolitum adiecit.

Atque hanc ob causam, quod haec potestas ei, qua Caesar antea in Galliis regendis usus erat, prorsus similis fuit, factum esse arbitror, ut ab eo tempore, quo eam accepit, anni principatus numerari non soleant. Etenim veteres, qui accuratius de chronologia scripserunt (nam eos, qui crassiore ratione usi mensibus neglectis annos tantum numerant, velut Syncell. p. 574 ed. Bonn., praetermitto), regnum Caesaris fuisse dicunt quattuor annorum et septem mensium (vid. Euseb. Chronic. tom. I p. 194 Venet., Chronic. Pasch. p. 354 ed. Bonn.), ut, cum Idib. Martiis anni 44 occisus sit, initium regni incidere oporteat in mensem Iulium vel Augustum anni 49. Iam proconsularis illa potestas quoniam senatus ille extra urbem, de quo diximus, ipsis Kal. April. habitus est (Cic. ad Att. IX, 17), delata est Caesari initio mensis Aprilis, a qua si regnum eius inciperetur, quattuor anni et undecim certe menses efficerentur: quare alium honorem quaerendum esse intelligo, quo accepto et supra reliquos civitatis principes Caesar elatus sit et septem tantum menses supra quattuor annos vixerit, neque alius reperitur nisi dictatura, quae in fastis Capitolinis primo honorum Caesaris loco ponitur. Eam decretam esse anno 49 C. Claudio

et L. Cornelio cos. tradunt ipsi fasti, sed quo anni tempore decreta sit, ita a viris doctis quaesitum est, ut ab eo quod verum est, recessisse videantur. Etenim Eckhel. doctr. numm. VI p. 14, etsi peccare intellexit, si qui ex scriptorum quibusdam minus cautis verbis initia dictaturarum et consulatuum eadem fuisse vellent colligere, minus tamen recte omnes dictaturas ab aestate sive Iulio fere mense repetendas esse putabat: qua in opinione et scriptorum testimonia neglexit et quid inter primam et inter reliquas dictaturas interesset, minus perspexit. Sed secutus tamen eandem rationem Letronnius Inscr. Aegypt. Vol. II p. 133 confecit etiam tabulam, in qua consulatus Caesaris et dictaturas ita disposuit, ut illorum omnium principia a Kal. Ian., harum a Kal. Iul. repeteret. Ita nummi fortasse possint explicari, sed ea honorum conferendorum aequalitas efficitur, quam in dictaturis nunquam, in consulatibus certe Caesaris non obtinuisse sciamus. Nos quidem (nam ab dictatura Caesaris regnum numerari pro certo ponimus) primum hoc colligemus, cum quattuor anni et septem menses regni fuisse dicantur usque ad Idus Mart. anni 44, non ineunte mense Iulio anni 49 factum esse dictatorem Caesarem, sed exeunte; si enim ad quindecim dies, quos a Kal. usque ad Idus Martias regnavit, aliquot accessissent mensis Iulii anni 49, octo potius quam septem menses numerarentur. Nec magis in exeuntem Augustum dictaturae initium incidit; nam ita sex modo regni menses pleni praeter quattuor annos relinquerentur. Quare exeunte mense Iulio vel ineunte Augusto anni 49 Caesar dictator factus sit necesse est. Cum hac autem ratiocinatione quae ab scriptoribus traduntur, prorsus congruunt, et ita congruunt, ut illa etiam accuratius definiatur. Sed illud prius quaerendum est, dictaturae regnique initium ab eo die, quo decreta est, an ab eo, quo Caesar recepit insigniaque eius usurpavit, numeretur; utrumque enim rectissime potest cogitari. Iam insignia dictaturae Caesar videtur sumpsisse non prius quam Hispaniis Massiliaque victis ad urbem rediit. Nam et Appianus bell. civ. II, 48 de dictatura eius dicit, eam per undecim dies gestam esse (tot autem se in urbe commoratum esse ipse ait bell. civ. III, 22), nec dissimiliter Plutar-

chus Caes. 37, qui eum intra undecim dies sese dictatura abdicasse narrat aperteque Dio XLI, 36: καὶ ὃς ὑπέστη μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπειδὴ πρῶτον ἐς τὴν πόλιν εἰςῆλθεν. Quare cum Caesar Decembri mense Roma ad bellum Pompeio ipsi inferendum in Graeciam profectus esse narretur (App. II, 48), exeunte Novembri in urbem pervenit insigniaque dictaturae sumpsit, a quo tempore si regnum numeraretur, nunquam septem menses et quattuor anni possent effici. Relinquitur, ut regnum ab eo tempore, quo dictatura lege oblata est, incipiatur, quod tempus cum septem mensibus prorsus convenire reperimus. Narrat enim ipse bell. civ. II, 21, ad Massiliam se cognosse *legem de dictatore latam seseque dictatorem dictum ab M. Lepido praetore.* Antequam autem Massiliam ad peragendam oppidi obsidionem pervenit, vicerat a. d. IV Non. Sext. legatos Pompeii in Hispania (hic enim dies in veteribus kalendariis notatur), ulteriorem provinciam habito Cordubae conventu occuparat, Gades adierat, navibus regressus Tarracone citerioris provinciae conventum egerat, denique pedibus per Galliam Narbonensem accesserat: quae omnia cum summa celeritate peracta esse narrentur, necesse tamen est hanc moram attulerint, ut post medium demum mensem Sextilem Caesar ad Massiliam perveniret deque dictatura sibi delata cognosceret: ipsa igitur lex circa medium mensem lata erat. Eodemque deducimur altera hac ratione. Etenim quis legem de dictatore latam esse putabit antequam de victoria Caesaris nuntiatum est? Tenuerat ille quidem iam antea urbem ac vi potuerat efficere, ut dictator diceretur, sed alieniores tamen ab eius causa plurimorum senatorum animi erant neque ad id quod iniustum esse putabant (Cic. ad Att. IX, 15, 2), facile compellebantur. Paulo quidem ante victoriam cum inopia magna Caesar premeretur, narrat ipse bell. civ. I, 53, quanta Romae animorum commotio facta sit quantaeque ad Pompeianos gratulationes. Itaque probabile est quod diximus, nuntiata demum Caesaris victoria senatum populumque de dictatore dicendo consensisse, ac cum Afranius et Petreius a. d. IV Non. Sex. victi sint victoriaeque nuntius decem fere diebus ex Hispania Romam pervenire potuisse videatur, rursus ad medium fere

mensem Sextilem deducimur, nec hercle multum aberrabimus, si ipsis Idibus Sextilibus et Caesarem lege lata dictatorem dictum esse et septem menses accuratissima computatione effici statuemus: a quo tempore per quinque menses usque ad Decembrem si Caesar insignia dictaturae sumere noluit atque in itinere faciendo, seditione militum componenda, tot rebus per provincias administrandis summa potestate caruit (neque de hac re quicquam dubium potest superesse), apparet, opinor, proconsulare imperium, quo extra urbem uteretur, ei antequam in Hispaniam proficisceretur, quantopere sit amplificatum.

Sed etiam de ipsa dictatura pauca dicenda sunt. Quam cum concupisceret Caesar, difficile esse videbat factu, ut eam adipisceretur, siquidem propter auspicia antiquus mos erat, ut consul dictatorem diceret: consules autem cum Pompeio ex Italia abierant. Itaque etsi eam, quam Sulla habuerat, dictaturam rite obtineri posse desperabat, ambigebat tamen maxime propter comitiorum consularium proximi anni rationem, quibus ipse creari cupiebat (Cic. ad Att. IX, 9, 3). Cui rei M. Lepidus praetor, tum urbi praefectus, subvenit, lege lata, ut ab eo, qui urbi praeesset, quamcunque potestatem haberet, dictatorem dici liceret. Haec quin ita acta sint ac primum senatus consultum, tum populi scitum, denique ipsius Lepidi electio intercesserit, ex Caesaris verbis, quae paulo supra citavimus, perspicuum est. Ac conveniunt fere scriptores. Nam ut Eutrop. VI, 20 et Flor. IV, 2, 1, qui leviores sane sunt, omittam, et Plut. Caes. 37 eum ab senatu dictatorem electum esse scribit, propterea quod senatus consultum primum factum est, et Dio XLI, 36 sic refert: Ἐν ὁδῷ δὲ ἔτ' ὄντος αὐτοῦ Μάρκος Αἰμίλιος Λέπιδος, οὗτος ὁ καὶ ἐν τῇ τριαρχίᾳ ὕστερον γενόμενος, τῷ τε δήμῳ συνεβούλευσε στρατηγῶν δικτάτωρα τὸν Καίσαρα προχειρίσασθαι καὶ εὐθὺς εἶπεν αὐτὸν παρὰ τὰ πάτρια. At Appiano bell. civ. II, 48 quid faciamus: Ὁ δὲ Καῖσαρ ἐς Ῥώμην παρῆλθε καὶ αὐτὸν ὁ δῆμος πεφρικὼς ᾑρεῖτο δικτάτωρα, οὔτε τι τῆς βουλῆς ψηφιζομένης οὔτε προχειροτονοῦντος ἄρχοντος· ὁ δὲ εἴτε παραιτησάμενος τὴν ἀρχὴν ὡς ἐπίφθονον, εἴτε οὐ χρῄζων, ἄρξας ἐπὶ ἕνδεκα μόνον ἡμέρας (ὧδε γάρ τισι δοκεῖ) ὑπάτους ἐς τὸ μέλλον ἀπέφηνεν cet.? Nonne omnino haec reliquorum quos cita-

vimus auctoritati videntur adversari? Qui cum fide digniores putarentur esse, sic fere factum est, ut Appiani narratio tamquam falsa contemneretur. A qua equidem sententia longe discedo. Tot enim rebus quae Appianus narrat, ab iis quae reliqui differunt, ut diversa ea esse necesse sit. Ille Caesarem creatum esse ait postquam in urbem advenit, hi cum esset in itinere, ille sine senatu, hi ex SC., ille ex nullius magistratus auctoritate, hi a M. Lepido, ille vel quia invidiam fugeret vel quia non opus haberet, quod oblatum erat, eum non accepisse, hi accepisse, ut de alia re necessario narret ille, de alia hi. Sed ea uti diversa, ita simili tamen ex genere erat; nam Appianus cum Caesarem dicat non accepta ea, quam populus deferret, potestate undecim tantum dies fuisse dictatorem, populum maius aliquod dictaturae genus ei obtulisse significat. Ac sic rem actam esse debebimus statuere. Caesar, ut diximus, quoniam et in provinciis et in urbe satis potentiae habere sibi videbatur decreta illa proconsulari, de qua exposuimus, potestate, una de re ambigebat, quo pacto insequentis anni comitia haberet; quare post victoriam Hispaniensem M. Lepidus legem tulit, ut comitiorum habendorum causa ab eo qui tum urbi praeesset, praetore dictatorem dici liceret. Nam gessisse certe Caesarem hoc levius quodammodo dictaturae genus vel illud est argumento, quod nullum magistrum equitum habuit: quo carere dictatorem cum nec liceret (Dionys. V, 75) et sine exemplo historiae sit, nisi eum, qui non rei gerendae, sed certi unius negotii administrandi causa factus sit (Liv. XXIII, 22), ne Caesarem quidem existimabimus ob aliam rem accepisse dictaturam nisi ut rite consules crearet. At populus, ubi ille urbem introiit, postulare coepit, ut maiorem illam dictaturam, qua L. Sulla olim ad rempublicam constituendam usus erat, deferri sibi pateretur. Qua recusata (nam id Appiani imperfectum ἠρεῖτο significat) omni omnino dictatura sese abdicavit. Neque enim ea opus habebat; nam Dio XLI, 36 ait: τῇ τε γὰρ παρὰ τῶν ὅπλων ἰσχύϊ ἐχρῆτο καὶ προςέτι καὶ ἐξουσίαν ἔννομον δή τινα παρὰ τῆς ἐκεῖ βουλῆς προςέλαβε· πάντα γὰρ μετὰ ἀδείας ὅσα ἂν βουληθῇ πράττειν οἱ ἐπετράπη. Nimirum haec, quam Dio hoc loco commemorat, a senatu delata omnium rerum

urbanarum potestas videtur illa fuisse, qua Caesarem cum primum Pompeio Italia pulso Romam intraret, ornatum esse supra dixi: quae cum in plures annos, ut opinor, delata esset, etiam postea, si quando aliis honoribus vacaret, sufficiebat. Quae cum ita sint, et Appianum non modo vere, verum etiam reliquis auctoribus copiosius tradidisse, et recte versum illum fastorum Capitolinorum a viris doctis expleri intelligemus sic:

C· IVLIVS· C· F· C· N· CAESAR
DIC[TATOR· COMIT· HAB· CAVSSA

Addi his posset: ET· LATINARVM· FERIARVM· CAVSSA (nam has ab eo celebratas esse constat aliosque ob eam causam dictatores factos), sed spatium, quod vacuum est, non videtur tot verba capere.

Successit alter Caesaris consulatus, is, de quo omnis bellorum civilium contentio exarserat, ipsis decem postquam primum gessit, annis susceptus, quemadmodum Caesar bell. civ. III, 1 ait: *illo anno se per leges consulem fieri licuisse.* Pertinet eo versus quartus fragmenti Capitolini:

C· IVLIVS· C· F· C· N· CAESAR II
P· SER[VILIVS· P· F· C· N· VATIA· ISAVRICVS

Quamquam eum non in urbe iniit Caesar, sed Brundisii; nam App. bell. civ. II, 48 eum Decembri mense et Dio XLI, 39 antequam consulatum auspicaretur, Roma exisse scribunt, Brundisio autem prid. Non. Ian. naves se solvisse ipse narrat bell. civ. III, 6. Totum igitur consulatum gessit absens, cum Servilius, qui unus ab Dion. XLII, 17 in rebus urbanis huius temporis narrandis commemoratur, omnia munera solus obiret. Tenuit tamen dignitatem consulis Caesar etiam absens; nam cum extremo anno 48 Alexandriam venisset, scribit bell. civ. III, 107 pro consulatu quem gereret, se regum Aegyptiacorum controversias ad suum iudicium vocasse. Sed Romae post pugnam Pharsalicam senatus populusque multa in honorem Caesaris decrevit, de quibus Dio XLII, 18 sq. sic narrat, primum allato de victoria nuntio nihil aliud esse factum, nisi ut plebs Cn. Pompeii et L. Sullae statuas pro rostris positas everteret (τὰς μὲν εἰκόνας τοῦ τε Πομπηΐου καὶ τοῦ Σύλλα τὰς ἐπὶ τῷ βήματι ἑστώσας ἀνεῖλον, ἄλλο δὲ οὐδὲν τότε ἔπραξαν),

quas statuas ipse postea Caesar restituit (Suet. Caes. 75; Plut. Caes. 57; Plut. de capiend. ex hostib. utilit. p. 338 ed. Reisk.; Dio XLIII, 49); tum, ubi Pompeii mors nuntiata atque anulo in urbem allato vulgo credita est, ὕπατος — ἔτη πέντε ἐφεξῆς γενέσθαι καὶ δικτάτωρ οὐκ ἐς ἕκμηνον ἀλλ' ἐς ἐνιαυτὸν ὅλον λεχθῆναι ἔλαβε, ut Dio ait; reliquos enim honores simul decretos hic praetermitto. De duobus igitur magistratibus Caesari delatis dicit, de consulatu et de dictatura, quorum tamen rationem diversam fuisse apparet. Etenim consulatus erat necessario annuus vel potius prid. Kal. Ian. finiebatur, quandocunque erat coeptus; quare si Caesari dabatur, ut in quinquennium continuum consul fieret, hoc dabatur, quoniam usque ad prid. Kal. Ian. anni 48 consul futurus erat, ut in annum 47 usque ad annum 44 consulatu ornaretur neque de eo ullis amplius comitiis opus esset. Neque dissentit Dio XLII, 20 inter honores ei tunc datos addens: αἵ τε γὰρ ἀρχαιρεσίαι πᾶσαι πλὴν τῶν τοῦ πλήθους (i. e. praeter comitia tribunorum et aedilium plebis) ἐπ' αὐτῷ ἐγένοντο καὶ διὰ τοῦτο ἐς τὴν παρουσίαν αὐτοῦ ἀναβληθεῖσαι ἐπ' ἐξόδῳ τοῦ ἔτους ἐτελέσθησαν i. e. cum Caesari omnia curulia comitia permisissent, quia ille in bello Alexandrino, deinde Pontico aberat, ipsa comitia in adventum eius i. e. in exeuntem annum 47, cum Pharnace victo in Italiam rediit, distulerunt. Nam etiamsi Caesar decretum sibi consulatum anni 47 recepit, tamen et collega eius et reliqui curules magistratus creandi erant; sed etiam illud quaeritur, num consulatum tunc receperit, qua de re postea disputabimus. Dictaturae quidem diversa ab consulatu erat ratio. Eam tunc cum illos honores adipisceretur, non gerebat neque omnino ea eius erat natura, ut aut exitu anni finiretur aut certa die susciperetur, poterat igitur statim postquam decreta erat, iniri. Ac sic narrat Dio XLII, 21: Ταῦτ' οὖν οὕτω καὶ ἐψηφίσθη καὶ ἐκυρώθη· καὶ ὅ τε Καῖσαρ τὴν δικτατωρίαν παραχρῆμα, καίπερ ἔξω τῆς Ἰταλίας ὤν, ὑπέστη καὶ τὸν Ἀντώνιον μηδὲ ἐστρατηγηκότα ἵππαρχον προσελόμενος· καὶ εἵπετο αὐτῷ ὁ ὕπατος, καίτοι τῶν οἰωνιστῶν σφροδότατα ἀντειπόντων, μηδενὶ ἐξεῖναι πλεῖον τοῦ ἑξαμήνου χρόνου ἱππαρχῆσαι. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν γέλωτα ἐπὶ τούτῳ πολὺν ὠφλίσκανον, αὐτὸν μὲν τὸν δικτάτωρα εἰς ἐνιαυτὸν παρὰ

πάντα πάτρια λεχθῆναι γνόντες, περὶ δὲ τοῦ ἱππάρχου ἀκριβολογούμενοι. Hic igitur Caesar παραχρῆμα dicitur dictaturam inisse, i. e., ut arbitror, statim postquam eam sibi decretam esse cognovit, decretam autem esse ex Dionis loco, qui citatus est, intelleximus, postquam anulus Pompeii occisi Romam allatus est. Quo igitur tempore Caesar dictator II factus est? Pompeium mortuum esse ait Vellei. II, 53 pridie natales suos, Dio XLII, 5 eodem die quo olim triumphum de Mithridate et piratis egisset; natum autem esse scimus prid. Kal. Octobr. (Plin. nat. hist. XXXVII, 2, 13), triumphasse per biduum (Vellei. II, 40) eodem et proximo antecedenti die (Plin. VII, 26), ut eum interfectum esse constet a. d. III Kal. Oct. Iam quo die post occisum Pompeium Caesar Alexandriam pervenerit anulumque occisi inimici acceperit, non plane liquet, siquidem dubium videri debet, an quod in Livii epit. CXII est, Caesarem post diem tertium insecutum esse, potius ad navigationem Rhodo Alexandriam versus tribus diebus confectam pertineat, sed sic tamen existimandum erit, celerrime Caesarem atque ineunte certe mense Octobri advenisse. Itaque per temporum ac spatiorum rationem fieri potuit, ut circa medium mensem Octobrem anulus Pompeii Romam apportaretur exeunteque eodem mense vel ineunte proximo nuntius de dictatura decreta ad Caesarem referretur isque insignia alterius dictaturae sumeret. Atque hanc rationem, ut ipso anno 48 haec dictatura esset inita, videbatur confirmare quod Dio adiicit καὶ εἵπετο αὐτῷ ὁ ὕπατος, in quo non mediocrem difficultatem interpretes invenerunt. Nam Xylander et Leunclavius cum emendarent ἡ ὕπατος i. e. consularis dignitas, de ordine honorum Antonii intelligebant: successisse enim magisterio equitum, quod tunc gereret, postea consulatum. Sed Fabricius quoniam quae sequuntur, parum cum ea sententia convenire iudicabat, sic explicare maluit, cessisse ei consulem i. e. P. Servilium, postquam M. Antonius magister equitum dictus est, abdicato magistratu illi qui dictatoris vicem gereret, obedisse, nec sententia meliore et verbi ἕπεσθαι significatione inusitata, ut Sturzius sic interpretaretur, consulem Servilium huius, i. e. Caesaris, iudicium secutum esse, huic assensisse de Antonio

magistro equitum. Quasi vero non semper dictator quem maxime probasset, magistrum equitum dixerit, aut Caesari, universae reipublicae tunc domino, consulem non potuisse assentiri probabile sit! Medetur autem prorsus his incommodis eximia praestantissimi codicis Medicei lectio, qui non εἶπετο αὐτῷ ὁ ὕπατος, sed εἶπε καὶ τοῦτον ὁ ὕπατος habet, qua, si praeterea ante Antonii nomen particula deleatur, totius loci sententia praeclare constituitur. Antiqua enim lex erat, ut dictator ab consule, magister equitum ab dictatore diceretur, quare sine dubio P. Servilius, cum senatus populusque dictatorem fieri iussisset, dictatorem dixerat, quo Alexandriam nuntiato et ille munus sibi delatum iniit et magistrum ipse sumere debuit: quae rei administratio cum longa videretur, Servilius consul non minus magistrum equitum quam dictatorem dixit, et quidem item in annum, quod lege, qua de dictatore annuo scriptum erat, etiam de magistro annuo praecipi putabat. Utrumque omnino erat contra morem, sed illud quia ex auctoritate ac nomine Caesaris fieri dicebatur, minus reprehendi poterat, hoc cum religionis causa vituperaretur, non minus tamen valebat. Ac novimus M. Antonium non Alexandriae ab ipso Caesare, sed Romae esse factum. Etenim Cicero Phil. II, 25 sic de eius magisterio equitum narrat: *Accedit ut Caesare ignaro cum esset ille Alexandriae, beneficio amicorum eius magister equitum constitueretur* Auxerit invidiose ita rem Cicero, ut Caesarem ignarum fuisse diceret (nam nec Caesarem non ante scripsisse probabile est, quis, si casus ita ferret, rebus urbanis praeficeretur, nec amici eius, quem illi displicere nossent, constituere ausi essent), sed quomodo ita mentiri potuit, ut Antonium, si Alexandriae ab ipso Caesare constitutus esset, ignaro eo factum esse scriberet? Sed ut ad tempus dictaturae delatae revertamur, quod in mensem Octobrem incidere intelleximus, parum huc videtur Dio XLII, 35 pertinere, qui Caesarem ait in contione Aegyptiorum dixisse, pro dictatura, quam gereret, regni Aegyptiaci tutelam ad se pertinere. Etsi enim oratio illa initio tumultus Alexandrini, quem paulo postquam Caesar advenit, coeptum esse novimus, finitum esse recepta Alexandria a. d. VI Kal. Apr. vetera kalendaria docent, vi-

detur esse habita, tamen illius belli singulas res non licet nobis tam accurate persequi, ut menses ac dies, quibus quidque acciderit, indicemus. Nec certe pugnat cum Dione Caesar ipse, cuius locum supra citavimus, qui pro consulari sua dignitate sibi de Aegyptiorum controversiis iudicandum fuisse narrat; loquitur enim de adventu suo Alexandriam, Dio de belli initio, eoque quod inter duas has res intercedit spatio dictaturae honorem Caesar accepit. Maneat igitur, quod supra diximus, medio mense Octobri (Idus Octobres ponamus) Romae Caesari dictaturam alteram a senatu populoque delatam esse, exeunte Octobri Caesarem nuntium de delata Alexandriae accepisse insigniaque eius sumpsisse. Ab utro autem die publice dictatura numeratur? Ab priore, ut arbitror, quo publice delata erat; nam quoniam in certum tempus deferebatur, in lege non modo diem, ad quem pertineret, sed etiam a quo, perscribi oportebat, nec, cum lex ferretur, quando Caesar honorem esset auspicaturus, poterat divinari. Itaque et in hac Caesaris dictatura et in omnibus, quo die dictus sit dictator, ab eodem eius honorem numerari arbitror recteque prorsus atque ex more, quod supra p. 205 docuimus, fieri, ut qui chronographi ab prima dictatura regnum Caesaris deducunt, ab Idibus Sextilibus, quibus ea decreta est, proficiscantur.

Quare initium alterius dictaturae Caesaris reperimus esse Idus Octobres anni 48. Nec de fine eius potest dubitari. Nam supra duo Dionis loci allati sunt, quibus annuum eius spatium significatur (ἐς ἐνιαυτὸν ὅλον λεχθῆναι ἔλαβε). Quid igitur? Cum coepta esset Id. Oct. anni 48, num exiit dictatura Id. Oct. anni 47? Non videtur; etenim idem Dio XLII, 55, narratis quae anno 47 gesta essent, hoc addit: Ταῦτ' ἐν ἐκείνῳ τῷ ἔτει, ἐν ᾧ δικτάτωρ μὲν ὄντως αὐτὸς τὸ δεύτερον ἦρξεν, ὅπατοι δὲ ἐπ' ἐξόδῳ αὐτοῦ ἀποδειχθέντες ὅ τε Καλῆνος καὶ ὁ Οὐατίνιος ἐλέγοντο εἶναι, ἐποίησε. Haec nonne aperte significant usque ad exitum anni eum fuisse dictatorem? Ac planius etiam scribit Plut. Caes. 51 τοῦ-ἐνιαντοῦ καταστρέφοντος, εἰς ὃν ᾕρητο δικτάτωρ τὸ δεύτερον; nam si quis in certum annum fit dictator, fit in totum, non in partem aliquam. Quare efficietur, ut Caesar cum exitu anni dictaturam deposuerit, quatuordecim men-

ses et dimidium dictator fuerit facileque priores quos citavimus, Dionis loci incusentur, quod annuum spatium dictaturae tribuerint. Sed est hic Romanorum mos, ut in potestatibus atque imperiis si quid non magnum aut ad totum annum desit aut ultra annum excurrat, tamen annuum appellent, cuius rei insigne exemplum attulimus in comment. epigraph. I p. 17, alterum etiam magis insigne est hoc, de quo dicimus, tertium infra in tertia dictatura afferetur, quartum fortasse ex prima peti potuerit, quam si quis a Kal. Sext. anni 49 usque ad Kal. Ian. anni 48 pertinuisse et tamen recte sex mensium dici existimet, habebit quo sententiam suam tueatur. Veruntamen cum hoc esset spatium dictaturae, quam eius naturam quasi fuisse putamus? Ascribi enim solet in fastis atque in legibus vel senatus consultis adiiciebatur, cuius rei causa susciperentur dictaturae. Iam haec cum longior esset, non comitiorum habendorum causa, ut prima, nec reipublicae constituendae causa, ut ultima, quae perpetua erat, sed, opinor, rei gerundae vel fortasse seditionis sedandae causa in fastis dicebatur fuisse; nam de republica constituenda ante bella finita cogitari non poterat. Ita igitur lacunam lapidis explevimus.

Haec postquam de dictatura Caesaris disputavimus, faciendum est, ut ad consulatum redeamus, cuius singularis prorsus ratio magnas habet difficultates. Etenim supra ex Dionis auctoritate docuimus, Idib. Octobr. anni 48 ei consulatum in quinquennium datum esse i. e. dum esset consul II, designatum eum esse tertium, quartum, et deinceps, dum quinquennium explesset. Utrum receperit hunc honorem necne, non addit Dio, nisi quis forte ex silentio eius cum dictaturae insignia ab eo sumpta esse scribat, non esse receptum colligere velit. Ac recte sic videatur colligere; nam si recepisset, Kal. Ian. anni 47 fuisset consul, Dio autem ipse XLII, 27 initio anni 47 scribit Romae homines fuisse metu perturbatos, quod nemo esset consul, nemo praetor, nemo omnino curulis magistratus, sed M. Antonius, magister equitum, sex lictoribus armatisque stipatus omnia administraret. Singularis igitur tunc haec erat reipublicae condicio, ut et esset consul iure, quod legitime Caesar a senatu populoque esset designatus, et nullus

esset re, quod ille consulatum sibi delatum non receperat neque insignia eius usurpabat. Quid igitur facerent homines? Alii dicebant Caesarem esse consulem, alii non esse. Ac fasti quidem publici quid in perscribendis consulatibus sequi debuerint, ex simillimo exemplo M. Antonii, quod a nobis in comment. epigraph. I p. 29 expositum est, perspicitur. Nam cum anno 39 in pace Misenensi M. Antonius consul designatus esset, Dio XLIX, 39 sic narrat: Ἀντώνιος δὲ ἐν τούτῳ (i. e. anno 34) τῆς μὲν ἀρχῆς αὐθημερὸν ἐξέστη Λεύκιον Σεμπρώνιον Ἀτρατῖνον ἀντικαταστήσας, ὅθεν εἰσὶν οἱ τοῦτον, ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνον ἐν τῇ τῶν ὑπάτων ἀπαριθμήσει ὀνομάζουσι. Dissensio igitur erat de altero Antonii consulatu. Fasti non receperunt, eam ob causam, quod nunquam erat usurpatus (nam Octaviani nomen, qui Kal. Ian. anni 33 per paucas horas cum consularibus insignibus fuerat, receperunt), at nummi et antea dicunt Antonium cos. design. II et III et post annum 34 cos. design. III, ut, quamvis ipsum consulatum alterum commemorare non possint, tamen haud dubie in serie consulatuum numerent, nec certe reliqui homines praeterire potuerunt. Illud vellem posset addi, quid de tertio Antonii consulatu fasti habituri essent, sed eum bellum Actiacum, quod intervenit, sustulit. Hoc igitur exemplo adhibito quid de Caesaris consulatu intelligimus? Primum in fastis eum non reperiri anno 47 mirari non debebimus, siquidem nullo temporis puncto gestus est, nec dubito, quin, si alii horum annorum fasti extarent, in iis non magis sit futurus. At nummi, quia quod honoris usurpare licebat, numerabant, habent anno 47 consulatum Caesaris tertium. Sunt enim eius nummi apud Eckhel. doctr. numm. VI p. 7 et Caved. in annal. inst. arch. 1850 p. 152, in quibus appellatur COS. TERT. DICT. ITER. Hos pugnare cum fastis Capitolinis apparet, in quibus postquam alteram dictaturam deposuit, consulatum tertium inisse et post consulatum tertium tertia dictatura commemoratur. Quare ut haec inter se conciliaret, olim Eckhel. VI p. 15 illud invenit, ut primam Caesaris dictaturam anno 49 per undecim dies gestam in nummis numerari negaret alteramque dictaturam, quae in iis reperitur, eam esse diceret, quae vulgo appellaretur tertia. Qua opinione probata Drumann.

hist. Rom. III p. 565 hanc causam adiecit, ideo Caesarem illam undecim dierum dictaturam voluisse omitti, quod ea in libera republica sibi esset delata, at per eam, quae annua fuisset, transitum factum esse ad eam, quae postea extitit imperatorum dominationem. Quasi vero aut voluerit videri Caesar libertatem evertere aut numeris dictaturarum everterit aut annua dictatura magis fuerit adversa libertati quam prima illa invito senatu nec minus contra leges ab praetore constituta aut denique, si in nummis a vulgari ratione recedi Caesar voluisset, ii qui fastos Capitolinos confecerunt, eam tamen ipsi sibi observandam esse non putarint. Nulla igitur causa reperitur, cur deminutionem numeri dictaturarum Caesari placuisse nobis persuadeamus nec dubitamus, quin altera dictatura in nummis dicatur ea, quae ei in Aegypto versanti delata est, quae ita ab omnibus numeratur. Sed consulatus tertius ab alio die numeratur, nimirum ab eo, quo legitime delatus est quoque usurpari potuit, atque eam rationem in nummis quidem consuevisse observari alio exemplo supra ostendimus. Quae cum ita sint, illos quos diximus nummos incidere iudicamus in annum 47 a. Chr., cum accepta dictatura annua Caesar simul consulatum tertium sibi decretum gerere existimaretur, alterum nummum apud Caved. l. l. p. 152, in quo est CAESAR· DICT· ITER· in exeuntem annum 48, cum Caesar decretam sibi alteram dictaturam iam inisset atque ob novam hanc dignitatem consulatus alter Kal. Ian. anni 48 susceptus omitteretur, denique item in annum 47 tertium nummum apud Eckhel. VI p. 7, in quo Caesar COS· TER· nulla dictaturae mentione nominatur. Quae autem de horum nummorum interpretatione disputavimus, praeclare confirmantur difficillimo loco apud Suet. Caes. c. 76, qui cum ab iis, qui illam quae exposita est, honorum Caesaris rationem non teneant, nullo modo possit intelligi, nunc et nummis insignem fidem addit et ipse iustam explicationem accipit. Sic igitur ait Suetonius: *Tertium et quartum consulatum titulo tenus gessit, contentus dictaturae potestate, decretae cum consulatibus simul atque utroque anno binos consules substituit sibi in ternos novissimos menses, ita ut medio tempore comitia nulla habuerit.* Quinque res narrat, quae ad

tertium Caesaris consulatum pertineant, primum titulo tenus eum esse gestum, deinde dictatorem fuisse Caesarem eodem tempore quo consul tertium fuerit, tum dictaturam illam ei esse decretam simul cum consulatu, tum inter tertium et inter quartum consulatum intercessisse aliquod tempus, quo comitia haberi deberent, sed non essent habita, denique eum sibi in tres menses substituisse duos consules. Nos quidem primum de eo quod ultimo loco commemoravimus disputabimus. In tres igitur menses substituisse sibi narratur Caesar duos consules; quo loco etsi non nominantur Q. Fufius Calenus et P. Vatinius, quoniam bis omnino quamdiu Caesar regnavit, consules suffecti sunt, quin dicantur, dubitari non potest. At Macrobius Saturn. II, 3 paucis diebus narrat gessisse consulatum Vatinium iocosque in eum Ciceronis affert, quod illo consule dixisset nec brumam nec ver nec aestatem nec auctumnum fuisse, item, cum ad illum in consulatu suo venire vellet, nocte sese esse comprehensem. Cuius auctoritas etsi nullo modo tanta est quanta Suetonii, quod tamen iocos illos affert, non videtur esse contemnenda. Neque res aut Q. Caleni aut P. Vatinii tam accurate novimus, ut tempus quo uterque Romae consulatum gesserit, definire possimus. Nam illum scimus tantum Graeciae et ante pugnam Pharsalicam et post eam praefuisse (Comment. II p. 226), unde quando in urbem redierit ignotum est; hunc mense Sextili anni 48 Brundisii fuisse narrat Caesar bell. civ. III, 100, unde cum hieme insequenti ad Illyricum componendum profectus sit, circiter mense Maio anni 47 in urbem videtur redisse (bell. Alex. 43 sq.). Caesarem autem ipsum Romam revertisse circa Octobrem mensem anni 47 discimus ex Ciceronis epistolis, qui cum ipse ita in Italiam redisset, ut Brundisii Caesaris adventum expectaret, libr. XIV, 22, quae epistola Kal. Septembribus scripta est, Brundisii se commorari ait, at eiusdem libri epist. 20 scripta Kal. Octobr. se iam in Venusino suo esse narrat. Hinc igitur Caesarem mense Septembri Tarentum escendisse nec multo post in urbem pervenisse discimus, ubi cum rempublicam sine consulibus reperisset, imprimis hoc faciendum erat, ut de consulatu sibi ipsi oblato decerneret. Ita ipsa reipublicae qualis

tunc erat condicio magnam probabilitatem affert, ut consulatum non in paucos dies (quae enim talis morae causa esse poterat?), sed in tres menses anni reliquos delatum esse putemus. Quid igitur? Num peccavit Macrobius, qui paucos dies Vatinio assignet, eoque cum C. Caninio Rebilo, de quo postea dicemus, confuso in errorem inductus sit? At ipse etiam de Caninio prodit, eodem capite, ut in nominibus non videatur peccasse. Recte igitur non minus tradit quam Suetonius. Nam gessisse ait Vatinium per paucos dies consulatum i. e. Romae consulis munera obisse: reliquo tempore consulatus, quem Octobri mense ab Caesare acceperat, in alio negotio versabatur, collegam autem eius Q. Calenum per totos tres menses, quos consulatu fungebatur, in urbe fuisse censeo. Veruntamen pugnet Macrobius cum Suetonio, qui mihi quidem non videntur inter se pugnare, quod tamen communiter tradunt Calenum et Vatinium ipso exitu anni fuisse consules, id confirmari videmus ex iis, quae anno 45 gesta esse narrantur. Quo anno cum Caesar quartum consulatum gessisset eoque abdicato alios sibi suffecisset, Dio XLIII, 46 hoc observat: πρῶτον μὲν δὴ τότε τοῦτο παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἐγένετο, τὸ μήτε ἐτησίαν μήτε ἐς πάντα τὸν λοιπὸν χρόνον τοῦ ἔτους τὴν ἀρχὴν ἐκείνην τὸν αὐτὸν ἔχειν, ἀλλὰ ζῶντα τινὰ αὐτῆς καὶ μὴ ἀναγκασθέντα μήτε ἐκ πατρῴων μήτε ἐξ ἐπηγορίας τινὸς ἐκστῆναι καὶ ἕτερον ἀντ᾽ αὐτοῦ ἀντικαταστῆναι. Vetus igitur mos erat, ut qui consul factus esset, sive Kal. Ian. sive aliquo die post inierat (nam saepe propter discordias civiles, ut comitia consularia ante Kal. Ian. perfici non possent, acciderat) usque ad Kal. Ian. insequentis anni magistratum gereret, a quo instituto etsi nonnunquam recessum erat, si quis in iudicium vocaretur vel aliqua alia de causa abdicare sese cogeretur, nunquam tamen factum erat, ut quisquam sua sponte ante Kal. Ian. decederet. Hoc igitur quomodo Dio dicere potuisset, si Calenus et Vatinius biennio ante abdicato magistratu intra eundem annum successores accepissent? Quae cum ita sint, quantum inter fastos Capitolinos et inter Suetonium, accuratissimum scriptorem discrepet, apparet. Hic tertium Caesaris consulatum antecessisse existimat Caleni et Vatinii magistratui, illi postea collocant, ut in

dissensu manifesto veram interpretationem invenire non facile esse videatur. Eademque discrepantia ex reliquis, quae Suetonius narrat, efficitur. Nam quod ait tertium consulatum titulo tenus gessisse Caesarem propterea quod dictatura contentus esset, haud dubie significat, quamdiu consul fuerit, tamdiu fuisse etiam dictatorem, id quod in tertium consulatum, qualis in fastis perscribitur, non cadit. Nam in his cum tertius consulatus Kal. Ian., dictatura tertia nonnullis mensibus post (nam hoc infra demonstrabimus) incipiatur, quattuor fere menses relinquuntur, quibus Caesar si quicquam potestatis habuit, consulatum tantum gessit, nec dictatura contentus eum contemnere potuit. Atque etiam apertius Suetonius tertium consulatum una cum dictatura decretum esse dicit. Cum qua dictatura? Nulla in fastis reperietur, sed si nummis tertium consulatum anni 47 fuisse credimus, praeclare quod Dio XLII, 18 narrat, consulatum in quinquennium et dictaturam alteram una ei anno 48 post pugnam Pharsalicam oblata esse, confirmabitur. Quod denique Suetonius medio tempore quod inter tertium et inter quartum consulatum fuerit, ait Caesarem nulla comitia habuisse praefectosque pro praetoribus constituisse, haud dubie, opinor, id tempus inter utramque consulatum intercessisse significat, quo comitia haberi oporteret. Iam si fastis Capitolinis credemus tertium consulatum anno 46 gestum esse, quoniam neminem tunc suffectum esse constat, antequam quartus consulatus coepit, relinquetur in medio initium anni 45, quo comitia haberi non oportebat. Ostendemus etiam locupletissimi testis auctoritate, ipso anno 46 exeunte, cum comitia anni 45 habenda essent, nulla comitia esse habita praefectosque constitutos. Hoc igitur tempus a Suetonio medium inter tertium et quartum consulatum dicitur nec potest dici, nisi tertium non anno 46, ut fasti, sed anno 47, ut nummi, tribuamus.

Quae cum ita sint, apparet, opinor, Suetonii nummorumque cum fastis Capitolinis dissensio dubitatioque existere possit, an in his sculptoris errore acciderit, ut ab illorum ratione discederetur, praesertim cum lineolas illas, quae annis distinguendis destinatae sunt, parum recte appictas esse planissime intellexerimus. Sed hoc qui statuat, pugnet etiam cum Dione Cassio,

qui eadem consulatuum numerandorum ratione usus est, quam in fastis deprehendimus. Etenim libr. XLIII, 46, quem locum supra citavimus, quod anno 45 primum factum esse scribit, ut, qui consul esset, sua sponte sese magistratu abdicaret, si biennio ante Caesari Calenus et Vatinius intra eundem annum successissent, scribere non potuisset. Incipiebat igitur tertium consulatum anno 46, quo nemo suffectus est, apertaque eius sunt verba libr. XLIII, 1 Τῷ δὲ ἐχομένῳ ἔτει καὶ ἐδικτατώρευσεν ἅμα καὶ ὑπάτευσε, τρίτον ἑκάτερον, τοῦ Λεπίδου οἱ ἀμφοτέροις συνάρξαντος; idemque libr. XLII, 55, quo anno Calenum et Vatinium consules collocat, eo alteram Caesaris dictaturam, sed nullum consulatum commemorat. Hic igitur cum nullum in fastis errorem deprehendi constet dissensioque cum nummis aliisque auctoribus aperta sit, necessario eo deducemur, ut ea rationum diversitate, quam supra exposuimus, hanc extitisse discrepantiam censeamus.

Iam exeunte anno 47 dictator erat Caesar, eaque potestate contentus facile res urbanas administrabat; ad bellum autem quod instabat Africanum satis munitus erat eo iure, quod post pugnam Pharsalicam concessum esse scribit Dio XLII, 20: καὶ πολέμων καὶ εἰρήνης κύριον προφάσει τῶν ἐν τῇ Ἀφρικῇ συνισταμένων πρὸς πάντας ἀνθρώπους ἀπέδειξαν αὐτὸν, κἂν μηδὲν μήτε τῷ δήμῳ μήτε τῇ βουλῇ περὶ αὐτῶν κοινώσηται. Quare cum urgeret bellum, non expectato anni 46 initio ex urbe profectus est; nam auctor bell. Afric. c. 1 eum a. d. XIV Kal. Ian. Lilybaeum pervenisse et a. d. VI Kal. Ian. inde solvisse scribit ipsisque Kal. Ian. in castris ad Ruspinam fuisse (c. 16). Quomodo igitur factum est, ut consulatus eius in fastis perscriberetur? Ideo, ut opinor, quod quamvis absens rite magistratum iniit eiusque insignia usurpavit. Quamquam non invenio comitia commemorari, quibus consul factus sit; nam Dio XLII, 51 magistratus ille quidem ait curules in annum 46 creatos esse, sed consules non nominat, ut incertum esse possit, utrum ipse hunc anni 46 tertium consulatum ex illa designatione, cum mortuo Pompeio ei in quinquennium consulatus decretus erat, inierit an novis comitiis factus. Equidem vere comitia habita esse arbitror duabus de causis. Primum

enim collegam habuit, qui, ut ipse iam videretur esse creatus, certe sine comitiis fieri non potuit nec quod Caesari datum erat anno 48, ut omnia comitia magistratuum curulium in eius essent potestate (Dio XLII, 20), tantum valebat, ut nullis comitiis opus esset; commendabat Caesar, quos fieri vellet, eosque lex iubebat creari comitiis. Quare si alter consulum comitiis fiebat, videtur etiam Caesar non minus sollemniter esse creatus. Deinde Dio XLIII, 33 eum anno 46 narrat comitiis, quibus M. Lepidus praeesset, in annum 45 esse designatum, quibus comitiis, si illa quinquennii designatio valeret, non opus erat. Itaque recusato illo quinquennii honore, quem nunquam usurpavit, solito more se consulem creari Caesar voluerat, solito more magistratum iniit, solito more aliquamdiu, dum novam dictaturam iniit, gessit. Haec causa est, cur tertium hunc anni 46 consulatum numerari voluerit dissensioque fastorum et nummorum extiterit, quae nisi in horum temporum confusione ac multiplicatione honorum explicari non posset: nunc utrosque sua ratione ductos recte tradidisse intelligimus. Collegam autem Caesaris anno 46 constat fuisse M. Aemilium Lepidum, quem ille ex Hispania reversum (Dio XLIII, 1) cum Italiae urbique, quamdiu ipse abesset, praeficere vellet, summo magistratu ornavit. Itaque solus consul M. Aemilius appellatur apud Cic. epist. XIII, 26, initio quidem anni. Nam post tres vel quattuor menses Caesar assumpsit dictaturam Lepidumque, ne qua imperii discordia existeret, magistrum equitum dixit. Nimirum postquam a. d. VIII Id. April. ad Thapsum vicit (Kal. Praenest. ed. Fogg. p. 40) eiusque victoriae nuntius Romam allatus est, Dio XLIII, 14 cum alia multa ei decreta esse scribit, tum haec duo: τῶν τε τρόπων τῶν ἑκάστου ἐπιστάτην ..... ἐς τρία αὐτὸν ἔτη καὶ δικτάτωρα ἐς δέκα ἐφεξῆς εἵλοντο. In his primum mirabimur consulatus mentionem esse omissam, quae in reliquis honoribus solet adiici; sed et erat tunc ipsum consul et superius illud de eo decretum recusarat. Dictaturam autem ab Caesare receptam esse tradit Dio XLIII, 12. Haec igitur est tertia illa dictatura, quae in fastis consulatui subiungitur, in decem annos decreta reipublicae constituendae, ut arbitror; nam devictis

iam hostibus hoc unum videbatur superesse. Sed a quo tempore incipitur dictatura? Ab eo nimirum, quo decreta est, i. e. ab exeunte mense Aprili, nam ab hoc die consuevisse honores numerari supra exposuimus. Cf. etiam quae de aliorum imperiorum temporibus postea dicemus. Ipse insignia eius certe antequam a. d. VII Kal. Sext. (nam duodetrigesimum diem post III Kal. Quinct. nominat auctor bell. Afric. c. 98) in urbem advenit, iam usurpavit ac cum mense Sextili triumphos celebraret, scriptores etiam dictatorem eum fuisse tradunt. Nam Dio XLIII, 19 tanto eum lictorum numero usum esse ait, quantum nunquam Romani viderant; siquidem paulo ante (Dio XLIII, 14) senatus ei permiserat, ut in triumphis, quos de hostibus esset acturus, quia eos partim in prima, partim in altera dictatura vicisset, non tertiae modo dictaturae lictoribus uteretur, sed priorum etiam duarum adiiceret et septuaginta duo omnino conficeret. Accepta autem dictatura utrum consulatum, quem gerebat, deposuerit necne incertum est nec recte quae apud Dion. XLIII, 33 de exitu anni 46 sunt: ἱππάρχησε δὲ (Λέπιδος) καὶ τότε αὐτὸς ἑαυτὸν ἐν τῇ ὑπατείᾳ ἐπειπὼν ἵππαρχον παρὰ τὰ πάτρια, ita ab interpretibus explicari video, ut Lepidum putent in consulatu nomen magistri equitum sibi adiecisse idque contra maiorum morem fuisse. Equidem hoc potius dici intelligo, Lepidum cum esset consul cum Caesare, postquam huic tertia dictatura delata est, non modo ex more dictatorem ipsum dixisse Caesarem, sed etiam se magistrum equitum, in quo dupliciter ab vetere instituto descivit, primum, quod omnino consul magistrum equitum dixit, non dictator, qua de re iam supra disputatum est, deinde quod se ipsum dixit, non alium: hanc sententiam Dionis ex accurata et vocabulorum et temporum interpretatione effici perspicio. Nihil igitur in his est, ut Caesarem usque ad exitum anni 46 consulatum gessisse putemus, immo Dio, qui et in iis quae citavimus, etsi de anno 46 loquitur, tamen ἐν τῇ ὑπατείᾳ narret magistrum equitum esse factum Lepidum, et paulo ante exeunte eodem anno ἐν τῇ ἱππαρχίᾳ comitia consularia ab eo habita esse scribat, non obscure tempora consulatus et magisterii equitum distinguere neque illum usque ad exitum anni pro-

ferre videtur. Quamquam sive retinuit sive deposuit consulatum Caesar, titulo tenus certe gessit, postquam dictaturam accepit, in qua magistrum equitum ei fuisse commemoravimus M. Aemilium Lepidum. Sed hic num futurus erat in totidem annos, in quot Caesari ipsi dictatura data erat? Nihil de hac re traditur nec quicquam omnino in lege fuisse suspicor. Nam quod antiqui moris erat, ne magister equitum plus quam sex mensium esset, id iam anno 48 a M. Antonio, qui annuum magisterium exerceret, contemptum esse supra diximus, M. autem Lepidum et per annum 46 proximique initio magistrum fuisse videmus et cum dictaturam quartam Caesar susciperet, refectum C. Octavio repulso nec prius iussum abire, quam magna opulentaque provincia ornatus nullam dignitatis deminutionem videretur esse passurus. Hanc tantam Caesaris munificentiam non in hominis, qui mediocri ingenio esset, utilitate, sed in eo, quod Caesar quem honorem nullo tempore praefinito dedisset, temere adimere nollet, sitam fuisse coniicio.

Cum autem annus 46 exiret, Caesar in Hispaniam profectus est, mense Intercalari priore (Cic. epist. VI, 14) ὕπατος ἀποδειχθεὶς τὸ τέταρτον, ut Plutarchus Caes. 56 ait. Idemque necesse est dicere auctorem bell. Hispan. c. 2, qui vulgo iubetur narrare, Caesarem in Hispaniam abisse *dictatorem III, designatum IV*, quod falsum esse ipsa dictaturae ratio facile docet, quam plerique virorum doctorum parum recte eiusmodi fuisse statuunt, ut quotannis repeteretur. Etenim veteribus legibus hoc tantum sancitum erat, ne ultra sex menses dictatorum potestas extenderetur, in legibus, quae de Caesaris honore erant, nihil fuisse invenimus, nisi ut altera dictatura esset annua, tertia decem annorum, ultima, de qua postea disputabimus, perpetua: quid igitur est, quod dictaturae nomen quotannis repetitum esse existimemus? Atque id in dictatura non consuevisse fieri certissimo exemplo scimus. Nam L. Sulla cum anno 82 rempublicam in potestatem suam redegisset, per L. Valerium interregem dictator perpetuus constitutus est eandemque potestatem ac Caesar obtinuit. Num igitur eam ita habuit, ut anno 81 iterum, anno 80 tertium, anno 79 quartum dictator diceretur? Nemo hoc unquam aut existimavit aut

dixit: supersunt adeo illorum annorum fasti Capitolini, cum semel omnino anno 82 L. Sulla dictator, L. Valerius Flaccus magister equitum appellatur, reliquis annis solito more consules nominantur sine ulla dictaturae mentione. Quare sic statuere debebimus, quotiens Caesaris dictatura repetatur, eum vel quia prioris tempus exisset vel quia abdicasset, novam prorsus ex nova lege inisse. Altera ab eo suscepta est, postquam priore ipso anno quo inierat, sese abdicavit, tertia, quia alterius annus exierat novaque in decem annos decreta erat, nec quarta statui poterit, nisi aut tertiae tempus praeterisse aut abdicata tertia eum ex nova lege novum honorem inisse repererimus. Neutrum autem hoc anno de Caesare traditur; siquidem ineunte anno 45 et tertiae dictaturae in decem annos delatae paucos tantum menses explerat nec novi honoris aut deferendi causa atque occasio aut delati vestigium ullum apud Dionem, accuratissimum harum rerum enarratorem, proditur. At consulatus aliam esse rationem iam supra dictum est: nam sive ab Kal. Ian. sive ab aliquo alio die, id quod saepe etiam in libertate factum est, incipitur, semper finitur Kal. Ian. nec unquam per universam historiam Romanam accidit, ut ultra Kal. Ian. non repetito honore esset consul. Quare verissime hanc honorum diversitatem significans Suetonius Caes. c. 76, ubi nimios Caesaris honores enumerat, decretam ei scribit *perpetuam dictaturam*, sed *consulatum* non perpetuum (is enim Romano more cogitari non potest), verum *continuum*, qui quotannis repeteretur. Certum igitur esse debet, apud auctorem belli Hispaniensis quod quidam veteres interpretes coniecerunt, *dictator III*, *consul designatus IV* scribendum esse.

Plutarchus igitur et belli Hispaniensis auctor (nam ad consulatum redeundum est) Caesarem cum in Hispaniam adversus Pompeii liberos proficisceretur, consulem designatum quartum fuisse tradunt. Sed quando erat designatus? Certe non quo tempore consulatus in quinquennium a senatu populoque decretus erat; nam id decretum ab eo repudiatum esse et supra docuimus et eo intelligimus, quod postea denuo ei consulatum delatum esse videbimus. Dicuntur igitur ea comitia, de quibus Dio XLIII, 33 tradit: Ἐδικτατώρευε δὲ δὴ τότε (i. e. anno 46

in Hispaniam proficiscens) καὶ ὕπατος ὀψέ ποτε καὶ ἐπ' ἐξόδῳ τοῦ ἔτους ἀπεδείχθη τοῦ Λεπίδου ἐν τῇ ἱππαρχίᾳ τὸν δῆμον ἐς τοῦτο συναγαγόντος: profecto iam Caesare cum nulli in annum insequentum magistratus curules facti essent, Lepidus extremis diebus reliquos quidem magistratus non creavit (nullos enim tunc factos esse novimus Dioque ipse Caesaris unius causa populum convocatum esse ait), sed unum tantum illum consulem designavit. Poterat igitur Caesar ipsis Kal. Ian. consulatus insignia sumere, sed contentus dictatura decennali, quae superiore anno decreta erat, noluit sumere. Id aperte ostendunt fasti Capitolini, in quibus quartus consulatus eodem anno collocatur cum tertia dictatura, quae cum non Kal. Ian. suscepta sit, consulatus post Kal. Ian. sumptus sit oportet, confirmatque fastorum significationem certissimum Dionis testimonium. Etenim libr. XLIII, 45 narrat, postquam pridie Parilia Romam nuntius de victoria Mundensi allatus est, Caesarem consulem in decem annos esse creatum (καὶ ὕπατον αὐτὸν ἐπὶ δέκα ἔτη, ὥστε καὶ δικτάτωρα πρότερον, προεχειρίσαντο), deinde c. 46 haec addit: τὴν δ' οὖν ἀρχὴν τὴν ὕπατον παραχρῆμα μὲν καὶ πρὶν ἐς τὴν πόλιν ἐςελθεῖν ἀνέλαβεν, οὐ μέντοι καὶ διὰ τέλους ἔσχεν, ἀλλ' ἐν τῇ Ῥώμῃ γενόμενος ἀπεῖπε τε αὐτὴν καὶ cet. Huius igitur anni ratio non absimilis est ab anno 47, de quo diximus: decretus erat consulatus, quem non recepit, sed recepit ex alia lege: nec mirarer, si hoc quoque fastorum cum nummis aliisque auctoribus discrepantia existeret neque suspicionem ullam moverem, si in nummis consulatum quartum cum dictatura tertia coniungi omninoque ineunte anno 45 commemorari viderem. Sed nulli tales reperiuntur, eam, opinor, ob causam, quod per brevissimum tempus hic consulatus gestus est. Quattuor enim fere vel quinque menses Caesarem consulem IV fuisse invenio, si plurimum sumamus. Nam faciamus Romae statim post nuntium victoriae consulatum decem annorum ei decretum, Caesaremque statim post nuntium decreti relatum insignia consulatus sumpsisse, ineunte fere Maio initium consulatus quarti constituetur; finem autem fuisse constat Octobrem, quo eum Romam revertisse Velleius II, 56 ait; sed nec statim de consulatu decem annorum decretum nec statim

decreto usum esse Caesarem certum est, ut spatium illud non paulo coartari videatur. Quamquam ad hoc tempus, quo ille consulatu quarto ornatus Sex. Pompeium persequens totam provinciam componebat, pertinet quod Appianus bell. civ. III, 103 ait: Αὐτὸς δὲ (ὁ Καῖσαρ) ἤδη τέταρτον ὑπατεύων ἐπὶ τὸν νέον Πομπήϊον ἐστράτευεν ἐν Ἰβηρίᾳ; nam postquam in urbem advenit, abisse eum magistratu totumque illud de continuando per decem annos honore repudiasse ipse libr. II c. 107 commemorat. Cum igitur Caesar urbem triumphans ineunte Octobri mense ingressus esset, abdicavit sese magistratu suoque loco comitiis habitis sufficiendos curavit Q. Fabium Maximum et C. Trebonium ante III Id. Octobr.; nam hoc die Q. Fabium iam consulatu ornatum cum triumpho urbem introisse fasti triumphales narrant, nec si medio vel exeunte mense suffecti essent, Suetonius Caes. c. 76 eos in tres menses creatos esse diceret. Fuerat hic Fabius ante Caesaris in Hispania legatus, praemissus eo cum Q. Pedio, antequam ipse proficisceretur (Dio XLIII, 31; auct. bell. Hispan. c. 2), unde redarguitur eorum opinio, qui miro errore eum extremo anno 46, quo tempore Caesar expeditionem Hispaniensem suscepit, consulatum gessisse putarunt. Neque enim certe absens consul fuit, abfuit autem, si non diutius, at dum Caesar abfuit, ac post proelium, quo Pompeiani victi sunt, Mundam cepisse narratur bell. Hisp. c. 51. Nec minus C. Trebonium hoc anno consulem fuisse constat. Qui postquam praeturam urbanam anno 48 administravit, pro consule missus est in Hispaniam ulteriorem successor Q. Cassio Longino (Dio XLIII, 29; bell. Alex. c. 64) eiectusque ab Pompeianis anno 46: quo tempore re male gesta amissaque provincia copiosissima quis praemii quasi loco ad consulatum evectum esse existimabit? Nec potuit evehi aberatque non minus quam Q. Fabius, cum ipso Caesare per Galliam in urbem reversus. Nam ad hoc iter tunc ex Hispania susceptum pertinet, quod Plutarchus Anton. c. 13 C. Trebonium cum M. Antonio de Caesare interficiendo consilia agitasse narrat, cf. Cic. Phil. II, 14. Habuisse etiam Trebonium scimus ex hoc magistratu provinciam Asiam, quam in annum 44 administrandam accepit, vide Comment. II p. 235. Quae

cum ita sint, quin Q. Fabius et C. Trebonius huius anni exitu consulatum gesserint, dubitari nequit. Illi autem prid. Kal. Ian. subita morte extincto suffectus est C. Caninius Rebilus: nota res est iocisque cum aliorum, tum Ciceronis epist. VII, 30 dicto celebrata. Itaque in tabula, quae Colotiana appellari solet, haec ita perscripta sunt, ut Caesari quartum consuli subiungantur suffecti Q. Fabius Maximus C. Trebonius, tum illi C. Caninius Rebilus. At in Capitolinis fastis memorabile prorsus duco, quo pacto huius anni consules scripti sint imprimisque quomodo interiecta sit illa formula EODEM ANNO et in huius anni magistratibus et ter supra, quae formula cum minus recte intelligeretur, quosdam in errorem videtur deduxisse, ut consules suffectos non huic, sed proximo antecedenti anno tribuerent. Singularis enim ea formula est neque in fragmentis fastorum Capitolinorum usquam praeter hunc locum invenitur, usurpatur autem in hoc fragmento ita, ut aut contra consuetudinem aliorum annorum aut parum recte adiecta esse videatur. Nam inter consules anni 49 et inter primam Caesaris dictaturam quid attinebat interiici EODEM ANNO? Tot facti sunt dictatores vel soli vel cum magistris equitum, quorum nomina, cum annus habuerat consules, nulla formula interiecta adiiciuntur, cum caruerat consulibus, id ipsum sic ascribebatur: *hoc anno dictator et magister eq. sine cos fuerunt* (anno 309 a. Chr.) Simillimus adeo est annus 82 a. Chr., cum item adversarum partium consulibus primum expulsis, tum occisis L. Sulla dictator perpetuus factus est, cuius nomen sine ulla temporis significatione subiicitur; etenim quoniam versus, in quo est, paululum intra reliquos versus reducebatur, annorum iusta numeratio, praesertim quae appositis per denos annos numeris adiuvaretur, nihil impediebatur. Idem igitur cur non factum est in Caesare, cuius dictatura item versu paulo breviore vel potius reductiore contineretur? Nihil reperio equidem praeter perspicuitatis causam et inutilem et ab reliquorum annorum more alienam, neque in hoc ipso, quod de Caesaris honoribus est, fragmento satis constantem. Nam anno 45 coeptam esse quartam dictaturam infra ostendemus, cuius anni iam consulatus perscripti erant: quare addendum erat *eodem anno*

non minus quam anno 49, cum non sit additum, inconstantia mira, quae intelligi nequeat, deprehenditur. Quod si anni 44 initio quartam dictaturam collocare volebat, quisquis haec scripsit, male ille quidem, sed si volebat, tamen *eodem anno* non magis omitti debuit quam anno 47, quo alteri Caesaris dictaturae consulatus Q. Caleni et P. Vatinii subiicitur. Etenim hoc anno 47 quod illà formula reperitur etsi singulare esse video, tamen et intelligo et excuso. Iniit Caesar hanc dictaturam iam anno 48 (neque enim id dubium est), sed habuit annuam quodque anni 48 ea comprehendebatur, supplementi quasi loco extra annum addebatur. Poterat igitur altera dictatura quodammodo intra fines anni 47 perscribi. Quamquam sic solitum erat priore loco poni consules, ex quibus annus numerabatur, subsequi dictatorem, neque interest, utrum Kal. Ian. an postea ineant consules. Quotiens enim in libertate factum erat, ut initio anni respublica penes interreges esset consulesque multo post fierent: sed nominabatur tamen ab iis annus, ut eorum nomina a principio collocari oporteret. Veruntamen consules adeo in exitu anni creati erant, dictator tantopere dignitate praestabat, ut, cum a consuetudine fastorum recessum esse videam, tamen huius nomen anteponi, illorum honorem inanem sequi errorisque vitandi causa *eodem anno* interiici non magnopere mirer. Quamquam rursus illa constantia admiranda, quod versus, quibus dictatura continetur, intra consulum nomina reducuntur. At quae duo supersunt *eodem anno*, ea vix intelligi posse puto. Cur enim inter tertiam dictaturam et inter quartum consulatum est interiectum? Illam enim certissimis argumentis medio fere anno 46 susceptam esse nec omnino annuam, sed decem annorum fuisse demonstravimus. Quomodo igitur annus dictaturae dici potuit? Immo, si reliquorum annorum consuetudo observaretur, inter tertium consulatum et tertiam dictaturam *eodem anno* interiiciendum erat, quartus autem consulatus sine ulla tali nota relinquendus, quippe qui utrum Kal. Ian. an post eas acceptus esset nihil referret. Ac rursus singulare est, quod inter Caesarem cos. IV et inter consules ei suffectos item *eodem anno* interponitur. Cur enim non scribitur, quod anno 43 legitur, C. Iulium Cae-

sarem Octavianum abdicasse et in eius locum factum esse alium, quod idem anno 23 a. Chr. reperitur? Nam ut in consulibus suffectis, qui post illum annum fuerunt, nihil addatur, haec causa est, quod ii non in annum designabantur, ut abdicatione opus esset, sed ea lege inibant, ut post sex menses alius succederet, in quibus tempus ipsum, quo quisque inierat, notari sufficiebat. Atque ut hoc loco addendo peccatum est, ita paulo post omittendo. Etenim quartam dictaturam postea ostendemus medio fere anno 45 initam esse: si idem significare volebat fastorum auctor, cur post consulatus non addidit *eodem anno*, ut supra in prima dictatura? Sin annum 44 ab quarta dictatura incipiebat, tamen non minus idem ascribi oportebat quam ante Caleni Vatiniique et quartum Caesaris consulatum. Totum igitur hunc locum, qui de Caesaris honoribus est, nec inter sese satis consentire reperimus et ab reliquorum annorum more aperte discedere. Quem quomodo talis qualem habemus existere potuisset cum considerarem, mihi videbar intelligere, hos fastos Capitolinos non esse eos, qui quotannis publice scriberentur, sed esse hoc exemplum aedificii alicuius ornandi causa de amplioribus ac copiosioribus fastis factum, in quo dummodo perspicuitati satis consuleretur, certarum formularum severitas ac constantia non deberet requiri. Nam perspicuitas, quamvis omnia quae dixi vera sint, tamen non laeditur: siquidem consulum nomina, ex quibus annorum numeratio pendebat, versibus ultra reliquos extantibus perscribuntur, quae si sequimur, quoniam inter Caesarem cos. IV et Q. Fabium C. Trebonium cos. *eodem anno* interpositum est itaque error prohibetur, et ad iustum annorum numerum, qui inter alterum et inter quintum Caesaris consulatum fuit, deducimur et quibus quisque annus consulibus notandus sit, intelligimus. Quo magis eius, qui lineolas annorum distinguendorum causa male interiecit, errorem atque ignorantiam debebimus admirari.

Sequitur quarta Caesaris dictatura, de qua varie sentire video viros doctos, ut quidam adeo ab fastorum auctoritate desciscentes publica monumenta contemnant ac novam ipsi rationem excogitent. Nam ut reliquos, qui fortasse minus magni

faciendi esse videantur, praetermittam, Eckhelius, vir eruditus atque imprimis accuratus, in doctr. numm. Vol. VI p. 14 postquam multa de Caesaris dictaturis disputavit, tandem huc devenit, ut eum quartam dictaturam exeunte anno 45, tum mense fere Februario anni 44 dictaturam perpetuam, quam pro quinta quasi numerat, suscepisse statuat. Quod quomodo effecerit singillatim persequi ac refutare et longum est nec suscipi possit a nobis, nisi multa ex iis quae post dicenda sunt, occupemus. Illud vero tacere non debemus, in quinta quadam eademque perpetua dictatura excogitanda prorsus eum cum marmoris Colotiani auctoritate pugnare, in quo cum nulla lacuna sit, sed omnes ab anno 45 magistratus recenseantur, ita scriptum reperitur:

C· IVLIVS· CAESAR· IIII· SINE CONLEGA· DIC
SVF Q· FABIVS· MAXIM· C· TREBONIVS· C· F·
C· CANINIVS· C· F
IVLIVS· CAESAR· DICT· IV· M· AEMILIVS· M· EQ
C· IVLIVS· CAESAR· V̄· M· ANTONIVS· M· F
SVF P· CORNELIVS· P· F

Nulla in his cum fiat quintae dictaturae mentio, quae si a Caesare inita ac vel per breve tempus gesta esset, omitti nullo modo potuit, praeclare fastorum Capitolinorum auctoritas confirmatur, qui licet hoc loco ab altera parte mutili sint, ita tamen anni 44 consules cum insequentis anni consulibus coniungunt, ut nulla novae dictaturae suspicio moveri possit. Omnino autem quintae dictaturae Caesaris una tantum reperitur commemoratio apud Dionem XLIII, 49: Τῷ δὲ ἐχομένῳ ἔτει, ἐν ᾧ ὁ Καῖσαρ ἐδικτατώρευσέ τε ἅμα τὸ πέμπτον, ἵππαρχον τὸν Λέπιδον προςλαβὼν καὶ ὑπάτευσε τὸ πέμπτον συνάρχοντα τὸν Ἀντώνιον προςελόμενος, in quibus apertum videatur esse testimonium, quod hercle cum Dio ex omnibus qui extant auctoribus de honoribus Caesari habitis plenissime referat, nequaquam contemnendum esse censeam. Veruntamen magnopere dubium est, num scripserit ita Dio nec librariorum culpa addiderit, quod si ab ipso profectum esset, crimini ei daretur. Omnes enim veteres editiones ac codices nonnulli quae inter prius τὸ πέμπτον et inter alterum interiecta sunt, omittunt, ut cum pugnet

quinta haec dictatura cum fastorum reliquorumque auctorum testimonio, probabile sit, prius illud τὸ πέμπτον prava quadam librariorum repetitione extitisse nec quicquam profectum esse ab Dione nisi haec: ἐδικτατώρευσέ τε ἅμα ἵππαρχον τὸν Λέπιδον προςλαβὼν καὶ ὑπάτευσε τὸ πέμπτον cet. Quamquam corruptam illam lectionem secutus est etiam qui singulis Dionis libris brevem illam temporis notationem seriemque consulum anteposuit, qui cum ex triennio, quod libro XLIII continetur, primum annum Caesare dictatore III cos. III, alterum dictatore IV cos. IV, notari vidisset, facile in eam sententiam deductus est, ut etiam tertium annum, quo rursus dictatorem et consulem inveniret, eodem dictaturae numero, quem consulatus haberet, notandum esse existimaret: quo errore etiam ipsius Dionis editores videtur decepisse. Sed certe haec annorum computatio ex eius, qui scripsit, ingenio manavit, Dio quidem ipse nusquam ne quartam quidem dictaturam appellat neque in magistratibus anni 45 nominandis (libr. XLIII, 46) alios praeter consules habet. Pugnat autem haec quinta quae putatur Dionis dictatura cum fastis reliquisque auctoribus atque ipsa rei probabilitate non tantum in numero dictaturae, sed etiam in magistro equitum. Nam cum hic quoque M. Lepidus mag. equitum ascribatur, quid tam veri dissimile, quam eundem tertio refectum? Fasti vero aperte C. Octavium anni 45 magistrum equitum exhibent Lepidumque dum in provinciam abiret ex superiore dictatura retentum esse ostendunt. Perit igitur tota quinta Caesaris dictatura nec relinquitur nisi quarta, quae eadem fuit ultima, quae quoniam dictaturam perpetuam delatam ei esse constat (App. bell. civ. II, 107; Dio XLIV, 8 et XLVI, 17; Plut. Caes. 57; Cic. Phil. II, 34 cet.), necessario fit, ut eadem fuisse existimetur perpetua. At contra hanc rem duo praecipue argumenta et possunt afferri et afferuntur. Primum enim nummi sunt alii, in quibus Caesar dicitur DIC· QVAR· et COS· QVINC· (Eckhel. doctr. numm. VI p. 8; Caved. l. l. p. 153), alii, in quibus DIC· PERPETVO, unde cum in nullo nummo quarta dictatura et perpetua coniunctae legantur, hanc ab illa diversam alioque tempore gestam esse colligunt. Ac colligant posse esse diversam, necesse esse non recte colligunt.

Alterum argumentum petitur ex Ioseph. Antiq. XIV, 10, 7, quo loco cum alia decreta a Caesare de honore Iudaeorum facta, tum hoc refertur: Γάϊος Καῖσαρ, αὐτοκράτωρ, δικτάτωρ τὸ τέταρτον, ὕπατός τε τὸ πέμπτον, δικτάτωρ ἀποδεδειγμένος διὰ βίου λόγους ἐποιήσατο περὶ τῶν δικαίων τῶν Ὑρκανοῦ τοῦ Ἀλεξάνδρου, quo loco quartam dictaturam ab perpetua aperte discerni dicunt. Sint certa illa verba, sit magna de honoribus Caesaris auctoritas Iosephi, eaque quae cum reliquis monumentis contendere possit, tamen diversitas illa non efficitur. Etenim si quis quartam dictaturam eandem fuisse perpetuam vellet significare, quomodo diceret? Si dictatorem IV perpetuum appellaret, inesset, quod ab recta ratione abhorret, neque enim quater perpetuus ferri potest; nihil igitur superest, nisi ut dictator IV, dictator perpetuus nominetur eaque de causa in nummis alterutrum tantum poni, non utrumque coniungi videmus. Sed sit diversa dictatura quarta ab perpetua quintaque appelletur: quid dicit Iosephus Caesarem appellans δικτάτωρα ἀποδεδειγμένον διὰ βίου? Non hoc, opinor, designatum esse dictatorem perpetuum; nam dictaturam quia non quotannis aut certis spatiis aut certo aliquo die initur, hoc proprium atque ab ceteris magistratibus ordinariis diversum habere diximus, ut postquam decreta est, statim ineatur neque ullam quae antea fiat, designationem patiatur. Dicit igitur Iosephus factum sive creatum esse Caesarem dictatorem perpetuum, quique diversitatem illam retineat, ad absurdam hanc rationem deducatur, ut eundem et quartum et quintum sive perpetuum dictatorem appellari statuat. Quae cum ita sint, nummi nihil in alterutram partem valent, Iosephus cum fastis reliquisque auctoribus prorsus consentit.

Veruntamen operae pretium est etiam reliqua Caesaris edicta, quae a Iosepho cum plena honorum praescriptione exhibentur, examinare, quod antequam instituamus, faciendum esse putamus, ut pauca de imperatorio eius titulo praemittamus. Eius tria genera discernuntur ab Dion. XLIII, 44, de ipsius Caesaris honoribus disputante. Unum enim esse illud ait, quo antiquitus duces exercituum utebantur, qui suis auspiciis pugnabant idque quod proprie imperium dicitur, admi-

nistrabant. Sed hoc militum appellatione, quatenus iis praeerat, usurpabatur, ab reliquis civibus non fere tribuebatur, nec quemquam pro praetore aut proconsule, cum provinciam atque exercitum regeret, praeter rem militarem ita nominatum esse invenimus. Itaque Caesar quo tempore ex praetura Lusitaniam rexit, primum in provincia sua imperator fuit, ut consulatum petiturus decessit, eum titulum amisit, cum consulatu recepit tenuitque dum exercitui praefuit, sed deposuisset, si, id quod non factum est, ipsum exercitus provinciaeque imperium amisisset. Alterum imperatorii nominis genus nascitur item ab exercitu, qui re bene gesta eum, qui cum auspiciis praeest, appellat imperatorem, sed nascitur ita ab exercitu solo, ut senatus populique nullae in eo partes sint. Nec vero perpetuum est, sed deposito post triumphum (nam is imperatoris appellationem sequi solet) imperio amittitur. Huius generis exempla multa ex libertatis tempore attulit Eckhel. VIII p. 344, ex quibus nullum est, cum quis saepius imperator appellatus esse videatur, praeter L. Sullam, qui cum Archelaum, regis Mithridatis ducem, duplici proelio contudisset, hoc meruit, ut in nummis *imperator iterum* vocaretur (Eckhel. V p. 190). Neque hoc ab norma, quam exponit Dio Cass. LX, 21, recedit, qui ubi Claudium Caesarem ex una victoria de Britannis relata saepius imperatorem appellatum esse refert, morem maiorum violatum esse scribit; neque enim ex uno bello plus quam semel dici licere. Non tam bellum (πόλεμον) intelligit quam victoriam; nam in uno bello si plures victoriae relatae essent, non semel tantum, sed saepius imperatoris nomen ascitum esse certissima et Augusti et aliorum imperatorum exempla ostendunt. Veruntamen in libertate cum brevia fere erant imperia, raro factum est, ut repetendi nominis imperatorii occasio daretur, at postquam principes perpetuum imperium acceperunt, hanc rationem initam esse constat, ut quotiens victoria reportaretur, totiens novus imperatoris titulus asciscerentur. Tertium denique genus est illud quod Dio XLIII, 44 anno 45 institutum esse ait, cum Caesari confecto bello Hispaniensi datum est, ut praenomine imperatoris uteretur. Hoc item postea Augustus habuit, qui quomodo cum imperatorio nomine ex victoriis

parto coniungere consuerit, disputavimus in comment. I p. 19 sq. Sed Caesar quamvis recepisse narretur ab Suet. c. 76 non minus quam continuum consulatum et perpetuam dictaturam et reliqua, num tamen publice usurparit dubium est. Nunquam enim neque in inscriptionibus neque in nummis *imperator Caesar* appellatur, at saepe Augustus eiusque successores. Nec magis pro numero victoriarum imperatoris nomen videtur multiplicasse. Novus tunc ille mos erat nec a quoquam superiorum usurpatus: Pompeius quamvis saepe a militibus imperator appellatus in nummis vel nullum imperatoris nomen ostendit vel simpliciter imperator dicitur (Eckhel. V p. 281), de Sulla modo commemoravimus. Quare Caesar cum bella susciperet civilia, imperatoris nomen etsi saepe militum studio accepit, nondum repetiverat; adeptus autem principatum postquam omnibus honoribus ornari coeptus est, quid faceret? Num omnes quas antea retulerat victorias numeraret? Tum ingentem numerum poterat efficere; siquidem omnino eum quinquagiens et bis vel quinquagiens pugnasse scribit Plin. nat. hist. VII, 25 (Cf. Solin. c. 6 et Caved. in Bullett. Inst. arch. 1840 p. 39 sq.). An eas modo victorias imperatorio titulo repetito celebraret, quas postquam rerum potitus est, retulit? At id ab recta ratione abhorrebat et contra ipsius famam iniustum erat. Necessario igitur eo deducimur, ut omnino eum repetendo imperatoris nomine abstinuisse putemus. Cum qua opinione monumentorum auctoritatem prorsus convenire video. Nam in inscriptionibus quibusdam Graecis olim ille quidem solebat appellari αὐτοκράτωρ δεύτερον, sed in iis Boeckh. Corp. Inscr. Graec. n. 2368 et 2957 ex meliorum exemplorum fide correctis nullum iterati nominis imperatorii vestigium reliquit. Nummorum autem ratio fuit adhuc dubia. Etenim anni 44 nonnullos habet Eckhel. p. 9, ubi est CAESAR· IMP· P· M, item alios anni 45, in quibus dicitur CAESAR· IMP vel IMPER· et anni 47, ubi C· CAESAR· IMP· COS· ITER vocatur; at anni 48 citat p. 6 nonnullos, in quibus sit CAESAR· IMP·, unum, in quo legi ait C· CAESAR· C· F· IMP· ITER cum imagine tropaei et captivi, quem Vercingetorigem Gallum esse putat. Quid est hoc? Quomodo fieri potuit, ut Caesar anno 48

imperator iterum, tum constantissime *imperator* appellaretur? Neque enim honorem, qui in iterato nomine imperatoris est, si fuit semel receptus, ita postea negligi oportebat, ut nunquam usurparetur. Tum in numerando nomine imperatorio quae ratio potest cogitari? Num omnibus Gallicis bellis Caesarem semel tantum imperatorem factum esse putabimus? An, quoniam Vercingetorigis imago addita est, unum nomen ex reliquis proeliis, alterum ex extremo illo relatum esse statuemus, quo Vercingetorix captus est? Haec et omnes movebant et me ita hercle ab initio affecerunt, ut de nummi illius fide dubitarem. Accedebat, quod apud eos, qui recentiore tempore quos ipsi vidissent nummos collegerunt, nullam prorsus eius mentionem fieri videbam, velut ille, quem saepe laudavi, Cavedonius, qui aetatis Augusteae nummos in Annal. Inst. arch. anni 1850 p. 150 diligenter collegit, cum reliquos nummos recenseat, hunc non commemorat. At auctorem Eckhelius citat Morellium, qui bis exhibet, in Thes. imper. Rom. num. tab. IV n. 15 et 20, et in fam. Rom. num. inter incertos tab. XVIII n. 20, in annotatione autem eum a Goltzio in Fastis p. 174 editum esse scribit, deinde interpretationem et aliorum virorum doctorum et suam addit, quae cum praeclare cum rebus ab Caesare gestis convenire videretur, extremo loco hunc denarium in eorum numerum asciscendum esse scribit, qui non sint ficti ab Goltzio, sed vere visi. Haec igitur est origo nummi illius, qui quin totus sit ementitus, iam nemo amplius dubitabit. Nemo enim unquam similem vidit, pugnat aperte cum reliquarum rerum memoria, prolatus denique est ab eo, quem plurima falsa in re nummaria finxisse constat. Atque etiam illud reperiri potest, quod et Goltzium, hominem novarum opinionum monumentorum fraude confirmandarum cupidissimum, ad hoc potissimum mendacii genus adduxerit et Eckhelium, sagacissimum mendaciorum Goltzianorum investigatorem, ab suspicione averterit. Etenim non pauci Caesaris nummi sunt, in quorum una parte tropaeum est cum nomine Caesaris, in altera caput vel Vestae vel Veneris cum hoc signo IIT. Quod quomodo interpretandum sit, dissentiunt Borghesius Obs. num. X, 7 (Diurn. Arcad. 1823, 2 p. 40) et

Cavedonius in Bullett. Inst. 1840 p. 39, sed hoc ambo intelligentes, notas esse numerales pro eo quod vulgo scribitur LII: ille annum aetatis quinquagesimum alterum, quem Caesar anno 48 agebat, indicari putabat, hic victorias quinquaginta duas, quas ab Caesare relatas Plinius numeret. Neque utrum verius sit discerno: etsi duo haec video, et apud Plinium iam in recentissima editione ex codicum auctoritate non *quinquagiens et bis*, sed *quinquagiens* legi, et, cum nummi illi, qui nullum Caesaris honorem praeter pontificatum maximum dudum ab eo gestum commemorent vel significent, ante victorias belli civilis facti esse videantur, parum convenire quinquaginta duarum victoriarum numerum, quo omnes quotquot et in Gallicis et in civilibus bellis reportatae sunt comprehendantur; vix enim recte Cavedonius, quod Plinius a Caesare dicat numerum hominum bellis civilibus occisorum praetermissum esse, ne victoriarum quidem numerum ab eo censet poni nisi eum, qui extra bella civilia conficiatur. Veruntamen utut illa nota numeralis explicanda est, Eckhelius, qui litteras esse putabat, Caesarem dici existimabat *Imperatorem ITerum*, quam opinionem ut confirmaret, fecit libentissime, ut Morellii de nummo Goltziano iudicio assentiretur, eademque prava signi illius interpretatio Goltzium moverat, ut et illum nummum fingeret et alios complures, de quibus Eckhelius non credidit. Nam Goltzius nescio quo pacto imperatorii nominis repetitione delectabatur: finxit *imperatorem IIII* (Morell. fam. Rom. num. incert. tab. XIX n. 5 et 7) et *imperatorem quintum* (ibid. n. 8) et tres, qui *sextum imperatorem* celebrant (n. 6 et 15 et 16), ut fraudis tegendae gratia unum imperatorem tertium omiserit. Quae cum ita sint, Caesar ab consuetudine numerandi tituli imperatorii videtur abstinuisse: coeptam eam esse censeo ab Octaviano, qui cum hereditate imperatoris nomen accepisset idque, ut ius hereditatis testaretur, crebro usurparet, ne laudem imperatoriam negligeret, primus ab initio bellorum civilium victorias numerare instituerit, quem M. Antonius, S. Pompeius aliique partium duces imitati sunt. Caesar quidem ipse contentus erat antiquo illo imperatoris nomine, quod multi ha-

buerant, ipse, quia ex quo Gallias provinciam obtinuit, perpetuo imperio utebatur, primus dum vixit perpetuum retinuit.

Sed ut ad Iosephum edictaque Caesaris, quae ab eo afferuntur, revertar, de sexti edicti praescriptione diximus. In primo autem Caesar dupliciter appellatur, ab initio αὐτοκράτωρ καὶ ἀρχιερεὺς δικτάτωρ τὸ δεύτερον, tum αὐτοκράτωρ τὸ δεύτερον καὶ ἀρχιερεύς. Hoc decretum factum esse anno 47 fere medio, quo alteram dictaturam Caesar gerebat, cognoscimus ex Ios. XIV, 8, 3: nonne igitur, cum imperator II in Caesare intelligi nequeat, probabile est. altero loco idem quod priore est fuisse, nimirum αὐτοκράτωρ, δικτάτωρ τὸ δεύτερον καὶ ἀρχιερεύς? In secundo edicto quod vulgo legitur Γαΐου Καίσαρος ὑπάτου δεδογμένα, certe falsum est ac tanta reperitur in codicibus lectionis varietas, ut alii αὐτοκράτορος, ὑπάτου, alii δικτάτωρος, ὑπάτου legant, editoribus autem etiam nota numeralis excidisse videatur. Sed hoc quidem nescio an non opus sit; siquidem etiam in tertio edicto appellatur Γάϊος Καῖσαρ αὐτοκράτωρ, δικτάτωρ, ὕπατος sine nota numerali, tempusque significandum est idem, nimirum medius fere annus 47, quo bello Alexandrino confecto Caesar Romam rediit (Ios. XIV, 8, 3). In quarto edicto quod est ὕπατος τὸ πέμπτον, nihil habet difficultatis, at in quinto quod editur αὐτοκράτωρ τὸ δεύτερον, emendandum esse αὐτοκράτωρ, δικτάτωρ τὸ δεύτερον, ut annus 47 indicetur, ex iis quae exposita sunt, elucet. Septimo loco epistola ad Parianos de sodaliciis Iudaeorum non dissolvendis exhibetur, cui praescribitur: Ἰούλιος Γάϊος στρατηγὸς, ὕπατος Ῥωμαίων, citaturque in ea edictum, quod fecisse dicitur Γάϊος Καῖσαρ, ὁ ἡμέτερος στρατηγὸς καὶ ὕπατος, qui cum Romae cetera collegia distraxisset, Iudaeorum collegia permiserit. Hic igitur edicti auctor erit Iulius Caesar (Suet. Caes. c. 42), ille autem qui epistolam scripsit, Augustus, quem item de collegiis novis dissolvendis statuisse scimus (Suet. Oct. 32). Utroque autem loco falsum esse apparet quod legitur στρατηγός: quomodo enim Caesar ὁ ἡμέτερος στρατηγός appellari potuit? Debuit πατήρ vel similiter. Nec minus vitiosum est, quod Augustus στρατηγὸς ὕπατος nominatur; nunquam enim eo vocabulo Graeci sollemniter nisi in eo qui Latine praetor dicitur, usi sunt.

Quare cum emendatione opus sit, nisi tamen longius ab litteris traditis recedatur, nihil quod aptum sit, inveniri neque id ipsum certe statui potest, ut vulnus ipsum demonstrasse curationemque iis qui subsidiis criticis utantur permittere satius sit.

Talia igitur cum sint edicta, quae ab Iosepho citantur, in quibus si ipsum Iosephum nihil peccasse putabimus, librariorum certe non leves errores reperiuntur, quis iam sexti illius edicti verbis uti volet, ut perpetuam Caesaris dictaturam ab quarta diversam fuisse doceat? De tempore autem huius, quae quarta eademque perpetua fuit, dictaturae nullum certum reperitur testimonium. In fastis et Capitolinis et Colotianis scribitur ante quintum consulatum, id quod dupliciter potest explicari. Etenim aut anno 45 suscepta est, ut tempore antecedat quinto consulatui, aut Kal. Ian. anni 44, ut honoris causa anteponatur atque ex duobus magistratibus is, qui maior esse videatur, praecedat. Cf. Comment. epigr. I p. 23. Sed singularis dictaturae ratio, quae non annuis vicibus usurpatur, facit, ut potius anno 45 delatam esse censeam. Quamquam pertinuisse eam ad annum 44 docent fasti triumphales, ubi sextus Caesaris triumphus sic perscribitur:

C·IVLIVS·C·F·C·N·CAESAR·VI·DICT·IIII·OVANS·A·DCC[IX
EX·MONTE·ALBANO VII·K·FEBR·

Feriis igitur Latinis (nam his peractis eum ovantem redisse narrant Dio XLIV, 4 et 10; Plut. Caes. 60; Suet. Caes. 79) dictator IV erat, at viginti diebus post, a. d. XV Kal. Mart., cum Lupercalia agerentur, dictator perpetuus nominatur a Cic. Phil. II, 34. Quo intervallo quod Eckhelius perpetuam dictaturam ei delatam esse existimat, facit et nullo prorsus auctore et contra apertum fastorum testimonium. Equidem ad naturam dictaturae, de qua disputatum est, redeundum esse censeo, quam ab eo die, quo decreta et ab consule constituta esset, numerari consuevisse vidimus. Decretam autem hanc quartam dictaturam una cum consulatu quarto haud dubie significat Suetonius c. 76, de quo loco supra dictum est. Atque etiam Zonaras X, 11 et App. bell. civ. II, 106 Caesari post bellum Hispaniense Romam reverso dictaturam perpetuam datam esse

referunt. Dio XLIII, 45 quod de dictatura tacet, cum reliquos honores accurate recenseat, miror sane, sed arbitror eum, quod perpetuitate nihil potestatis ad dictaturam adderetur decennalisque in Caesaris praecipiti morte sufficeret, ideo tacuisse. Res ipsa per se certe satis probabilis est, cum prima dictatura et alter consulatus, tum altera dictatura et tertius consulatus, tum tertia dictatura et quartus consulatus ita ei sint simul decreti, ut dictatura statim, consulatus proximis Kal. Ianuar. vel proximo anno iniretur, item, cum consulatus in decem annos ei daretur, simul datum esse aliquid, quod ad decem annorum dictaturam, quam iam habebat, adiiceretur nec supererat in eo genere quicquam praeter perpetuitatem.

Caesar igitur quam perpetuam dictaturam obtinuerit, intelleximus. Magistros autem equitum plures designaverat, siquidem multorum cupiditates explendae erant nec quam ipse diuturnam potestatem habebat, totam cum aliis communicare volebat. Perperam autem de iis tradit Appianus bell. civ. II, 107: ὑπάτους ἐς τὸ μέλλον (i. e. ann. 44) ἀπέφηνεν αὐτόν τε καὶ Ἀντώνιον, τὸν ἵππαρχον ἑαυτοῦ, Λεπίδῳ προστάξας ἱππαρχεῖν ἀντὶ τοῦ Ἀντωνίου, ἄρχοντι μὲν Ἰβηρίας, ἡγεμονεύοντι δ' αὐτῆς διὰ τῶν φίλων. Unde quod Pighius Annal. III p. 462 M. Antonium primum magistrum equitum, tum in eius locum M. Lepidum factum esse colligit, pugnat aperte non modo cum his fastis, in quibus M. Lepidus Caesari dictatori adiungitur M. Antonio non nominato, verum etiam cum Cicerone, qui in Philippica altera nullum alterum Antonii magisterium commemorat; nam quae c. 30 sunt *qui magister equitum fuisse tibi viderere*, quod ante expeditionem Caesaris Hispaniensem narrantur, ad alteram dictaturam pertinent. Erravit igitur sine dubio Appianus in M. Antonio. De Octaviano autem cum fastis congruit Dio XLIII, 51: Καὶ ἔμελλε (Καῖσαρ) καὶ αὐτὸς δικτάτωρ ἐν ἀμφοτέροις αὐτοῖς (i. e. anno 44 et 43, quorum consules designarat) ἄρξειν. τούς τε ἱππαρχήσοντας (sic enim Leunclavius recte emendat) ἄλλον τινὰ καὶ τὸν Ὀκταούϊον καίπερ μειράκιον ἔτι καὶ τότε ὄντα, προεχειρίσατο — καὶ τῷ Λεπίδῳ τήν τε Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρβωνα καὶ τὴν Ἰβηρίαν τὴν πλησιόχωρον προστάξας δύο ἀντ' αὐτοῦ ἑτέρους, ἰδίᾳ γε ἑκάτερον, ἱππαρχῆσαι

ἐποίησεν; item Appianus bell. civ. III, 9 Ὀκταούϊος — ἵππαρχος μὲν αὐτοῦ Καίσαρος γεγένητο πρὸς ἓν ἔτος, ἐξ οὗ τήνδε τὴν τιμὴν ὁ Καῖσαρ ἐς τοὺς φίλους περιφέρων ἐτήσιον ἔσθ' ὅτε ἐποιεῖτο εἶναι, neque adversatur Plinius nat. hist. VII, 45, 147, a quo inter ea, quae Augusto adversa acciderint, numeratur *repulsa in magisterio equitum apud avunculum et contra petitionem eius praelatus Lepidus*, quo loco qui significari putant non factum esse omnino unquam magistrum equitum Octavianum, parum recte interpretantur. Neque enim qui repulsam fert, nunquam honorem quem petit adipiscitur, sed eo tempore quo petit non adipiscitur atque ingens numerus ex magistratibus esset eximendus, si omnes, quos repulsam tulisse constat, honores accepisse negaremus. Petierat igitur Octavianus primum in magisterio locum anno 45 eoque quia nimium adolescens videbatur deiectus acceperat alterum. Neque magnopere mirabimur nec Suetonium nec Ciceronem ullam huius honoris fecisse mentionem; perierat enim totus occiso Caesare nomineque ipso dictaturae ex civitate sublato, cuius tollendi Antonio non parvam causam hanc fuisse arbitror, ut Octaviano omnem potestatis etiam speciem adimeret. Nec si Octavianus narratur avunculi expeditionum comes futurus fuisse (copiosius enim hoc disputo propter Drumanni in hist. Rom. III p. 684 errorem), hoc tantum valet, ut non potuerit per aliquod tempus Romam redire aut absens magistratu fungi. Est autem etiam illud memorabile, quod Appianus ait, ut pluribus impertiri posset, quodammodo annuum factum esse magisterium equitum. Biennium igitur illud, in quod summi magistratus designati erant, dictator sic diviserat, ut M. Lepidum magistrum equitum esse vellet, dum anno 44 in provinciam profectus esset (neminem autem eorum, qui in annum 44 provincias acceperant, mense Martio ab urbe exisse docuimus in Comment. II p. 235), tum in reliquum annum Octavianum, dum is ad bellum proficisceretur, denique in annum 43 Cn. Domitium Calvinum, quem soli fasti Capitolini nominant: qui cum post bellum Africanum, in quo fuisse eum complures tradunt, Romae versatus esse videatur (Cic. p. Dei. c. 11), earum rerum quas in Asia et Africa gesserat, praemia expectabat. Quare qui *insequens*

annus in fragmentis Capitolinis dicitur, intelligendus est 43 a. Chr., qui insequebatur eum, quo Octavianus magister equitum futurus erat. Sic igitur fasti Capitolini hoc loco supplendi sunt:

C· IVLIVS· C· F· C· N· CAES[AR· IIII DIC· REIP· REG· C·
M· AIMILIVS [M· F· Q· N· LEPIDVS· II MAG· EQ·
[C· OCTAVIVS· C· F· C· N· MAG· EQ·
VT· QVM· M[LEPI]DVS· PALVDATVS[EXISSET· INIRET·
NON· INIIT
CN DOMITIVS· M· F· M· N· CAL[VINVS· MAG· EQ·
IN· INSEQVENTEM· ANN[VM· DESIGNATVS
ERAT· NON· INIIT

Quae supplementa eadem fere ab veteribus fastographis inventa sunt. Sic igitur postquam honores, quos quoque anno C. Caesar gessit, singillatim persecuti sumus, haec quam insequens proxima pagina habet, nascitur tabula chronologica, quam ut uno conspectu quae disputatione nostra effecta sunt complecteremur, addendam esse putavimus. In qua ne quis miretur, verba fastorum non convenire cum annis diebusque appositis, servavimus, quae in fragmentis Capitolinis leguntur, sed dies annosque eos, quibus quisque factus esse videretur, ascripsimus.

Ex hac tabula etiam nummorum ratio, ad quem quisque annum referendus sit et qui possint omnino reperiri, apparebit. Superest autem, quoniam multum de magistratuum per hoc tempus ratione disputavimus, ut examinemus, quod Suetonius Caes. c. 76 refert de tertio et quarto Caesaris consulatu narrans, medio eum tempore comitia nulla habuisse praeter tribunorum et aedilium plebis, praefectosque pro praetoribus constituisse, qui absente se (sic enim rectius nunc legitur) res urbanas administrarent. Etenim anno 49 postquam rerum potitus est dictaturamque iniit, noluit ille quidem pro iis, qui cum Pompeio aufugerant, alios magistratus sufficere, sed in insequentem annum omnia comitia habuit; quare fuerunt tunc praetores C. Trebonius, qui urbanam iurisdictionem iussu Caesaris habebat (Dio XLII, 22), M. Caelius Rufus (Dio ibid.; Liv. CXI), Q. Pedius (Caes. bell. civ. III, 22), P. Sulpicius (Caes.

anno 49 a. Chr. 705 ab urb.	Kal. Ian.	C. Claudius M. f. M. n. Marcellus	L. Cornelius P. f. . . n. Lentulus Crus
	eodem anno		
	Id. Sext.	C. Iulius C. f. C. n. Caesar dictator comit. habend. c.	
anno 48 706	Kal. Ian.	C. Iulius C. f. C. n. Caesar II	P. Servilius P. f. C. n. Vatia Isauricus
	Id. Oct.	C. Iulius C. f. C. n. Caesar II dict. sedit. sed. c.	
		M. Antonius M. f. M. n.	mag. eq.
	eodem anno		
anno 47 707	Kal. Oct.	Q. Fufius Q. f. C. n. Calenus	P. Vatinius P. f. . . . n.
anno 46 708	Kal. Ian.	C. Iulius C. f. C. n. Caesar III	M. Aemilius M. f. Q. n. Lepidus
	Kal. Mais	C. Iulius C. f. C. n. Caesar III	dict. reip. const. c.
		M. Aemilius M. f. Q. n. Lepidus	mag. eq.
	eodem anno		
anno 45 709	Kal. Mais	M. Iulius C. f. C. n. Caesar IIII	sine conlega
	eodem anno		
	Kal. Oct.	Q. Fabius Q. f. Q. n. Maximus in mag. mortuus est, in eius locum factus est	C. Trebonius C. f. . . n.
	prid. Kal. Ian.	C. Caninius C. f. C. n. Rebilus	
	Kal. Mais	C. Iulius C. f. C. n. Caesar IIII	dict. reip. reg. c.
		M. Aemilius M. f. Q. n. II	mag. eq.
		C. Octavius C. f. C. n.	mag. eq.
		ut quum M. Lepidus paludatus (ann. 44) exisset iniret. Non iniit.	
		Cn. Domitius M. f. M. n. Calvinus in insequentem annum (43 a. Chr.) designatus erat. Non iniit.	mag. eq.
anno 44 710	Kal. Ian.	C. Iulius C. f. C. n. Caesar V	M. Antonius M. f. M. n.

bell. civ. III, 101) alii, quorum memoria incertior reperitur. Quaestores autem fuisse traduntur M. Marcellus Aeserninus (Dio XLII, 15), C. Plaetorius (bell. Alex. 34), Cornelius Lentulus Marcellinus (Caes. bell. civ. III, 62), Ti. Claudius Nero (Suet. Tib. 4). De aedilibus nulla superest certa memoria, nec magis de tribunis plebis, sed esse tamen creatos constat. Anno autem 47 ineunte nulli prorsus magistratus in urbe erant, nec consules nec praetores nec aediles curules (Dio XLII, 27); soli tribuni et aediles plebeii necessario facti erant atque a Dion. XLII, 29 et 30 commemorantur. Sed hoc dubitari potest, an post reditum Caesaris mense Octobri comitia eius ipsius anni habita nec minus praetores, aediles curules, quaestores facti sint quam consules factos esse supra exposuimus. Ac narrat Dio XLII, 51 τῶν προςεταιριστῶν τῶν τε συναγωνιστῶν τοὺς μὲν βουλευτὰς ἱερωσύναις τε καὶ ἀρχαῖς ταῖς τε ἐς τὸν λοιπὸν τοῦ ἔτους ἐκείνου χρόνον καὶ τοῖς ἐς νέωτα ἀνηρτήσατο. Quamquam nemo qui magistratum tunc gesserit, nominari potest; siquidem etiam C. Sallustius Crispus, de quo Dio XLII, 52 narrat, utrum hoc an insequenti anno praeturam habuerit incertum videtur esse. Cf. bell. Afric. c. 8. In annum 46 a. Chr. rite comitia habita sunt priore anno exeunte, cum decem primum praetores facti sunt (Dio XLII, 51), ac, si praetores, certe etiam aediles curules et quaestores. At cum confecto bello Africano Caesar in Hispaniam proficisceretur, Dio XLIII, 28 sic tradit: Ἐπεὶ δὲ ᾔσθετο ἐκεῖνόν τε (i. e. Pompeium) ἐπὶ μέγα προχωροῦντα καὶ τοὺς πεμφθέντας οὐχ ἱκανοὺς ἀντιπολεμεῖν αὐτῷ ὄντας, οὕτω δὴ καὶ αὐτὸς ἐξεστράτευσεν τὴν πόλιν τῷ Λεπίδῳ καὶ πολιανόμοις τισὶν ὀκτὼ, ὥς τισι δοκεῖ, ἢ ἓξ, ὡς μᾶλλον πεπίστευται, ἐπιτρέψας. Quae verba qui accurate interpretabitur, hoc intelliget Dionem dicere, Caesarem postquam urbem Lepido ac praefectis commisit, profectum esse in Hispaniam, profectum autem videri Roma mense Intercalari priore supra exposuimus. Quid igitur? Quam causam esse dicemus, cur Caesar, quamvis soliti anno 46 essent facti magistratus, praetores et aediles et quaestores, tamen praefectos potius constituerit? Ut enim opinione sua celerius urbem reliquerit nec tempus comitiorum in annum insequentem haben-

dorum habuerit, quamquam haec celeritas tanta neque per se ipsa probabilis est neque ex auctorum narratione potest demonstrari, sed ut celerrime Roma Caesar abierit, hoc intelligere poterimus, cur in annum 45 magistratus nullos crearit, cur ipso anno 46 praefectos constituerit, non poterimus. Neque enim quod Caesari dictatura delata esset, ideo praetorum (nam consules hoc anno vix numerandi sunt) potestatem sublatam esse existimabimus; siquidem et antea in dictaturis Caesaris praetores fuerant et postea in perpetua fuerunt et Sulla dominante fuerant et saepe denique, quamvis dictatores summae rei praeessent, tamen reliquos magistratus constitisse certum est. Quare nullam aliam causam praefectorum tum maxime constituendorum reperio, quam quod annus ille 46 a. Chr. erat confusionis, ad emendandam temporis rationem duobus mensibus inter Novembrem et Decembrem intercalatis ultra solitum productus. Quod cum fieret, Caesar videtur sanxisse, ne qui ineunte anno magistratus inierant, usque ad Kal. Ian. insequentes, sed eorum loco praefecti res urbanas administrarent. De horum autem praefectorum ratione ac cum iis similitudine, qui saepe in municipiis pro IIviris fieri solebant, olim diximus in comment. I p. 52, quae nunc tabulis Hispanicis nuper repertis confirmantur. De numero eorum quoniam Dio ambigebat, nos multo minus iudicare poterimus. Quamquam suspicor omnem ambiguitatem inde esse ortam, quod duo ex iis aerario praeerant (Dio XLIII, 48), qui utrum numero praefectorum comprehenderentur necne incertum erat; nam sex, qui reliqui sunt, ut nominabantur certe iuri dicundo, ita praetorum sex, qui tunc fieri debuerant, loco iudicia videntur administrasse. Veruntamen etiamsi quis minus accurate Dionem dixisse solitique magistratus quod anno 46 conservati sint, nostra coniectura de mensium intercalarium causa non opus esse existimet, hoc certum est, anno 45 ineunte praefectos urbi praefuisse, non praetores. Nulla enim comitia antequam Caesar in Hispaniam abiit facta commemorat Dio, Suetonius autem, cuius verba supra explicata sunt, cum medio tempore, quod inter tertium et inter quartum consulatum esset, nulla comitia habita esse ait, annum 46 significat, nec nullis

habitis comitiis Caesar, quamvis ei potestas faciendorum quos vellet, magistratuum data esset, praetores creare potuit; nam certe sublata non sunt ipsa comitia atque hoc tantum ei datum, ut quos elegisset ac quasi designasset, ii deinde vetere more comitiis confirmarentur. Quare bis ad Caesarem comitia delata esse reperio, semel anno 48 post pugnam Pharsalicam (Dio XLII, 20), tum anno 45 post bellum Hispaniense (Dio XLIII, 45), cum comprehensi sunt etiam tribuni et aediles plebeii, sed comitia tamen omnibus annis, quibus magistratus facti sunt, rite habita Dio commemorat. Constabit igitur anno 45 ineunte nullos fuisse Romae magistratus curules; nam plebeios ne tum quidem omissos esse Suetonius testatur. At exeunte anno 45 cum Caesar ex Hispania revertisset, quo tempore consules creatos esse constat in tres novissimos anni menses, num etiam praetores quaestoresque facti sunt, ut annus, qui nullis magistratibus coeptus esset, eosdem tamen quos reliqui magistratus haberet? Videntur sane; nam primum Dio XLIII, 48 per absentiam Caesaris (ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος) ait praefectos urbem rexisse, ut rursus praesente eo veteres magistratus fuisse debeamus colligere; item idem c. 47 anno 45 quattuordecim praetores fuisse ait, at c. 49 anno 44 sedecim praetores, ex qua numeri diversitate alios anno 44, alios anno 45 magistratus factos esse intelligimus. Sequitur, ut anno 45 Caesar postquam revertit, consulatu quarto propter ipsa comitia, ut opinor, inito non minus praetores et aediles curules et quaestores quam consules, quorum nomina in fastis traduntur, creati sint, Suetoniusque quod ait *medio* inter consulatum *tertium* et *quartum* tempore nulla comitia habita esse, sit verissimum.

Haec quae de praefectis disputavimus, confirmantur prorsus nummorum memoria, quorum ope etiam contingit, ut quorundam ex his praefectis nomina cognoscamus. Sunt enim nummi apud Eckhel. VI p. 7 (V. p. 257), in quibus cum C· CAES· DIC· TER· coniungitur L· PLANCVS· PR· VRB sive PRAEF· VRB·, ut dubium esse non possit, quin L. Munatius Plancus, ille qui imperante Augusto princeps civitatis fuit, dicatur. Alii nummi apud Eckhel. VI p. 8, in quibus quarta Caesaris dictatura cum eodem L. Planci honore com-

ponitur, Goltziani sunt ac parum fidei habent. Omnino enim Goltzius in horum praefectorum memoria amplificanda multum operae consumpsit eiusque adornandae causa etiam Caesarem imperatorem quartum excogitavit (Morell. Inc. 25, 23); sed illi tamen, in quibus Caesar dictator tertium appellatur, sunt certissimi. Iam unum modo praefectorum genus vulgo notum est, nimirum eorum, qui quotannis feriis Latinis creari solebant, sed hi et adolescentuli erant nobiles, cum L. Plancus iam diu Caesaris legatus fuisset (bell. Afric. 4; Caes. bell. civ. I, 40; bell. Gall. V, 24), et per tantulum tempus honore fungebantur, ut nulli eorum nummi extare possint; illo autem anno 46 Dio XLIII, 48 narrat non unum fuisse per totas ferias, sed violato vetere iure in singulos dies singulos, quare multo etiam minus de iis cogitari poterit. Quapropter pro certo erit, L. Plancum, qui in nummis anno 46 praefectus urbi nominatur, unum ex octo illis fuisse, quos Caesar dictator III ab urbe proficiscens creavit. Sed quo ex ordine Caesar elegit? Non videtur L. Plancus fuisse praetorius. Primum nulla eius rei memoria invenitur, deinde anno certe 46 ineunte praeturam non gessit, propterea quod legatus appellatur in bello Africano (bell. Afr. c. 4), item legionibus praefuisse dicitur a Caesare bell. civ. I, 40; relinquitur igitur, ut praetor fuerit anno 48 vel 47, sed ne hoc quidem probabile est, quia gesta praetura etiam provinciam accepisset eoque magis, quod fidus imprimis erat Caesari atque ad res gerendas idoneus. Inde probabile est, nondum fuisse praetorium, sed praetoriae tamen dignitati proximum eaque si occasio ita ferret, ornandum. Hanc igitur L. Planci praefecturam etiam ultra licet persequi ex eo, quod Cicero Phil. II, 31 narrat M. Antonium Narbone, ubi cum C. Trebonio et Caesare bello Hispaniensi confecto eum fuisse supra diximus, subito in urbem redisse eam ob causam, ne L. Plancus praedes suos venderet; emerat enim Antonius Cn. Pompeii bona. Accidit id anno 45 paulo ante reditum Caesaris, qui cum comitia eius qui agebatur anni haberet, ipse ille Plancus, tum praefectus urbi, praetor videtur esse factus. Eo enim pertinet, quod Cicero epist. XIII, 29 L. Planco causam C. Atei Capitonis commendat, ut is T. Antistii heredi-

tatem illo iudicante obtineret, quam epistolam post reditum Caesaris exeunte anno 45 scriptam esse hinc discimus, quod Plancus Caesarem iubetur de T. Antistio interrogare neque ulla significatio additur, quae non posse eum praesentem statim adiri ostendat. Praetoris igitur urbani munera tunc Plancus obibat. Atque etiam alia ratione de praetura eius anno 45 gesta cognoscimus. Etenim non modo a Caesare consul designatus est in annum 42 cum D. Bruto (Comment. II p. 234), verum etiam anno 44 Galliam Transalpinam regendam accepit (Cic. Phil. III, 15; epist. X, 1 sq.), nec puto ab Caesare factum, quod semper rarissime accidit, ut in tanta frequentia magistratuum, quam numero praetorum et quaestorum aucto effecisset, iis qui nullos honores gessissent, provincias decerneret. Iam poterat Planco fortasse etiam hoc ab Caesare concedi, ut, quod praetorio munere functus esset, ipsa praetura neglecta inter praetorios allegeretur (multos autem inter consulares, praetorios, reliquos allectos esse Dio XLIII, 47 scribit); sed ex hoc allectionis genere usque ad extrema prope imperii tempora neminem unquam scimus provinciam accepisse. Quare cum antea Plancum nondum praetorem fuisse supra docuerimus, efficietur, ut ipso illo anno quo praefectus urbi fuit, exeunte praeturam acceperit, confirmabunturque praeclare insigni exemplo, quae de omnium praefectorum ratione annique 45 comitiis ante exposuimus. Nummi autem Goltziani, qui iam citati sunt, in quibus cum praefectorum mentione quarta Caesaris dictatura coniungitur, quam perverse ementiti sint apparet. Ex eodem hoc praefectorum genere fuit C. Clovius PRAEF· i. e. praefectus, qui in aliis nummis tertia Caesaris dictatura inscriptis apud Eckhel. VI p. 7 et Caved. p. 152 commemoratur. Ipse homo ignotior est, probabile tamen videtur esse, eundem legatum pro praetore agris in Gallia dividendis esse praefectum, ad quem Cicero scripsit epistolam 7 libr. XIII, de quo olim diximus ipsi in comment. epigr. I p. 301, idem fortasse etiam, quem Dio LII, 42 in consularium numerum ab Augusto relatum esse scribit. Nam quis ille C. Cluvius in celebri marmore apud Orell. Inscr. 4859 sit, incertum prorsus esse iudico. Illud autem non credo, quod Cavedonius

ait videri eum praefectum classis Caesarianae fuisse, cuius sententiae nescio utrum maior causa sit haec, quod Eckhel. V p. 174 nummos illos extra Romam percussos esse videri scribit, id quod parum certis argumentis statui intelligo, an illa, quod *praefectus* tantum appellatur. Sed si municipalium praefectorum, qui ex his orti sunt, similitudinem sequi licet, propriam horum appellationem dicemus fuisse *praefectus urbi iuri dicundo*, atque ut in illis quod est *iuri dicundo*, omittitur, ita hi non minus praefecti tantum nominari posse videntur. Classi autem dubito num Caesare dictatore peculiares praefecti, quales postea a IIIviris imponi solebant, praefuerint: nulli certe alii noti sunt. Tertius autem praefectus certo cognoscitur L. Livineius Regulus, qui in nummis apud Eckhel. V p. 235 appellatur PRAEF· UR, quem censeo esse eundem, qui in bell. Afric. 89 legioni narratur praefuisse, ac vel ipse vel pater eius a Cicerone ad Att. III, 17 (cf. epist. XIII, 59) commemoratur. Reliqui qui ab Havercampo in hunc praefectorum numerum referri solebant, Q. Oppius (Eckhel. V p. 264; Caved. l. l. p. 152), L. Norbanus, L. Cestius (Eckhel. V p. 169) cum tantum PR. nominentur, neque ullam certam temporis significationem in nummis exhibeant, an potius praetores fuerint, vehementer dubitandum esse existimo. Nam et qui certi sunt ex hoc praefectorum genere, PRAEF solent in nummis dici, et A. Hirtius, qui item PR., sed Caesare cos. III appellatur (Eckhel. V p. 224 et VI p. 7) sine dubio fuit praetor, propterea quod praeter annum 45 nulli, quamdiu Caesar regnavit, praefecti fuerunt.

Superest, ut de una potestate Caesari decreta dicamus expositisque iis, quae ad veteres reipublicae honores cumulatos pertinent, de eo disputemus, quod novum tunc inventum est auctumque ad reliquos imperatores ita transiit, ut solum prope imperatoriam potentiam efficere videretur*). Reliqua quae de aliis honoribus dici possunt, hoc loco praetermittere statuimus,

*) Haec quae de imperatorum tribunicia potestate Latine hoc loco disputaveramus, Germanice etiam exposuimus in Actis conventus philologorum Vindobonensis anni 1858 p. 102 sq. Habet tamen utraque disputatio propria quaedam, quare etsi Germanica illa edita sunt, tamen Latina quoque haec eo loco, cui scripta erant, prodire voluimus.

non quod non digna sint, de quibus denuo quaeratur, sed praeverti placebat ad id, quod et maximum esset et idem, quamvis saepe esset examinatum, multas dubitationes ac quasi tenebras haberet. Quid enim celebratius est tribunicia potestate? Quae quomodo numerari consuerit, multi viri doctissimi exposuerunt: at quo modo orta sit et creverit et ea tandem facta sit, quam in imperatoribus invenimus, iidem vel prorsus tacent vel ita commemorant, ut cum perspicuis scriptorum testimoniis pugnent. Quae si rectius perspicientur, paululum etiam ad veterem illam tribunorum plebis potestatem, quae in libera republica fuit, intelligendam redundaturum esse existimamus neque id in tanta huius argumenti difficultate non erit gratissimum. Iam Dio Cassius XLII, 20 de tribunicia potestate dictatori Caesari continuo postquam nuntius de caede Pompeii Romam pervenit, delata sic scribit: Τήν τε ἐξουσίαν τῶν δημάρχων διὰ βίου, ὡς εἰπεῖν, προςέθετο· συγκαθέζεσθαί τε γὰρ ἐπὶ τῶν αὐτῶν βάθρων καὶ ἐς τἆλλα συνεξετάζεσθαι σφίσιν, ὃ μηδενὶ ἐξῆν, εὕρετο. αἵ τε γὰρ ἀρχαιρεσίαι πᾶσαι πλὴν τῶν τοῦ πλήθους ἐπ' αὐτῷ ἐγένοντο. Tribunicia igitur potestas perpetua ei decreta est neque eam recusavit; nam illa quae sunt προςέθετο et εὕρετο, quomodo decretam tantum esse illam, non receptam a Caesare significent? Perperam igitur iudicaret Tacitus Annal. III, 56, qui ubi de tribunicia potestate, quam Tiberius Druso filio petebat, refert, *id summi fastigii vocabulum*, inquit, *Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen assumeret ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret.* Nisi forte credemus Lipsio Tacitum sic interpretanti, ut Caesarem dicat eo nomine non usum esse publice Augustoque, qui primus usus esset splendoremque ei dedisset, non immerito eius originem tribui. Praeclara hercle fuisset illa Augusti inventio, qui cum rem ipsam a patre suo nosset esse usurpatam, quod eum sese appellari iuberet qui esset, nescio quod fastigium potentiae suae adiecisse diceretur. Ac quando Augustum illud invenisse putamus? Etenim anno 36 a. Chr. post Sex. Pompeium victum Dio XLIX, 15 hoc ei datum esse scribit: τήν τε οὖν οἰκίαν αὐτῷ ἐψηφίσαντο καὶ τὸ μήτε λόγῳ μήτε ἔργῳ τι ὑβρίζεσθαι· εἰ δὲ μή, τοῖς αὐτοῖς τὸν τοιοῦτόν τι δράσαντα ἐνέχεσθαι, οἷςπερ ἐπὶ τῷ δημάρχῳ ἐτέτακτο· καὶ γὰρ

ἐπὶ τῶν αὐτῶν βάθρων συγκαθέζεσθαι σφίσιν ἔλαβε. Nonne haec est eadem tribunicia potestas, quam Caesari datam esse supra dixit? Nec decreta tantum tunc est Augusto, verum etiam recepta, qua de re non modo domus publica, quae simul commemoratur, in qua ab illo tempore eum habitasse constat, sed etiam Dionis verba (ait enim ἔλαβε) fidem faciunt. Quae si quid dubii relinquerent, id tolleretur Appiani testimonio, de eodem tempore sic referentis, bell. civ. V 132: Ἐφ' οἷς αὐτὸν εὐφημοῦντες εἵλοντο δήμαρχον ἐς ἀεὶ διηνεκεῖ ἄρα ἀρχῇ προτρέποντες τῆς προτέρας ἀποστῆναι· ὁ δὲ ἐδέξατο μὲν καὶ τήνδε cet. Etiam Orosius VI, 18 extr. a senatu decretum esse scribit, *ut in perpetuum tribuniciae potestatis esset.* Certum igitur erit Augustum iam anno 36 tribuniciam potestatem perpetuam accepisse nec recusasse. At nonne repugnat Dio LI, 19 anno 30 post proelium Actiacum sic referens: καὶ τὸν Καίσαρα τήν τε ἐξουσίαν τὴν τῶν δημάρχων διὰ βίου ἔχειν (ἐψηφίσαντο) καὶ τοῖς ἐπιβωμένοις αὐτὸν καὶ ἐντὸς τοῦ πωμηρίου καὶ ἔξω μέχρις ὀγδόου ἡμισταδίου ἀμύνειν, ὃ μηδενὶ τῶν δημαρχούντων ἐξῆν, ἔκκλητόν τε δικάζειν καὶ ψῆφόν τινα αὐτοῦ ἐν πᾶσι τοῖς δικαστηρίοις ὥσπερ Ἀθηνᾶς φέρεσθαι? Nonne quod habebat iam Augustus, decretum esse ait? Neque hoc satis est; nam rursus Dio LIII, 32 anno 23 Augusto cum consulatum deposuisset, eandem potestatem datam esse scribit: καὶ διὰ ταῦτα ἡ γερουσία δήμαρχόν τε αὐτὸν διὰ βίου εἶναι ἐψηφίσατο καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ξένός τινος ὅτου ἂν ἐθελήσῃ καθ' ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ ἔδωκε, τήν τε ἀρχὴν τὴν ἀνθύπατον ἐςαεὶ καθάπαξ ἔχειν. Quomodo ter idem tribui potuit? Cum iterum daretur, utrum receperit necne non additur, sed cum primum, scimus eum recepisse: bis igitur certe eandem potestatem accepit. Neque enim, opinor, probabitur Eckhel. doctr. num. VIII p. 391, qui Augustum censet vel non recepisse vel negligentius habuisse: nam recepisse convincitur aperto Dionis testimonio, sin receperat, sive negligebat sive magni faciebat, iterum decerni non opus erat. Eckhelio autem fere assentiuntur, qui idem argumentum hoc tempore tetigerunt. Quae cum ita sint, si et scriptorum auctoritatem conservare et rei ipsius probabilitatem sequi volemus, necessario eo deducemur, ut aliud Caesari,

aliud Augusto atque huic ipsi aliud anno 36, aliud postea datum esse existimemus.

Nimirum multas habet partes tribunicia imperatorum potestas, quas cunctas simul datas esse non est necesse; possunt singillatim tribui eumque quasi gradum esse observatum veri est simile, ut quod minus esset, prius, quod maius, postea decerneretur. Hi igitur gradus tribuniciae potestatis explorandi sunt progressusque qualis paulatim factus sit, inveniendus. Primum igitur Dio XLII, 20, quem locum supra citavimus, Caesarem accepisse ait τὴν ἐξουσίαν τῶν δημάρχων διὰ βίου, ὡς εἰπεῖν, quibus non eam, quae postea esset, universam, sed partem quandam, accepisse ipse significat, ut quodammodo idem quod illi habere videretur. Quid autem erat hoc? Duas res Dio nominat, primum συγκαθέζεσθαι ἐπὶ τῶν αὐτῶν βάθρων. Hoc quid sit, non difficile est intellectu. Dicuntur enim subsellia quibus tribuni plebis uti solebant, in quo insigne eorum potestatis erat. Sit enim verum, quod Pseudo-Asconius ad Cic. div. p. 118 ait, subsellia omnium potestatum minorum fuisse communia, tamen ex his subselliis certa ea, quibus tribuni utebantur, aliquid proprii habebant tribuniciaque appellabantur. Ipsumque hoc nomen saepius reperitur, velut Suet. Caes. 78; Claud. 23; Dio Cass. XXXVII, 50; LIII, 27. Utebantur autem eo subsellio primum in curia (nam cum Val. Max. II, 2, 7 narret eos initio ante fores curiae positis subselliis decreta patrum examinasse, postquam in curiam admissi sunt, non minus id genus sedilium habuisse probabile est), deinde in theatro (nam regnante Augusto Dio LIII, 27 C. Thoranium tribunum plebei in theatrum ad subsellia tribunicia patrem suum deduxisse narrat), tum in aliis locis, in quibus vel singuli vel cum collegis negotii gerendi causa consedissent, velut in comitiis (Liv. III, 64) et si quem alium locum sanctitate tribunicia occupare vellent (Dio XXXVII, 50). Iam ex his rebus, quae honore subsellii tribunicii continebantur, ceteras quidem Caesar fortasse minus usurpabat, propterea quod semper dictaturam et consulatum gerebat, quamquam reliquos imperatores saepe usurpasse infra intelligemus, sed quod ad theatra ludosque pertinebat, non contempsit, ut in totius populi consessu

maxime plebis curam gerere summaque quam illa conferre posset, potestate praeditus esse videretur. Quare Dio XLIV, 4, ubi ei anno 44 a. Chr. vestem triumphalem sellamque curulem in perpetuum decretam esse scribit, exceptos esse ait ludos: Τότε γὰρ ἐπί τε τοῦ δημαρχικοῦ βάθρου καὶ μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων θεάσασθαι ἔλαβε, quae verba non ad novum decretum illo anno factum, sed ad hoc, quod anno 48 datum erat, pertinere arbitror. Altera autem res quae in tribunatu perpetuo fuerit, sic ab Dione significatur: καὶ ἐς τἄλλα συνεξετάζεσθαι σφίσιν, ὃ μηδενὶ ἐξῆν, εὕρετο. Quae verba qui simpliciter atque ex naturali eorum potestate interpretabitur, credet omnia tribunorum plebis iura decreta esse imperatori, nec quicquam habuisse illos, quod non idem hic acceperit: nec video, qua alia interpretatione uti liceat. Habebat igitur iam Caesar ius auxilii ferendi, habebat intercedendi, habebat senatus vocandi et consulendi, habebat agendi cum plebe, sacrosanctus denique non minus erat quam qui ipso tribunatu fungebantur; nihil denique erat quod tribunis plebis liceret, quod non imperatori esset concessum; nihil enim Dio excipit. Nec sine causa additur ὃ μηδενὶ ἐξῆν, nemini licuisse potestate tribunicia uti. Etenim interest hoc inter tribunorum plebis et inter praetorum vel consulum rationem, quod horum potestas saepe quotannis iis, qui ipsis honoribus non amplius uterentur, deferri solebat notissimique sunt pro praetoribus et pro consulibus; sed tribunorum potestatem nunquam, qui non ipsum tribunatum gereret, obtinuerat, ut novo prorsus more ac contra veterem rempublicam Caesari universa tribunicia potestas committeretur. Iuvat autem etiam causam, cur novum hoc ius Caesari decretum sit, persequi. Ait enim Dio: αἵ τε γὰρ ἀρχαιρεσίαι πᾶσαι πλὴν τῶν τοῦ πλήθους ἐπ᾽ αὐτῷ ἐγένοντο, in quibus ipsa particula coniunctionem quandam inter comitia et tribuniciam potestatem intercessisse significat. Nimirum praetorum et consulum comitia cum Caesar in potestate sua teneret, facile ne quis qui suas res impediret crearetur poterat cavere, poterat etiam, id quod anno 47 et 45 accidisse demonstravimus, aliquando nullos facere curules magistratus, at de tribunis aedilibusque plebeiis antiqua lege religiosissime san-

citum erat, primum ne quando non crearentur, deinde ne crearentur nisi ab tribunis comitiis tributis. Huic rei nova lex veterem religionem non violans dupliciter occurrit. Nam Caesar iam et, si qui inimici ad tribunatum pervenissent, quoniam pari cum illis potestate erat, facile eorum conatus prohibebat et, quia ipse etiam plebeiorum magistratuum comitiis praeesse poterat, ne qui fierent qui sibi inimici essent, impediebat. Itaque quod Dio Cass. XLIII, 45 anno 45, ubi coniunctim quodammodo quae res Caesaris dominationem effecerint recenset, ait: τάς τε γὰρ ἀρχὰς αὐτῷ καὶ τὰς τοῦ πλήθους ἀνέθεσαν, dubito an ad nullum novum decretum, sed ad hoc, de quo diximus, pertineat; hoc certe video, etiamsi forte postea ut solus qui comitiis tributis fierent tribuni, ederet, decretum est, id potestate tribunicia ante non collata non potuisse decerni. Unum fortasse hoc in genere nonnullos moveat, quod Suetonius, qui omnes Caesaris res singillatim persequatur, nihil de hoc iure tribunicio commemorat. Sed quo loco maxime honores eius recenset c. 76, quoniam id agit, ut nimia eum usurpasse ac iure caesum esse doceat, ea sola, quibus non modo supra reliquos magistratus, sed prope supra humanam fortunam eveheretur, affert, in quibus hoc ius tribunicium, quo maius ab omnibus deinceps imperatoribus usurpatum esse docebimus, certe non erat.

Hic igitur primus quasi tribuniciae potestatis gradus erat, ad quam miretur fortasse aliquis potuisse quicquam adiici. Neque poterat, nisi id ageretur, ut sublata collegarum aequalitate unus supra omnes imperator extolleretur. Itaque anno 44 cum victis omnibus adversariis iam vere Caesar regnaret, secutum est alterum, quod Dio XLIV, 5 commemorat: Τά τε τοῖς δημάρχοις δεδομένα καρποῦσθαι, ὅπως ἄν τις ἢ ἔργῳ ἢ λόγῳ αὐτὸν ὑβρίσῃ, ἱερός τε ᾖ καὶ ἐν τῷ ἄγει ἐνέχηται (ἐψηφίσαντο). Ad eandemque rem pertinet, quod Dio XLIV, 49 M. Antonium in funere Caesaris dicentem facit: οὗτος ὁ ἀρχιερεὺς, ὁ ἄσυλος — τέθνηκεν, et paulo post ποῦ δὲ ἡ ἀσυλία; et c. 50 apertius: ὃν ἐξ ἴσου τοῖς δημάρχοις ἄσυλον ἐπεποιήκεσαν, et quod Appianus bell. civ. II, 106 καὶ τὸ σῶμα ἱερὸς καὶ ἄσυλος εἶναι, quod item anno 44 decretum esse ait, et II, 108 caedem per-

petratam esse ἐς ἄνδρα ἱερὸν καὶ ἄσυλον; etiam Livius epit. CXVI sacrosanctum esse iudicatum scribit. Quid? In iure tribunicio nonne semper hoc potissimum ac quasi necessarium fuerat, ut ad vim cogendi sacrosancti esse existimarentur? Quare, cum haberet id Caesar iam ex vetere illo decreto, quod anno 46 factum erat, quomodo iterum decerni potuit? Necesse igitur est plus datum ei sit quam ipsi tribuni plebis habebant, nec scio quid hoc esse possit nisi quod lex sacrata, quae tribunorum corpus in urbe ipsa agroque Romano tutabatur, Caesaris causa per totum imperium Romanum propagata est. Neque enim dubium est, quin tribunorum ut tota potestas urbis finibus coercebatur, extra quam si quid aliquando gessisse narrantur, an propria lege vel senatus consulto ornati sint nescimus, ita corporis sanctitas ad eosdem, quibus potestas continebatur, fines pertinuerit, neque si nemo veterum id tradit, movere nos debet; siquidem cum ne excedere quidem urbe tribunis liceret, commemorari quod accidere nunquam poterat, inutile erat. Caesarem vero etiam extra urbem sanctitate corporis ornari opus erat, praesertim cum tunc contra Parthos proficisci ac diu ab urbe abesse cogitaret. Reliquos quidem imperatores per totum imperium Romanum sacrosanctos fuisse infra luculento Tiberii exemplo ostendemus. Quamquam aegre fero Dionem minus accurate dixisse neque hanc amplificationem iuris tribunicii, quae tunc reperta est, aperte significare. Nec magis alterum, quod in nova imperatoris potestate erat, quod etiam maius fuisse reperio, indicat. Nam tribuni plebis eatenus erant sacrosancti, quatenus quid pro potestate agebant: privatim non erant legimusque L. Cottam a creditoribus in ius vocatum (Valer. Max. VI, 5, 4), M. Claudium Marcellum de stupro accusatum (id. V, 1, 7), Cn. Tremellium, quod cum pontifice maximo iniuriose contendisset, punitum (Liv. epit. XLVII). Quae exempla ostendunt, id quod in ipsa rei natura positum est, cum publice impunitate uterentur, privatim in iis quae extra potestatem suam facerent, eos communibus omnium civium legibus fuisse subiectos. Illud tantum dubitari poterat, quid esset publice ab iis actum, quid ad vitam privatam pertineret, eaque cognitio ad collegium tribunorum

plebis pertinebat (Val. Max. VI, 5, 4): quicquid privatum esse constabat, id quin in iudicium vocari liceret, non erat dubium. At imperatorum longe alia erat causa. Nihil in iis erat privatum, nihil, quod non ad salutem publicam pertineret. Itaque publicam quasi tribunorum plebis securitatem, qua sola antea Caesar in iis quae pro potestate tribunicia gesserat, usus erat, ita ad totam eius vitam, ad omnia, quae non dicam iure tribunicio aut publice, sed quae privatim etiam et domi ageret, transtulerunt, ut eum quicunque ulla re violasset, sacrum esse iuberent. Apparet, opinor, quanto maius Caesaris ius quam tribunorum plebis fuerit, decretique, quod anno 44 factum est, causa ac ratio intelligitur, de qua paulo plura dicenda esse putavi, quod omnino de tribunorum plebis sanctitate minus recte iudicari video.

Atque in his quas dixi rebus tribunicia potestas quae Caesari decreta est, constitit, quae quomodo in ceteris imperatoribus aucta sit, intelligere placet. Etenim anno 36 a. Chr. post victum Sex. Pompeium cum plebes summos in Octavianum honores conferre cuperet, quoniam duae iam res inventae erant, primum ut totum ius, quod tribuni ipsi habebant, deinde ut sanctitas corporis decerneretur, facere non potuit, quin quod superiori Caesari per duas vices, id huic uno tempore tribueret. Quamquam Dio XLIX, 15, quem locum antea citavimus, rursus minus accurate loquitur. Nominat enim primum, ut sacrosanctus esset Octavianus, deinde ἐπὶ τῶν αὐτῶν βάθρων συγκαθέζεσθαι σφίσιν (τοῖς δημάρχοις) ἔλαβε. Quasi vero merum hunc honorum subselliorum acceperit, nec simul ius illud tribunorum, quod maximum erat. Nec tamen id commemorari opus erat; utebatur enim Octavianus tunc IIIviri potestate, quae tanta erat, ut tribunicia nullum novum ius afferret ac merus ille subselliorum honos relinqueretur, quem novum acciperet; deposita autem IIIviratu retinebat omnia quae in potestate tribunicia erant. Quae etsi magna erat, non tamen sufficere visa est, cum anno 30 post proelium Actiacum summa potentia ornaretur. Nam Dio LI, 19 quem locum supra citavimus, tres res ei concessas esse scribit, primum ut intra pomoerium et extra usque ad primum lapidem auxilium ferre,

deinde ut de appellationibus iudicare liceret, denique ut in omnibus iudiciis calculus eius tamquam Minervae ferretur. Haec nonne aperte cum iis, quae supra exposita sunt, pugnant? Etenim vetustissimum tribunorum plebis ius erat, ut auxilium ferrent, nec minus in libertate eos constat de appellationibus iudicasse: habebat igitur utrumque Octavianus accepta dudum tribunicia potestate, habuerat item Caesar, cui omnia, quae tribunis licerent, concessa esse Dio scribit. At imperatoris num putamus non maius auxilium quam tribuni plebis fuisse? Hic, si cui auxilium ferret, moram ille quidem poterat obiicere, sed nisi collegarum consensu adiuvaretur, tollere, quod agebatur, non poterat: quae res cum ab iis, qui de hoc argumento scripserunt, minus perspicue tradi soleat, tamen ex certissimis liberae reipublicae exemplis intelligitur. Sed quoniam hoc loco non disputamus de tribunis plebis, contenti erimus luculento loco Taciti Annal. XIII, 28, quo Antistius trib. pleb. auxilium tulisse narratur histrionibus a praetore in vincula ductis. Praetor cum ea de re ad senatum retulisset omissis interim histrionibus, non modo non valuit tribuni auxilium, sed incusata etiam est eius licentia. Alium locum apud Dion. LX, 28, quo tribuni plebis, qui liberto adversus patronum opem tulissent, puniti esse dicuntur, ideo non adhibeo, quod nec constat num omnes tribuni consenserint et imperator ipse animadvertit. Affine autem prorsus atque eiusdem generis est intercedendi ius, quo ubi unus vel plures utuntur, impediunt, non tollunt; ubi universi consentiunt, sine dubitatione quod nolunt, non fit. Itaque Tacitus Histor. II, 91 Vitellium aliquando, cum contra studium eius censeretur, tribunos plebis auxilio vocasse tradit, qui si consentirent, quin senatus consultum irritum esset, non dubium erat. In consensu enim omnis tribunorum potentia posita est, qui ubi abest, ad impediendum multum valent, ad tollendum nihil. Eodemque vel plurium vel omnium consensu (neque enim quando plurium sententia suffecisse videatur, hoc loco disputabimus, propterea quod ad summam quaestionis nihil valet) opus est in appellatione tribunorum plebis cum auxilio tribunicio coniuncta; neque enim ad unum tribunum, sed ad tri-

bunos provocatur iique ex collegii sententia pronuntiant: qua de re ita constat, ut nemo dubitet. Quare Augustus simulac veterem tribuniciam potestatem accepit, poterat et solus moram facere, si cui opem ferre vel intercedere vellet, poterat item cum collegis de appellationibus cognoscere; nec obscurum est, quanta eius in impediendo et iudicando auctoritas esse debuerit. Iam autem hoc agebatur, ut supra collegarum aequalitatem evectus plus unus valeret, quam reliqui: datum igitur sit necesse est, primum ut, si cui auxilio esset vel si cui actioni intercederet, ea utique valeret intercessio neve cui liceret ei qui contra egisset auxilio esse, tum ut de appellationibus quod unus cognosset, id plus valeret quam quod tribunorum collegium pronuntiasset. Vere igitur si dicere volemus, non unius tribuni plebis potestatem, sed totius collegii Augusto delatam esse intelligimus, sed ita ut ipsum collegium eiusque potestas non tolleretur. Etenim etiam postea tribunos et auxilium ferre et intercedere et denique, quod cum eo coniunctum est, de appellationibus iudicare audimus, sed necessario accidit, si quid imperator vel pronuntiasset vel si cui rei intercessisset, id utique ut ratum esset, si quid simili in causa tribuni egissent, provocatio ad imperatorem fieret. Hinc natum est illud imperatoris ius, quod maximum fuit, ut supremam unus omnium et legum et iudiciorum potestatem haberet condemnatisque ab aliis iudicibus poenam remittere posset; nam quia totum ius ex appellationis ratione ortum est, ut poena ab imperatore minueretur, non intenderetur, obtinuisse arbitror. Quod ius ab Augusto tunc ea quam diximus lege ortum ad omnes deinceps imperatores et ad nostrarum civitatum principes transiit. Hanc autem eius iuris tribunicii quod imperatores habebant, rationem esse ipsa diligens verborum Dionis interpretatio docet; nam quod datum esse ait τοῖς ἐπιβοωμένοις ἀμύνειν, moram facere poterant singuli tribuni plebis, eripere ex poena non poterant, item quod est ἔκκλητον δικάζειν, collegio tantum concessum erat. Sed magis perspicua sunt, quae Dio LIII, 17 de potestate tribunicia habet: δίδωσι σφίσι (i. e. imperatoribus) τὰ ἐπιγιγνόμενα ὑφ' ἑτέρου τινὸς, ἂν μὴ συνεπαινῶσι, παύειν; tollere igitur potest imperator ipse quic-

quid improbat, reliqui tribuni nisi de collegii sententia non possunt. De appellationibus vero res est apertissima. Imperator enim nisi extraordinarium ius haberet, semper cum tribunis plebis cognosceret, sed solum cum iis quos in consilium advocasset, cognosse atque adeo appellationes urbanas ita praefecto urbi delegasse scimus (Suet. Oct. 33), ut nova ad ipsum appellatio concederetur. Unum autem superest in Dionis verbis, quae citavimus, quod explicatione egeat, quod ad universam tribunorum plebis rationem rectius intelligendam aliquantum confert. Nam quod est ὁ μηδενὶ τῶν δημαρχούντων ἐξῆν, referri solet huc a viris doctis, ut ceteris tribunis censeant non licuisse auxilio esse nisi intra pomoerium, imperatori autem etiam mille passus extra licuisse, unoque hoc Dionis loco praeclare qui fines tribunorum potestatis fuerint indicari praedicant. Egregia hercle illa erat imperatoriae potestatis amplificatio, si mille passus adiicerentur! Ac rursus tenuis vere tribunorum potestas, si non egrederetur pomoerium, extra quod maxima pars civium continentibus aedificiis habitabat ac tot aedificia publica sita erant. Immo omnium semper tribunorum potestas usque ad mille ab pomoerio passus patebat idque non obscure significat Livius III, 20. Dionysius autem Antiq. VIII, 87, qui moenibus, et Appianus bell. civ. II, 31, qui urbe tribunorum potestatem circumscribit, etsi minus accurate loquuntur, eundem tamen hunc mille passuum ambitum comprehendunt. Quare si Dionem de tribunorum plebis potestate pomoerio circumscripta imperatorumque iure usque ad primum lapidem prolato dicere putabimus, et cum reipublicae Romanae ratione et cum scriptoris aperto testimonio pugnabimus. Nunc omnem rem in verbo ἀμύνειν verti intelligimus: tribunis singulis non licebat ita ferre auxilium, ut licebat imperatori, illi moram afferebant, hic auxilio ferendo et intercessione quod minus placuisset, tollebat. Diximus de duabus rebus, quibus tunc tribunicia imperatorum potestas aucta est; reliqua est tertia, quam iam leviter tetigimus, quod Dio datum esse ait Augusto, ut in omnibus iudiciis quasi calculum Minervae ferret. Id quale fuerit, magnopere dubitatum est. Etenim alii interpretati sunt, si totidem absolverent quot condemnarent,

adiectam esse Augusti sententiam, qua reus absolveretur. Sed vetus ille mos erat iudiciorum Romanorum neque ullum in eo praecipuum Augusti ius reperiri potest. Alii, si uno plures condemnarent, dixerunt Augusti sententiam absolventibus adiectam itaque reum absolutum esse. Vide Gust. Geib. de iudiciis Romanorum p. 368. Sed ut in illo nullum, ita in hoc nimis exiguum Augusti ius erat, cui cum de appellationibus iudicandi summa potestas tradita esset, unius sententiae ferendae ius dari parum conveniebat. Neque omnino ne hoc quidem tam pro iure, quod Augusto datum sit, quam pro iudiciorum commutatione haberi debet, quae si tunc facta esset, non tantum apud Dionem, sed etiam apud multos alios scriptores commemoraretur. Quare calculum Minervae Augusto datum sic potius intelligo, ut Augusti unius sententia ad absolvendum tantum valuerit, quantum reliquorum omnium iudicum sententiae i. e. ut condemnatis remittere ei poenam liceret atque eos in integrum restituere. Neque de calculo Minervae, qui proprie dicatur, cogitandum esse ipse Dio significat, similitudinem tantum quandam, quae facile apparet, commemorans. Ac fuisse omnibus imperatoribus hoc restituendorum eorum qui condemnati erant, ius constat: originem indicat Dio et indicat eo loco eoque tempore, quibus facillime existere potuisse videatur. Animadvertendum autem etiam illud est, quod *omnibus iudiciis* ait i. e. non iis tantum, quae per quaestiones perpetuas tunc exercerentur, sed etiam iis, quae in senatu. Originem ipsam huius iuris significare satis est: quo caruerat vel prorsus vetus reipublica vel rarissime olim nec sine totius civitatis perturbatione uti licuerat: nunc, cum imperator et ultor ubique adesset et opem infelicibus ipse ferre posset, leges severius administrari iudiciaque a factionum studio, quo olim corrumpi consueverant, liberari coeperunt. Quare quod ad honorem ac potentiam Augusti inventum est, id plurimum ad iustitiam ipsam omniumque civium salutem valuit.

Explicavimus alterum quasi tribuniciae imperatorum potestatis gradum, quo sub vetere nomine novum ius introductum est, eoque accepto Augustus cum omnia quae obstarent facile

tollere posset, tantam videri sibi poterat habere potentiam, ut et triumviri potestatem deponeret et altero loco consulari privatis hominibus cederet. Itaque anno 23 a. Chr. satiatus honoribus consulatum undecimum deposuit eamque ob moderationem novis decretis ornatus est. De quibus quae Dio LIII, 32 refert, supra allata sunt, nimirum decrevisse senatum, ut tribunus plebis perpetuus esset et de una aliqua, quam voluisset, re ei in quovis senatu etiam cum consulatu non fungeretur, relationem facere liceret. His etsi secundum ea, quae disputata sunt, amplificationem tribunicae potestatis indicari colligemus, quod tamen potissimum novum ius adiectum esse dicatur, non facile est ad inveniendum. Quid enim erat, quod ad plenam illam, quam deinceps imperatores habuerunt, potestatem deesset? quid, quod ad veterem tribunorum potestatem adiiceretur? Habebat Augustus non tantum omnia, quae singulis tribunis licebant, verum etiam in intercedendo et iudicando totius quasi collegii unus ipse locum obtinebat. Veruntamen si veterem tribunorum potestatem duabus tamquam partibus constitisse statuimus, una, ut quicquid plebi noceret, impedirent, altera, ut quod prodesse ei existimarent idemque ab senatu curulibusque magistratibus negligi viderent, id ipsi agerent, in illa iam Augustus supra collegarum aequalitatem evectus, in hac iis par erat, ut non plus posset quam singuli. Quare id ei datum esse probabile videtur, ut etiam in ferendis novis legibus plus posset quam reliqui tribuni. Iam proprius quasi tribunorum agendi locus olim fuerat in comitiis tributis, quibus licentia eorum creverat; tunc horum potentia abolita omnia per senatum incipiebantur, plebi inanis potestatis species relicta est: quare in senatu potissimum Augusto praecipuum aliquod ius tributum esse coniiciemus. Eoque ab Dione ipso ducimur, qui ab senatu hunc novum honorem Augusto decretum esse scribit; nam quae antea de tribunicia potestate ei data erant, ea a populo ex auctoritate videlicet senatus decreta esse vel perspicue dicit (libr. XLIX, 15) vel tecte significat (libr. LI, 19). Hoc autem loco quod a senatu tribuniciam potestatem perpetuam tributam esse ait, quid potest esse? Neque enim Augusto regnante plebis ita sublata

erant comitia, ut in summo magistratu in perpetuum deferendo nulla eius ratio haberi posset. Senatus igitur propria fuerint necesse est, quae senatus tunc tribuit. Accepit autem Augustus novum honorem deposito, ut diximus, consulatu, quem ex quo IIIviratu sese abdicavit, continuo gesserat, ut, quae in republica opus esse censeret, eo facilius corrigeret: quare senatus ei hoc maxime videtur debuisse decernere, quod et consulatu deposito amiserat et ad continendam rempublicam maxime requirebat. Idque ipse Dio significat, datum ei esse, quod etiam cum consul non esset, haberet. Unde facile nascatur suspicio, in verbis Dionis, quae citavimus, seiungendum esse tribunatum perpetuum ab iure unius relationis, ac consularem potestatem dici delatam esse extra illam. Sed consularem potestatem perpetuam, ut semper et ubique duodecim lictoribus uteretur medioque inter consules loco sella curuli sederet, postea anno 19 a. Chr. Augusto concessam esse scribit Dio LIV, 10, neque quam rationem tribuniciae potestatis fuisse vidimus, ut eius una post alteram pars decerneretur, eandem consularis fuisse debebimus existimare, propterea quod nec Dio consularem potestatem in iure unius relationis nominat (tribuniciam autem potestatem, quaecunque eius pars deferebatur, semper nominat) et plus quam unam relationem consulare ius complectitur. Consules enim in senatu, cui praesunt, et quacunque de re et quotiens volunt, referre possunt, neque eam potestatem cum imperatori daretur, minui oportebat. Sequitur ut ius unius relationis cum tribunicia potestate coniunctum fuerit. Sed quid? Tribunis plebis nonne antiquitus in senatu et relationem et secessionem facere licebat? Vocare adeo poterant idque ius etiam sub imperatoribus tenuerunt (Dio Cass. LIX, 24; LX, 16): quidni igitur ius relationis haberent? Nec tantum in libertate exempla cum retulerint, reperiuntur (Cic. Phil. VII, 1; ad Q. fr. II, 1; epist. X, 16; p. Sest. 32, saepius), verum etiam sub imperatoribus, velut apud Tac. Annal. VI, 12, Dioque LV, 3 iis omnino hoc ius fuisse dicit. Quare Augustus qui dudum tribunicia potestate uteretur, certe iam ante hunc annum 23 relationem in senatu habebat, ac peculiare aliquid tunc adiectum sit ne-

cesse est, quod Dioni mentione dignum esse videretur. Nimirum haec, opinor, ratio est senatus. Relationem in eo habet, qui praeest, id est plerumque consul, eoque concedente vel praetor vel tribunus plebi (Cic. Phil. VII, 1). Sed quoniam tribunis etiam invito consule licet suum senatum vocare, consentaneum est, ut non modo in eo, quem ipsi coegerint, senatu relationem habeant, verum etiam in eo, cui consules praesint, quia suum se senatum vocaturos esse minari possunt, facile referendi potestatem assequantur. Cf. Cic. epist. X, 16. Ita fit, ut tribunorum omnis ad senatum referendi potestas ex consensu pendeat, qui ubi est, in quovis senatu de quacunque re volunt, relationem discessionemque facere possunt. Iam Augustus ut intercedendi iudicandique de appellationibus liberam ab collegarum consensu potestatem acceperat, ita aequum esse videbatur, ut etiam agendi cum senatu liberam ab collegarum intercessione facultatem acciperet. Hanc ob causam tunc senatus consulto consuetudo senatoria ita mutata est, ut imperatori in omni senatu unius utique relationis ius concederetur. Ex quo iure quomodo ius tertiae et quartae et quintae relationis, quod altero saeculo principes habere coeperunt, ortum sit fateor me nescire, idque cum paucis locis apud scriptores historiae Augustae commemoretur (Capitol. Marco c. 6; Pertin. c. 5; Lamprid. Alex. Sev. c. 1; Vopisc. Prob. c. 12), omnino quale fuerit, vix puto posse definiri. Quae certe interpretatio primum ab Casaubono ad Sueton. Caes. c. 20 inventa est probarique nunc solet, ut imperatores trium et quattuor et quinque relationum ius habuisse existiment, ea, quomodo et cum nomine et cum re ipsa constare possit, parum intelligo. Sed persequi hoc argumentum longius ab hac disputatione alienum est, quae vereor hercle ne iam ab eo quod propositum erat, abisse videatur.

Intellectum enim esse arbitror, quibus legibus et senatus consultis coaluerit illa, qua imperatores usi sunt, tribunicia potestas, quam Augustus postquam consummatam accepit, quia maxime omnium popularis esse videbatur, tanti aestimavit, ut ex ea et ipse imperii sui annos numeraret et publice fastorum annos signari iuberet. Neque in aliis rebus contempta est;

pendebat enim ex ea non modo tota maiestatis lex, verum saepe etiam imperatores eo quod eius insigne erat, subsellio tribunicio utebantur, cum aliis locis publicis, velut de theatro supra diximus, tum in senatu. Claudium quidem Suet. c. 23 de maiore negotio acturum in curia medium inter consulum sellas tribunicio subsellio sedere consuevisse narrat (cf. Dion. LX, 16), atque etiam Pertinacis et Caracalli aetate illa imperatoris sedes maxime putabatur esse popularis (Dio LXXIII, 3 et LXXVII, 3). Quare apud Suet. Tib. c. 17, ubi Tiberium ex Germania reducem in contione medium inter duos consules cum Augusto simul sedisse scribit, subsellio tribunicio usos esse imperatores coniicio itemque interpretor nummos quosdam C. Sulpicii Platorini apud Eckhel. Doctr. num. V p. 317, nomine Augusti et M. Agrippae inscriptos. In quibus qui sunt duo homines togati in subselliis sedentes, quod Eckhelius Augustum et Agrippam intelligi posse negabat propterea quod id esset infra eorum maiestatem, minus recte iudicabat.

Superest ad explendam nostram quaestionem una res, quae mentione digna esse videatur. Diximus enim ex quattuor legibus quasi conflatam esse imperatoris potestatem tribuniciam: prima commune tribunorum plebis ius detulerat, reliquae tres privilegia quaedam de sanctitate corporis, de iure intercedendi et agendi in senatu addiderant. Erat igitur tota potestas ita una, ut ex diversis partibus constaret fierique poterat, ut ex iis una aliqua sine ceteris deferretur. Nec dubium est quin ita factum sit. Erat enim Augustus ex altera illa lege, quam de Caesare latam esse diximus, sacrosanctus ubique per imperium Romanum et omnibus in rebus privatis publicisque, idque ita interpretabatur, ut etiam liberos suos sacrosanctos esse diceret ac Iuliae filiae adulteros, quasi ipsum se laesissent, maiestatis lege puniret (Tac. Annal. III, 24). Eodem iure reliqui qui in domo eius erant, utebantur, sed tamen anno 35 a. Chr. Liviae uxori et Octaviae sorori decernendum curavit τὸ ἀδεὲς καὶ τὸ ἀνύβριστον ἐκ τοῦ ὁμοίου τοῖς δημάρχοις ἔχειν (Dio XLIX, 38), ut sacrosanctae essent, non Romae modo, opinor, sed ubique omnibusque in rebus; iam enim hoc ius in Caesare inventum atque ad Augustum translatum erat.

Unam igitur tribuniciae potestatis partem sine reliquis tributam esse apparet. Sed postea Augustus collegas tribuniciae potestatis assumpsisse narratur. Etenim primum M. Agrippae anno 19 a. Chr. ἄλλα τε ἐξ ἴσου πῃ ἑαυτῷ καὶ τὴν ἐξουσίαν τὴν δημαρχικὴν ἐς τὸν αὐτὸν χρόνον ἔδωκε, ut Dio LIV, 12 scribit, eamque tribuniciam potestatem anno 13 in aliud quinquennium prorogavit. Tum Tiberio privigno anno 6 a. Chr. tribuniciam potestatem in quinquennium concessit (Dio LV, 9; Suet. Tib. c. 9), eundemque anno 4 p. Chr. eadem potestate in decem annos (Dio LV, 13), anno 13 in alteros decem annos ornavit (Dio LVI, 28; Suet. Tib. c. 16). Haec igitur quae heredibus imperii dabatur, tribunicia potestas quaeritur, num eadem fuerit, quam ipse imperator habebat. Nobis non videtur, non quod unquam minorem eam appellari videamus, sed quod maxime ius poenae remittendae iudicandique de appellationibus ex eo genere esse existimamus, quod unus tantum tenere possit. Nam cum alter eodem iure ornatur, nova nascitur provocatio unumque utique esse oportet principem, in cuius iudicio acquiescatur. Neque opus est tantum heredi tribui, cui ubi fidem habet imperator, et appellationes non minus quam praefecto urbi delegare potest et orationes suas in senatu recitandas tradere. Quae cum ita sint, non Romanae, sed omnis omnino reipublicae ratione ad ad eam coniecturam deducimur, ut minus ius Agrippae et Tiberio et aliis imperii heredibus datum esse censeamus quam Augustus imperatoresque ipsi habebant. Etenim, si ab duabus rebus, quas diximus, discedamus, relinquitur tota illa potestas, quam dictator Caesar habuit, ut imperii heres commune omnium tribunorum plebis ius, sed perpetuum, et corporis securitatem amplissimam illam quam exposuimus acciperet. Ac conveniunt cum coniectura nostra, quae de Tiberio traduntur. Nam quod Suet. c. 11 eum narrat, cum Rhodi a quodam laesus esset convicio, pro iure tribuniciae potestatis conviciatorem rapi iussisse in carcerem, aperte ad securitatem sanctitatis pertinet. Quod Tacitus Annal. I, 7 extincto Augusto Tiberium ait edictum quo senatum cogebat, tribuniciae potestatis praescriptione proposuisse, cuivis tribuno plebis idem facere licebat, quodque idem c. 13 eum significat relationi consulum iure tribuniciae

potestatis potuisse intercedere, id habuisse indicat quod quivis tribunorum habebat. Neque hercle illa verborum quasi magnificentia decipiemur, qua scriptores de his rebus utuntur. Veluti cum Suetonius Aug. c. 27 de Augusto scribit: *Tribuniciam potestatem perpetuo recepit, in qua semel atque iterum per singula lustra collegam sibi adoptavit*, et cum Vellei. II, 90 Agrippam ait *in collegium tribuniciae potestatis evectum*, et II, 99 Tiberium *tribuniciae potestatis consortione aequatum Augusto* (cf. II, 103) et cum Tacitus Annal. I, 3 eundem Tiberium *consortem tribuniciae potestatis* appellat, totam tribuniciam potestatem non necesse est existimemus esse communicatam. Multo autem minus nos movebit Tiberii apud Tac. Annal. III, 56 oratio, qui Druso filio eandem potestatem a senatu petebat, quo loco cum origo tribuniciae potestatis imperatorum leviter adumbretur, iam supra ab initio huius quaestionis usi sumus. *Socium eius potestatis, inquit, Augustus Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret. Sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur; simul modestiae Neronis et suae magnitudini fidebat.* Ac paulo post: *Quo tunc exemplo Tiberius Drusum summae rei admovet, cum incolumi Germanico integrum inter duos iudicium tenuisset. — Neque nunc propere, sed per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis, triumphalem et bis consulem, noti laboris participem sumi.* In quibus omnibus nihil est, quod non nostram de minore quadam tribunicia potestate, qua qui successores imperii destinabantur, usi sint, sententiam admittat. Quod autem exemplum priores imperatores dederant, secuti sunt reliqui. Nam Vespasianus, ut rerum potitus est, Titum filium *collegam et in tribunicia potestate et in septem consulatibus* ascivit (Suet. Tit. c. 6), Hadrianus Antoninum Pium, quem successorem elegerat, *collegam et in imperio consulari et in tribunicia potestate* (Capit. Ant. c. 4), M. Aurelius Commodum filium *collegam in tribunicia potestate* sibi adiunxit (Capit. M. Aurel. c. 27).

Quae igitur imperio consuetudo fuerit, intelligimus. Quamquam profecto coniectura haec, quae de minore tribunicia potestate disputavimus, niti incertaque esse facile ipsi concedimus, quae si aliis argumentis confirmabuntur, ad multas res

rectius intelligendas valebunt, sin refutabuntur, insignem atque a nostra aetate diversam imperii Romani rationem ostendent. Secuti enim nos sumus unum illud, quod summa potestas principis non videtur posse communicari, ne cum eo quidem qui heres ac successor electus sit; vidimus etiam originem potestatis ex pluribus partibus coalitae, denique mulieribus certe domus imperatoriae partem aliquam eiusdem potestatis tributam esse constat, quibus qui totam illam, qua ipsi imperatores utebantur, concessam esse existimabit, omnem morem Romanum mutabit. Alio etiam ex genere censemus esse proconsularem potestatem, quae inter imperatorem ipsum eiusque successorem communicari solebat: quae cum in eo posita sit, ut imperator in senatoriis provinciis superiore iure esset, quam qui quamque regeret, facilius inter duo videtur potuisse dividi. Veruntamen, utut de hac successorum imperii potestate iudicabitur, quod proprie nobis erat propositum, ut originem tribunicii iuris, quo imperatorum potentia conficiebatur, exponeremus, si aliqua ratione effecerimus locumque antiquitatis Romanae maximum eundemque obscurissimum illustraverimus, satis assecuti esse, ac dum ab dictatore Caesare proficiscimur, quod ad omnes imperatores Romanos magnopere pertineat, explicasse videbimur.

DE

MALACITANORUM ET SALPENSANORUM LEGIBUS MUNICIPALIBUS

IN HISPANIA NUPER REPERTIS.

Quod in antiquitatis scientia magnopere optandum est, ut non modo quae fortunae quodam beneficio extant, emendentur atque explicentur, verum etiam, ut nova monumenta, quibus cognitio nostra augeatur, in lucem oculosque nostros prodeant, id in nullo genere facilius et potest fieri et fit quam in epigraphico. Quod cum fere non ex codicibus librisque manu scriptis, quorum studium vetustissimum est, pendeat, sed partim ex casu, quo quae in terra latuerunt eruta proferuntur, partim ex industria humana, qua partes imperii Romani diu ignotae paulatim explorantur, multa saepe inveniuntur, quae novis subsidiis subministrandis ipsos litterarum nostrarum fines amplificent. Itaque et in Italia plurimae inscriptiones novae innotescunt, quarum vix ulla est, quae si diligenter explicetur, non ad aliquam antiquitatis partem rectius constituendam adiuvet, et in Africa aliisque regionibus olim barbaris, nunc paulatim humanitati nostrae perviis, ea existunt, quae insignem ac prope insperatam rerum Romanarum cognitionem afferant. Quamquam plurima huiusmodi minora sunt, ex quibus qui quod ad antiquitatem cognoscendam prosit, elicere velit, tanta uti debeat et interpretandi sagacitate et similia colligendi industria, ut ipsi plus quam monumentis debeatur. Sed nonnunquam etiam ea subito existunt, quae ipsa nullo eruditionis adiumento scientiam nostram augeant, quae fere eo pluris facienda sunt, quod non per librariorum imperitiam corrupta, sed qualia scripta erant, nec aliorum opinionibus immutata, sed publica quasi fide tradita ad nos pervenerunt. Ex quo genere nihil est, quod conferri possit cum duabus inscriptio-

nibus Hispanicis, Salpensana et Malacitana, quas ante paucos annos nescio quo casu repertas primus laudabili cum cura edidit Ictus Hispanus, Don Manuel Rodriguez de Berlanga, Malacae 1853, deinde in Germania repetivit commentarioque utilissimo instruxit Theod. Mommsenius Lipsiae 1855. Earum et amplitudo est tanta, ut ex Latinis inscriptionibus una tantum possit cum iis contendere, et ea rerum gravitas, ut locum a scriptoribus relictum eximie suppleant longeque omnium titulorum Latinorum utilitatem vincant, et tanta denique copia atque ubertas, ut multorum studiis in multos annos sufficiant. Quae cum proprie de iure duorum municipiorum Hispaniae Baeticae sint, non solum universam rem municipalem, quae antea ex disiecta plurimorum titulorum multitudine cum magno labore colligenda erat, clara duorum monumentorum luce illustrant, sed etiam, quoniam omnes imperii partes intima quadam coniunctione cohaerent, ad summam rempublicam pertinent multaque nova et de imperatorum consuetudine et de iure civili et de aerarii administratione et de aliis rebus maximis tradunt.

Sed in omni hoc genere monumentorum, quae novitatis specie animos nostros alliciunt, magna quaedam cautio adhibenda est. Vetera enim illa quoniam multorum studiis examinata sunt, in artis cuiusdam rationem redacta fere inter se congruunt, ut vix ullus in iis locus sit, qui quamvis discrepare videatur, non explicatione quasi mollitus atque in reliquorum seriem insertus sit, haec nova si quid docere videantur, quod iis quae adhuc credidimus repugnet, ne novitatis specie capti minus quaeramus, an utraque conciliari possint, sed temere nova pro veteribus accipiamus, vehementer providendum est. Qua in re hanc quasi regulam statuemus, ne quae recens exhiberi videantur prius credamus, quam quae ex longo tempore ab viris doctis cum multo labore disputata sunt, cum iis compararimus artisque nostrae perpetuitatem servarimus. In tabulis autem illis Hispanicis una maxime res animum nostrum advertit, quae quod diximus praeclare videretur demonstrare. Continent enim legum municipalium fragmenta, una municipii Flavii Salpensani, altera municipii Flavii Malacitani: sic saepius

appellantur nec quicquam potest esse dubium, quin imperatoris Domitiani tempore (nam hoc scriptae sunt) Salpensa et Malaca municipia fuerint. Iam hoc municipiorum genus quis non virorum doctorum existimavit civitate Romana fuisse praeditum? Ne de veteribus reipublicae Romanae temporibus ac civitatis tamquam propagatione dicam, quis non, ex quo imperium conditum est, censuit in Italia cum omnibus data esset civitas, duo fuisse oppidorum genera, coloniarum, quas qui efficiebant, militari modo deducti ac publice agris donati erant, et municipiorum, quod reliquorum, quae civitate uterentur, nomen erat, in provinciis autem cum Latinae et peregrinae condicionis fuisse civitates, variis vel foederis vel libertatis vel immunitatis generibus praeditas, tum easdem illas colonias eademque municipia, quae sola civitatem Romanam haberent? Haec quasi fundamenta quaedam erant, in quibus quae de antiquitate reperissemus, constituere solebamus, haec principia, unde proficiscebamur, haec denique perfugia, quo si quando opiniones nostrae evagari vellent, rediremus. At evertit ea Mommsenius, qui cum in inscriptionibus illis Hispanicis quaedam invenisset, quae cum iis, quae adhuc ab omnibus credebantur, pugnare opinaretur, non modo falsam esse iudicavit veterem sententiam, verum etiam quasi res esset certissima, in titulo libri sui ipso Salpensam et Malacam tamquam Latina oppida inscripsit. Quid igitur nunc faciamus? Num veteribus continuo abiectis id studebimus, ut quae antea credebamus, mutemus? An vero illud imprimis faciendum esse existimabimus, ut novae inscriptiones quid doceant, diligentissime quaeramus perpensisque omnibus rationibus si novis monumentis aliter de municipiis tradi invenerimus, tum demum, quomodo ea cum reliqua nostra cognitione concilianda sint, examinemus? Itaque hoc agere constituimus: quaeretur a nobis, cuius generis civitates fuerint Salpensa et Malaca quaeque in tabulis Hispanicis leguntur, quid de universo municipiorum iure doceant. Ita et eorum, qui his monumentis ad scientiam nostram amplificandam uti volent, temeritati occurremus, ne quicquid statuerint, non examinatum prorsus rationibusque confirmatum statuisse videantur, et, si veterem sententiam ne novis quidem his in-

scriptionibus everti ostenderimus, ne magna quaedam opinionum confusio existat providebimus: stabiliemus etiam vetera, si, quibus ea certissime refelli videbantur, ea minus ipsa constare docuerimus.

Iam si novam tantum sententiam refellere vellemus, perpauca dicere satis erat. Brevius enim aliquanto Mommsenius disputavit, qui quod in omnium prope oculos incurrere putabat, tamquam de tribunali pronuntiavit paucaque quaedam in annotatione adiecit, quibus, quasi secundum tantorum monumentorum auctoritatem dubitari amplius non posset, probabilitatis aliquam tenuem speciem ei quod novum invenisset, circumdaret. Quam brevitatem etsi non vituperamus (neque enim omnia ubique possumus persequi neque ille erat locus ad municipiorum rationem explicandam constitutus), ideo tamen prope aegre ferimus, quod ita nobis eorum etiam quae refellenda sint inveniendorum cura iniungitur. Cupimus enim persuadere viris doctis, nihil esse in tabulis Hispanicis, quod veteri de municipiis sententiae repugnet, cupimus etiam dubitationibus tollendis providere, ne multis accidat, quod Ed. Laboulaio, Icto Francogallico, accidit, qui cum non pauca in his esse videret, quae ab communibus opinionibus discreparent, vel quia vetera novis praeferebat vel ut aliorum studia eliceret, de universorum monumentorum fide dubitare coepit. Quodsi in refutando disputatio nostra contineatur, veremur, ne discordia, quam perire cupimus, alatur temeritatique eorum, qui novas quasque res maxime adamare solent, minus subveniatur. Duplex igitur nostra oratio erit: prior pars ad novam de municipiis opinionem refutandam pertinebit, altera in Salpensae Malacaeque iure explicando versabitur. Illa erit certissima nec quicquam dubitationis relinquet, haec si non veritatem ipsam, sed probabilitatem aliquam assequetur, id non in nostra culpa, sed in testimoniorum inopia positum erit.

Veruntamen ut causa quae sit perspiciatur, ea fuit adhuc virorum doctorum sententia, ut municipia esse existimarent ea oppida, quae civitate Romana uterentur: quae cum lege Iulia data esset Italiae, omnia oppida universae Italiae in ius municipiorum esse translata: tum propagatam esse civitatem pau-

latim per provincias, in quibus si quae bene meruissent urbes, civitate donatas item municipiorum nomen accepisse; itaque quo pluribus daretur civitas, eo plura extitisse municipia, tandemque huc esse deventum, ut cum ab Caracallo omnibus ingenuis hominibus per imperium Romanum impertita esset civitas, nullum superesset oppidum, quod non municipium et esset et rite diceretur. Nam de coloniis earumque ab municipiis discrimine, quod quale fuerit praeter nominis honorisque inanem quandam speciem neque alius quisquam invenire potuit neque nos invenimus in comment. I p. 474 sq., hoc loco non disputamus. Nunc autem municipiorum nomen ac ratio paulo latius extenditur. Sic enim statuunt duo fuisse municipiorum genera, unum illud, quod dudum omnes existimarunt, quod civitate Romana utebatur, sed accedere alterum inferiore illud quidem iure praeditum, sed quod tamen non minus municipii nomine ornaretur. Etenim etiam ea oppida, quae Latinitatem haberent, municipia esse appellata, ut, si quod diceretur municipium, incertum esset, utrum civitate Romana an Latino tantum iure uteretur. Nobis quidem, ut Salpensam Malacamque et municipia vocari et pro Latinis civitatibus haberi intelleximus, non hoc videbatur esse faciendum, ut, quae origo, quae ratio municipiorum antiquitus fuisset, explicaremus. Longa ea quaestio est neque ad hanc rem quae agi ur utilis. Quodcunque enim municipiorum ius fuit, cum parva erat Roma multique ac potentes populi per Italiam imperitabant, id et potuit certe tanto annorum spatio mutari et mutatum esse constat, nec si quid initiis libertatis Romanae fuit, quamvis semina eorum, quae postea facta sunt, contineat, idem usque ad Domitiani tempora servatum esse probabile est. Quamquam illud merito poterat postulari, si quod in provinciis ius reperiri videretur, ut id alicubi in adulta republica, cum unum iam ac potentissimum esset imperium Romanum, extitisse ostenderetur. Nihil enim novi in hoc quidem genere excogitarunt imperatores, sed quae ab maioribus tradita acceperant, definiverunt, auxerunt, amplificarunt. Iam tot olim fuerant in Italia civitates Latinae, tot postea conditae sunt per provincias, tot supersunt rerum Romanarum auctores amplissimi, tam frequens

in iis et Latinitatis et municipiorum mentio: num igitur unum afferri potest oppidum, quod et Latinum fuisse et municipium appellari constet, ante Iuliam quidem legem, qua civitas Italiae data est? Immo post eam ipsae illae, quae olim coloniae Latinae fuerant, quia civitate utebantur, saepe a multis appellantur municipia neque Latinitatem quisquam putabit ita illo tempore esse mutatam, ut eam quae haberent oppida, antea non possent appellari municipia, postea possent. Quo argumento quid potest cogitari certius atque ad persuadendum aptius? Verum nolumus haec tempora explicare, quibus si quis duplicem illam municipiorum naturam, ut aut Latina aut civitate Romana fuerint (nam quin antiquissimis temporibus etiam qui cives non essent municipum tamen iure usi sint, non negamus idque ex alio quodam genere esse intelligimus) — sed si quis duplicem illam municipiorum rationem florente libertate deprehendere sibi videatur, maximis argumentis refelli poterit. Nunc cum in imperatoris Domitiani aetate versaremur, imprimis Plinii auctoritatem putabamus esse examinandam, quippe qui et Hispanicorum horum monumentorum prope aequalis fuisset et ex publicarum tabularum fide universi imperii Romani descriptionem instituisset; memineramus etiam eum in ipsa Hispania enarranda magna usum esse diligentia, qui si consentiret, gravem novae opinioni commendationem conciliari, sin dissentiret, ne in illorum interpretatione erratum esset, vehementer verendum esse videbamus. Quid igitur habet Plinius? In Hispaniae Baeticae enarratione (nat. hist. III, 7) sic ait: *Oppida omnia numero CLXXV, in iis coloniae IX, municipia VIII, Latio antiquitus donata XXIX, libertate VI, foedere III, stipendiaria CXX.* Ipsa haec magnam suspicionem movere debent, ut municipia diversa esse censeamus ab oppidis Latio antiquitus donatis i. e. ab oppidis Latinis; nam Plinius, qui imperatoris Augusti Agrippaeque tabulas sequitur atque universae Hispaniae Latinitatem ab Vespasiano datam esse in extrema descriptione adiicit, antiquitus Latina dicit ea oppida, quae ante Vespasianum eo iure fuerant, dato olim ab Augusto maxime, post cuius tempora nihil in Hispaniae condicione videtur esse mutatum, neque quicquam hinc debet colligi, quo

veterem Latinitatem peculiarem aliquam fuisse opinemur. Quis igitur in divisione, ubi oppidorum genera distinguenda sunt, municipia et Latina oppida ita iuxta poneret, si illa non modo civium Romanorum, verum etiam Latinorum esse possent? Hoc quidem contra omnem rationem est, primaque dividendi lex haec est, ut, quae totum complecti possint, ea ne tamquam in partibus constituas. Certum igitur hinc est, municipia et Latina oppida ita fuisse diversa, ut quae Latii ius haberent, nullo modo essent municipia, quae municipia, Latinitate non uterentur. Quo autem iure fuerint municipia, si hinc relinquitur dubium, ex Tarraconensis Hispaniae enarratione intelligitur, cui Plin. III, 18 haec praemittit: *Continet oppida CLXXIX, in iis colonias XII, oppida civium Romanorum XIII, Latinorum veterum XVIII, foederatorum unum, stipendiaria CXXXV.* Quinque hic oppidorum genera enumerantur; nam libera nulla videntur fuisse in Tarraconensi. Sed eodem loco, quo Baetica habet municipia, i. e. post colonias et ante Latina oppida, Tarraconensis habet oppida civium Romanorum neque ullum in antiquitate Romana notum est oppidorum genus, quod iure ac dignitate coloniis cesserit, Latinitati praestiterit, praeter ipsa municipia, ut constare arbitrer, quae in Baetica appellentur municipia, ea in Tarraconensi dici oppida civium Romanorum, suppleaturque quod supra de iure municipiorum relinqui diximus. Sed hac ratione si quid superesset dubii (nec quicquam superesse censemus), id totum tolleretur tertio loco, quo Plinius IV, 117 Lusitaniae oppida recenset, in qua esse ait *colonias quinque, municipium civium Romanorum unum, Latii antiqui tria, stipendiaria XXXVI.* Ibi enim nomen ipsum municipii cum genere hominum coniungitur.

Quae cum consideraremus, non putabamus fieri posse, ut eadem aetate praestantissimus scriptor in parte operis secundum publicarum tabularum fidem instituta et monumenta nobilissima de re et gravissima et omnibus tunc notissima inter se tantopere discreparent aegreque ferebamus, non haec potius esse inter se conciliata quam novam opinionem, qua incredibilis quaedam dissensio statueretur, introductam. At enim urguetur ipse Plinii locus, quem postremo attulimus, quo

municipium civium Romanorum appellatur: illo enim genitivo addito significari, non modo civium Romanorum fuisse municipia, sed alia quaedam etiam, quae non civium Romanorum, sed Latina essent. Quasi vero genitivus explicandi causa, quod hominum genus in municipiis fuerit, addi non possit quaeque vel adiectivo vel genitivo illustrantur (haec enim ex simili genere sunt) significent esse oportere sui diversa quaedam genera. Sed faciamus, quod credi non potest, ex genitivo adiecto de municipiis quae civitate Romana careant, necessario esse colligendum: num consequetur, ut imperatorum Domitianique tempore municipia, quae Latinitatem haberent, sint appellata? Certe non videtur. Nam quaecunque fuit origo ac vetustissima ratio municipiorum, qua de re hoc loco disputari nihil attinet, omnes concedent viri docti fuisse aliquando municipia, non quae Latinitate uterentur (haec enim nunquam fuerunt), sed quae civitatem non haberent, quae existimant paulatim civitate per Italiam propagata evanuisse ac lege Iulia, qua omnibus Italiae populis civitas impertita est, ita esse extincta, ut deinceps quod municipium vocaretur, civium Romanorum esse intelligeretur. Quamquam re mutata nomen conservari potuit, nec, quod Domitiano imperante municipia civium Romanorum dicebantur, efficitur, ut tunc etiam Latini iuris municipia fuerint. Quid enim? Coloniae si imperatorum aetate dicantur civium Romanorum (ac dicantur sane, neque enim eiusmodi locos, si qui sunt, conquirendos esse putavimus), num quis etiam Latinas colonias fuisse recte colligat? Sed certe fuerant olim, inde natum est generis nominisque discrimen, quo sublato mansit tamen vetus appellatio. Affinis autem prorsus est municipiorum ratio. At alia monumenta prioris aetatis non minus de duobus municipiorum generibus significant; nam quod in lege Thoria agraria est vs. 31 *pro moinicipieis col(onieis civium Romanorum n)ominisve Latini*, nonne item ad municipia Latina pertinet? Nobis quidem coloniarum tantum duo genera, quae tunc erant, significari, municipiorum ratio nullo pacto tangi videtur. At in lege Iulia municipali, quae dicitur, multiplex est testimonium. Nam tab. II, 9 est *queiquomque in municipieis coloneis praefectureis foreis*

conciliabuleis C. R. II vir IIII vir erunt, et vs. 34 *quae municipia colonia praefectura fora conciliabula C. R. sunt erunt* et vs. 68 *quae municipia coloniae praefecturae C. R. in Italia sunt erunt.* Quae tantum abest, ut municipia Latina fuisse doceant, ut loci Pliniani explicationem a nobis institutam apertissime demonstrent. Nam cum Caesare dictatore, qui illam legem videtur tulisse, nullum fere constet in Italia fuisse oppidum, quod civitate Romana careret, tamen non modo municipia, sed etiam coloniae praefecturaeque genitivo illo civium Romanorum, ex quo hominum genere fuerint, explicantur, unde si quis in Italia tunc (atque ipsum Italiae nomen apponitur) et municipia et colonias et praefecturas, quae Latinitatem tantum haberent, fuisse colligat, totam certe historiam pervertat: de municipiis vero solis nihil ex lege Iulia cognoscitur. Denique Frontinus de controv. agror. II (Gromat. ed. Lachm. p. 36, 2) citari omnino non debuit, qui cum dixit *habent autem provinciae et municipales agros aut civitatium peregrinarum*, nec omnia agri genera, quae in provinciis essent, comprehendere voluit et eam quae municipiorum agris erat cum civitatum peregrinarum agris diversitas, recte significavit.

Atque haec quidem ex aliis scriptoribus monumentisque afferuntur, quae afferri non debuisse docuimus; sed in ipsis illis tabulis Hispanicis num quid est, quod Salpensam Malacamque et municipia fuisse et Latinitate tantum usas esse ostendat? De municipii nomine ac iure constat, non magis ex aliis inscriptionibus, quae infra citabuntur, quam ex his ipsis: de Latinitate illud imprimis tenendum erit, ne, si qui vel Salpensae vel Malacae reperiantur fuisse Latini homines, ideo omnes municipes eodem iure fuisse Latinitatemque omnino cum municipii ratione congruere existimemus. Qua de re infra copiosius disputabimus, nunc hoc commemoramus, ne in Latina quidem civitate omnes homines fuisse iuris Latini. Quid enim? Cum hoc Latinitatis ius esset, ut qui in sua quisque republica magistratum gessisset, civitatem Romanam consequeretur, nonne quotannis necesse erat si qui novi homines ad honores accederent, civium Romanorum numerus augeretur? Iam habuerint Salpensa et Malaca, quamvis municipia appel-

lentur, tantum Latinitatem, verumque sit, quod falso statuitur, municipia esse posse Latini iuris: certe acceperant Latinitatem anno 71 p. Chr., quo universam Hispaniam ab Vespasiano in Latii ius traductam esse constat: a quo anno usque ad annum 83, quo hae tabulae scriptae sunt, praeterierant undecim anni. Nonne igitur, cum bini quotannis IIviri, bini aediles, bini quaestores fierent, certe triginta familiae in civitatem Romanam iam transierant? Qua in computatione, ne quid quod paulo incertius esset statueremus, non existimavimus, cum Latinitas reliquis daretur, simul nobilioribus quibusdam familiis datam esse civitatem. Id enim fieri solebat eam ipsam, opinor, ob causam, ut essent, ex quibus sine civitatis largitione magistratus crearentur, exemploque potest esse Novocomensium colonia, quam Caesar dictator cum conderet, quingentis familiis Graecis, quas deducebat, civitatem impertisse dicitur (Comment. I p. 308). Fecerit id ille ambitiose et ultra praescriptum (sic enim eius inimici criminabantur): quibusdam eum civitatem largiri et debuisse et potuisse constat. Quare sive Latini iuris erant Salpensa Malacaque sive civitate Romana praeditae, esse in iis oportebat cives Romanos, quibus legibus municipalibus, quarum fragmenta supersunt, praescriberetur. Quas si haberemus integras, vel si initia certe legum ad nos pervenissent, certa invenirentur testimonia, quae cives Romanos in illis municipiis fuisse ostenderent; nunc nullum est. Nam in aeris Salpensani cap. XXII et XXIII de iis tantum, qui consecuti erunt civitatem, non de iis, qui iam consecuti sunt, scribitur. Veruntamen si Latina oppida non minus quam civitate Romana praedita habebant et cives Romanos et Latinos homines, unde tandem, utrius generis quaeque civitas fuerit discetur? Nimirum ex maiore, ut videatur, hominum parte, quae ubi Latinum ius habeat, Latinum sit oppidum, ubi civitate Romana utatur, id habeatur, quod adhuc credidimus esse municipium. Iam in aeris Salpensani cap. XXVIII haec sunt: *Si quis municeps municipi Flavi Salpensani qui Latinus erit apud IIviros qui iure dicundo praeerunt eius municipi, servom suom servamve suam ex servitute in libertate(m) manumiserit liberum liberamve esse iusserit — qui ita manumissus liberve esse iussus erit, liber*

esto quaeque ita manumissa liberave (esse) iussa erit, libera esto, uti qui optumo iure Latini libertini liberi sunt erunt. Quid ex his efficitur, nisi Latinos quosdam municipes fuisse Salpensae? Quot fuerint, nemo potest intelligere, neque ulla deducetur necessitas, ut universum municipium aut Latinitate aut civitate Romana praeditum fuisse existimemus. Quamvis enim pauci essent Latini, non minus iis prospiciendum erat lege quam si vel multi essent vel prope universi. Illud etiam animadverto, quod fortasse alicui in mentem veniat, quod Latinis tantum permittatur manumittere apud IIviros servosque suos Latinitate donare, non sequi, ut IIviri Salpensani minore iure fuerint quam aliorum municipiorum magistratus. Dubito enim, quod postea iuris erat, ut etiam apud municipales quosdam magistratus manumittere liceret (Iust. Cod. VII, 1, 4), num idem iam hoc tempore fuerit, cum civitas Romana in maiore honore ac praemio esset; multa certe, quae magistratus Romanos (velut Plin. epist. VII, 16), nulla exempla, quae municipales eam potestatem habuisse ostendant, afferri possunt. Quare sic statuemus, si civis Romanus Salpensae vel Malacae servum suum vindicta liberare eumque in civitatem asserere vellet, adeundum fuisse proconsulem, si qui Latinus esset, manumitteret, qui Latinitatem tantum servo impertire posset, IIvirum eam potestatem fuisse.

Difficilior est alter locus, aeris Malacitani cap. LIV, quo praescribitur, quorum hominum comitiis rationem haberi oporteat. Ibi haec sunt: *Qui comitia habere debebit, is primum IIvir(os), qui iure dicundo praesi(n)t, ex eo genere ingenuorum hominum, de quo h(a)c l(ege) cautum comprehensumque est, deinde proximo quoque tempore aediles, item quaestores ex eo genere ingenuorum hominum, de quo h(ac) l(ege) cautum conprehensumque est, creando(s) curato, dum ne cuiius comitis rationem habeat, qui IIviratum pet(et), qui minor annorum XXV erit quive intra quinquennium in eo honore fuerint, item qui aedilitatem quaesturamve petet, qui minor quam annor(um) XXV erit quive in earum qua causa erit, propter quam si C. R. esset, in numero decurionum conscriptorumve eum esse non liceret.* Enumerantur hoc loco causae quattuor, in quibus qui sint, honores petere

vetantur. Earum prima est libertini generis; nam et vetus lex fuerat et denuo anno 24 p. Chr. lege Visellia diligentius cautum erat, ne qui libertinus esset, honores municipales consequeretur (Comment. I p. 122). Quod autem genus ingenuorum hominum admitteretur i. e. num municipes soli an etiam qui aliorum oppidorum cives essent, qui ex quaque parte municipii, denique utrum cives Romani an etiam Latinae conditionis homines, haec omnia in superiore aliquo capite perscripta erant, quod periit. Altera causa erat aetatis, si quis minor annorum viginti quinque esset, de qua diximus in comment. I p. 120, tertia, ne IIvir fieret, qui proximo quinquennio eum honorem gessisset, quae cum item vetus lex fuisset, saepe multisque in urbibus neglecta est (Comment. I p. 68 et 136), sed hac in tabula accurate cavetur. Ad quartam denique causam pertinent, quae extremo loco sunt: *quive in earum qua causa erit, propter quam si C. R. esset, in numero decurionum conscriptorumve eum esse non liceret.* Haec merito referuntur ad legem Iuliam municipalem, quae appellatur, vel potius ad edictum illud, quod dictator Caesar cum praefectus morum esset, de civitatum Italicarum curiis edixit (Comment. I p. 82), quod extat in tabulis Heracleensibus. Eo cavetur, ne qui iudicio infami condemnatus sit quive eum quaestum, ex quo aut infamia contrahatur aut in odia hominum incurratur, exerceat, in curiis eorum oppidorum sit, quae civitatem Romanam habeant. Nam cum in reliquis edicti capitibus Italiae nomen apponatur, unde quod praecipitur, ad hanc solam pertinere discamus, in hoc, quo de decurionibus agitur, municipia, coloniae, praefecturae, fora, conciliabula C. R. nulla Italiae mentione adiecta appellantur. Quod si quis casu factum esse putabit, nihil erit quod amplius disputetur; nos quidem cum in eo consilium quoddam legis cognoscamus, sic statuimus, omnibus omnino civium rebus publicis, quae et in Italia et in provinciis essent, illud de decurionibus esse praescriptum. Servatumque est quod Caesar edixerat, ab imperatoribus, qui si qua condebant civium oppida, ea hoc legis Iuliae capite tenebantur, sin Latina erant, idem tamen in legem municipalem recipi par erat. Quare si Malaca solos cives Romanos habu-

isset, nihil omnino tale caveri opus erat, si Latinorum tantum civium fuisset, potuit sane ita scribi, ut scriptum est, ut quae causae cives Romanos ab curia prohiberent, eae ad Latinos transferrentur; sed si partim cives Romani partim Latini essent, nonne item recte scribebatur, ne cuius ratio haberetur, qui in earum qua causa esset, propter quam si civis Romanus esset, in numero decurionum conscriptorumve eum esse non liceret? Efficitur hinc, cum cives Romanos utique Malacae fuisse constet, ut nihil hinc colligatur nisi quod ipsa ratio ostendit, in Latinis oppidis fuisse partim cives Romanos partim Latinos, utrum maior pars civium, minor Latinorum an contra fuerit, intelligi nullo modo possit.

Sed redeundum est ad aeris Salpensani, cuius unum locum supra exposuimus, caput ultimum, quod est de tutorum datione, quod si quis totum explicet longam requirat disputationem. In eo enim insigne exhibetur exemplum, quo confirmatur, quod Ulpianus docet in Dig. XXVI, 5 (de tutor.) 3, suo tempore licuisse omnibus magistratibus municipalibus tutores dare, cum postea eorum potestas imminuta esse videatur (Inst. I, 20 de Atil. tut. 4). Omnes municipes municipii Salpensani tutores petere iubentur a IIviris et decurionibus ac ne illud quidem cavetur, quod Paulus Dig. XXVI, 5, 24 ait a IIviris municipes sui tantum municipii posse dari. Quamquam hoc etsi non scribitur, intelligendum tamen esse puto. Quomodo enim IIvirum aut decurionum, qui sui municipii finibus coercentur, ulla sit in alios municipes potestas? Sed ut haec praetermittamus, extrema in hoc capite sunt haec: *Qui tutor h(ac) l(ege) datus erit, is ei cui datus erit, quo ne ab iusto tutore tutela (a)beat, tam iustus tutor esto quam si is C. R. et adgnatus proximus C. R. tutor esset.* Hinc iustum tutorem, quod nomen non memini me apud alios iuris Romani auctores invenisse, cum existimatum esse discimus, si cui civi Romano agnatus proximus civis Romanus tutor esset, cui iure aequatur, qui ex hac lege municipibus Salpensanis, sive cives sunt sive Latinae condicionis (neque enim hoc discernitur) a municipibus Salpensanis vel decreto decurionum tutor datur. Quare cum duo sint in iusto tutore, ut et cui datur, sit civis Romanus et tutor

ipse agnatus proximus civisque Romanus, si municipes Salpensani omnes civitatem haberent, apparet prius debuisse omitti, quippe quod esset supervacaneum; si fuissent omnes iuris Latini, optime sane dicebatur. Sed cum duo utique hominum genera in municipio fuisse intellexerimus, num quod ad alteram tantum partem pertineret, minus recte dicebatur? Aut quae hinc deducitur significatio, ut aut Latinorum aut civium Romanorum maiorem partem fuisse intelligamus?

Atque haec quidem sunt de iure ipsorum municipum; reliqui sunt duo loci de decurionibus et de incolis, qui quid de universi municipii iure doceant, videndum est. Nam aeris Salpensani cap. XXV de praefecto scribitur, qui a IIviro loco suo relinquitur, in quo duae res caventur, primum ne minor sit quam annorum XXXV, deinde ut ex decurionibus conscriptisque eligatur. De iure autem eius haec leguntur: *Ei qui ita praefectus relictus erit, donec in id municipium alteruter ex IIviris adierit, in omnibus rebus id ius e(a)que potestas esto praeterquam de praefecto relinquendo et de c(ivitate) R(omana) consequenda, quod ius quaeque potestas h(ac) l(ege) IIvir(is qui) iure dicundo praeerunt datur.* Civitatem igitur Romanam, quam reliqui magistratus Salpensani si ante non habuerunt, honore gerendo accipiunt, soli illi praefecti pro IIviris non consequuntur: qua in re certissimum testimonium est, cum praefecti ex decurionibus fiant, partem decurionum civitate Romana caruisse. Erant igitur decurionum duo genera, prius eorum, qui honores gesserant, qui sive origine cives Romani erant, sive non erant, civitate tamen Romana uterentur, alterum eorum, qui honores non gesserant, qui pedarii appellantur (Comment. epigraph. I p. 130); ex his alii origine cives Romani erant, alii carebant civitate, quos Latini iuris fuisse sane probabile est. Quot autem fuerint cives, quot non fuerint, definiri nequit. Tum de incolis aperta est in aere Malacitano significatio; nam cap. LIII qui comitia magistratibus creandis habet, iubetur ex curiis ducere *unam, in qua incolae qui cives R(omani) Latinive cives erunt, suffragi(um) ferant*, quibus in ea curia suffragii latio sit: ex quibus verbis elucet, quae confusio in reliquis reipublicae Malacitanae partibus sit, eandem in incolis reperiri.

Mixta igitur omnino est ratio municipiorum et Malacitani et Salpensani, duoque hominum genera sunt in ipsis decurionibus, duo in municipibus, duo in incolis: quomodo autem mixta sit, nulla ex re potest intelligi fallaturque magnopere, qui aut cives Romanos aut Latinos plures in iis fuisse ex ullo horum monumentorum loco velit colligere. Iam in Latina civitate, in qua et qui honores gesserant civitatem Romanam consequebantur et ab initio fere complures familiae civitate Romana ornatae admisceri solebant, consuetam prorsus fuisse hanc duorum generum mixtionem supra expositum est neque cum ipsis monumentis pugnabit, qui cum omnia municipia esse potuisse tum Malacam Salpensamque fuisse Latini iuris statuet. Sed pugnabit cum omni antiquitate Romana et dum harum tabularum testimonia non violat, praestantissimorum scriptorum auctoritates evertet. Quodsi nos illam civitatis Romanae et Latinitatis confusionem etiam in iis, quae civitate Romana ornatae erant rebus publicis, quas proprie municipia appellari adhuc credidimus, reperiri docuerimus, conservata Hispanicarum tabularum auctoritate ne reliqua quidem testimonia laedemus sublataque omni dissensione ipsam illam veterem de municipiorum iure sententiam praeclare confirmabimus.

Ut autem ab incolis proficiscamur, eos constat appellatos esse incolas, qui in qua republica commorarentur, eius non essent cives. Hoc aperte indicat Gaius in Dig. L, 1 (ad municipalem) 29: *Incola et his magistratibus parere debet, apud quos incola est, et illis, apud quos civis est, nec tantum municipali iurisdictioni in utroque municipio subiectus est, verum etiam omnibus publicis muneribus fungi debet*, similiterque est in Iust. Cod. X, 39 (de incolis) 7: *Cives quidem origo, manumissio, allectio vel adoptio, incolas vero (sicut et divus Hadrianus edicto suo manifestissime declaravit) domicilium facit.* Quare si cuius oppidi ager latius patet ac praeter oppidum ipsum fora, conciliabula, vicos complectitur, qui ea incolunt, dummodo eandem habeant originem, non incolae eius oppidi sunt, sed cives idque testatur Ulpianus Dig. L, 1, 30: *qui ex vico ortus est, eam patriam intelligitur habere, cui reipublicae vicus ille respondet.* Efficitur, ut, qui Malacae mercaturae, quam in eo

oppido amplam ac copiosam fuisse scimus, faciendae causa commorarentur, si non essent oriundi ex agro Malacitano, fuerint incolae. Quorum qui cives Romani aut Latini erant, iis hac lege hoc ius datur, ut unam curiam, in qua de magistratibus creandis suffragia ferant, accipiant: reliqui mercatores, qui peregrinae condicionis erant, si qui ex Hispania vel Africa vel Gallia advenerant, hoc iure carebant. Duo hic quaeruntur, primum utrum commune id fuerit municipiorum an proprium Malacitanae civitatis. Equidem etsi nihil certi affirmari posse video, hoc tamen potius credo propterea quod, si omnino illud cum civitate aut Latinitate coniunctum fuisset, ut ea qui uterentur, in omnibus municipiis ad suffragia ferenda admitterentur, nec proprie hac lege sanciri opus fuisset et ad dissolvendas respublicas pertinuisset. Itaque in lege municipali Salpensana dubitandum est num idem fuerit scriptum; at in eo oppido, quod mercatura alienorumque hominum commercio imprimis florebat, si qui divitiores erant incolae (atque ii fere aut cives Romani aut Latini erant), eos ad aliquam certe reipublicae regendae partem pervenire non absurdum erat, neque ab veri similitudine abhorret etiam antequam Malacitanis civitas data est, simile aliquid in eorum legibus fuisse. Veruntamen cum suffragia communicata sint cum incolis, num etiam ipsi honores Malacitanorum communicati sunt? Nihil enim in ipsa lege superest, cuius generis ingenuorum hominum comitiis ratio habenda sit. Iam scio equidem, saepe in pluribus civitatibus eosdem homines honoribus functos esse exemplaque eiusmodi attuli in comment. I p. 136, sed magnam tamen cautionem adhibendam esse intellexi, ne quod aliquando in aliqua civitate et aliquo homine factum est, id semper et ubique et in omnibus licuisse existimemus. Etenim et alia erat apud alios lex et ipsorum hominum quoddam discrimen, siquidem qui senatoriam in urbe Roma adipiscuntur dignitatem, munerum in patria sua fungendorum necessitate solvuntur (Hermogen. in Dig. L, 1, 23). Plurimarum autem civitatum haec videtur fuisse condicio, ut nisi cum quibus vel vicinitatis vel affinitatis vinculis tenerentur, alienis hominibus honores mandari non liceret; nam munerum quidem incolas

non expertes fuisse Gaius, cuius verba supra citavimus, dicit. Sic igitur de Malacitanorum Salpensarumque incolis statuemus, eos, quamvis suffragia de magistratibus ferrent, ad honores ipsos non esse admissos. Quorum cum haec, quam exposuimus, fuerit ratio, numquid habet, quod municipes aut civitate Romana aut Latinitate usos esse doceat? Si hac uterentur, quoniam incolis partem aliquam reipublicae tradi semel placuerat, aequum erat non iis modo tradi, qui pari, sed iis etiam qui meliore iure essent i. e. civitatem Romanam haberent. Sin civitatem municipiis tribuemus, cur incolae qui cives Romani essent ad suffragium admissi sint, apparet, de Latinis possit dubitari, sed quoniam sic partem ipsorum municipum Latino tantum iure fuisse statuendum erit, incolas eodem quo illa inferior pars municipum erat iure praeditos non contemni oportebat.

Redit igitur omnis nostrae quaestionis difficultas huc, ut de municipibus disputemus, quorum Salpensae et Malacae duo genera fuisse cognovimus, unum civium Romanorum, alterum Latinorum. Hanc rationem cum ea opinione, qua municipia Latini iuris esse potuisse Salpensamque et Malacam fuisse statuunt, supra demonstravimus optime convenire: num cum civitate Romana eorum conveniat, dubium esse posse videatur. Sint enim fortasse viri docti, qui municipia ita definiant, ut neminem in iis esse putent nisi qui civis Romanus sit. Qui non solum his tabulis, in quibus Latini inter municipes commemorentur, refellantur, sed etiam coloniarum ratione, quae a nobis in comment. epigr. I p. 470 satis exposita est. Nihil enim magnopere inter municipia et inter colonias intererat, praeter nominis inanem quandam speciem, qua coloniae antecedere videbantur, et originem, qua coloniae ex urbe Roma propagatae, municipia aliunde ascita erant: quare si in illis, quas civitate Romana usas esse omnes concedunt, non unum erat genus hominum, sed plura iure diversa, quid est, quod in municipiis, quamvis civitatem haberent, unum hominum genus esse oportuisse dicamus? Non loquimur de illis coloniarum partibus, cum diversis temporibus in idem oppidum coloni deducti sunt, unde hominum genera existebant, quae

cum loci atque etiam saepe universae reipublicae societate coniungerentur, ita tamen videntur diversa fuisse, ut suam quaeque pars quasi interiorem quandam rempublicam efficeret, de quo coloniarum genere diximus l. l. p. 466 sq. Sed accedebat ad haec etiam iuris diversitas. Velut in Tergestinam coloniam contributae erant Inalpinae quaedam gentes, quae certe civitate Romana carebant, quibus ab imperatore demum Antonino Pio datum est, ut aedilitate in colonia gerenda et in curiam allegerentur et civitatem Romanam assequerentur. Hi incolae Tergestini non erant; perpetuo enim ibi commorabantur eamque originem ac sedem habebant; prospici igitur iis debebat lege municipali, qua Tergestinorum respublica constituebatur, et cum carebant prorsus civitate Romana et cum Latinitate impetrata (hanc enim iis ab Antonino Pio datam esse puto) in communionem civitatis admissi erant. Quare si in lege Tergestina sic scriptum inveniremus, si quis qui Latinus esset, servum apud IIviros manumisisset, is servus Latinus esset, vel similiter de aliis rebus, num recte hinc colligeremus, fuisse Antonino imperante colonias, quae Latinitate uterentur? Nec dispar fuit in Gallia Narbonensi Nemausensium ratio, in quorum rempublicam viginti quattuor oppida ignobiliora, post etiam gentes quasdam Inalpinas contributa fuisse scimus. Ipsi ante Hadrianum Latinitatem, tum civitatem Romanam habebant, quo eodem tempore universae Galliae Narbonensi ius Latii datum esse probabile est: quo facto iam Nemausensium pars civitate Romana, pars Latinitate utebatur, legeque eorum municipali et civibus Romanis et Latinis consuli oportebat, unde si quis de ipsorum colonorum civitate secus statueret, a vero longe aberraret. Atque etiam in ipsa Hispania Baetica simillimi iuris fuit colonia Romulensis Hispalis, de qua diximus in comment. I p. 310, cuius diu fuerunt partes duae, una civitate Romana, altera Latii iure praedita, quarum una videtur fuisse respublica, unus decurionum ordo, uni magistratus. Haec pauca quaedam attulimus exempla ex magna copia, quam olim in commentationibus nostris loco, qui citatus est, collegimus atque explicavimus. Secundum quae quis potest dubitare, quin, si quo in municipio Latini

municipes commemorentur, non efficiatur, nec fuisse quaedam municipia Latinitate tantum praedita nec in ipso illo nullum fuisse quasi corpus quod ab initio statim civitate Romana uteretur? Quamquam uno in genere paulo deterior est coloniarum ratio. Quoniam enim coloni dicuntur, qui vel deducti vel ad eos, qui deducebantur, ascripti sunt, quomodo qui in coloniae rempublicam contributi erant, appellarentur? Certe non coloni, sed poterant municipes vel similiter, atque hinc quoque accidit, quod in comment. I p. 476 tetigimus, ut cum ipsa colonia nunquam municipii nomen haberet, qui tamen in ea essent, necessario saepe municipes appellarentur. At municipiorum id est nomen, ut nihil obstet, quominus quicunque eorum reipublicae participes sunt, municipes dicantur.

Veruntamen quod in coloniis intelleximus, idem in municipiis potest demonstrari et in iis municipiis, quae civitatem Romanam habuisse constet. Nam in Italia superiore sive in Gallia Cisalpina non modo coloniae multae cum republica sua coniunctas habebant gentes Inalpinas, sed etiam municipia. Commemorat Plin. nat. hist. III, 20, 134 *Latini iuris Euganeas gentes — ex iis Triumpilinos, venalem cum agris suis populum, deïn Camunos compluresque similes finitimis attributos municipiis.* Idem §. 138 Cottianas civitates XII attributas esse ait municipiis lege Pompeia, quas paulo ante Latio praeditas esse dixerat. En id, quod quaerimus: municipia quae quin civitatem habuerint, non est dubium (nam nullum tunc in Italia erat oppidum nisi civium Romanorum), coniunctas cum republica sua habent civitates Latinitate praeditas, duoque in iis municipiis sunt hominum genera, civium Romanorum et Latinorum, quibus lege municipali aequaliter cavendum est. Hoc iure Veronam fuisse, quam Traiani demum aetate coloniae ius accepisse probabile est (Comment. I p. 403), eamque ob causam Raetorum et Euganeorum oppidum apud Plin. III, 130 appellari arbitror, hoc eodem alia non pauca Galliae Cisalpinae municipia usa esse iudico. Sed quod in Italia primum extitit, idem deinde ad provincias translatum est. Velut in Africa nobile imprimis oppidum fuit Utica, quod cum a Punicorum bellorum tempore de Romano imperio bene meruisset, praemii loco

donatum est agro, qui inter Carthaginem et Hipponem erat (App. Punic. c. 135): in quo qúi habitabant, non existimo ab Caesare Augusto, cum civitatem Romanam Uticensibus daret (Dio Cass. XLIX, 16), item factos esse cives Romanos. Nam etiamsi de dictatore Caesare bellum cum Iuba gerente bene meruisset, non tantum recentibus Uticensium beneficiis, sed etiam veteri in populum Romanam fidei civitatis praemium datum est: movebat etiam Augustum, ut civitatem Romanam ipsis Uticensibus tribueret, quod hi iam antea liberi fuerant (Rudorf. de leg. agr. Thoria in Annal. Iurisprud. hist. X, 1 p. 101); quibus qui attributi sunt, quia Romanorum arma non adiuverant, nullo praecipuo iure utebantur. Quae cum ita fuisse videantur, Utica non modo *civium Romanorum* appellatur a Plinio nat. hist. V, 3, 24, sed etiam *municipium* a Gellio XVI, 13, antequam quidem ab Hadriano coloniae ius impetravit (Comment. I p. 421). Nonne igitur duplex hominum genus in municipio erat? quorum uni civitate Romana utebantur, alteri ea carebant, quos paulatim cum populis vicinis Latinitate donatos esse arbitror. Sed constitit haec in eodem municipio iuris diversitas etiam postea. Nam Uticenses, postquam ab Hadriano, ut dixi, coloniae dignitatem acceperunt, ab Septimio Severo ius Italicum consecuti sunt (Comment. l. l. p. 490), in quo maxima omnium rerum immunitas inerat, quam quis putabit non veteribus tantum incolis, qui deinceps libertatem, civitatem Romanam, coloniae nomen acceperant, verum etiam illis agri Uticensis aratoribus, qui poenae causa attributi erant, esse concessam? Mansit igitur quoddam hominum discrimen Uticae etiam postquam ab Caracallo omnibus ingenuis civitas ipsa Romana data est, similiterque alias iuris Italici colonias institutas fuisse novimus. Similis autem in ipsa Hispania Tarraconensi Sagunti erat condicio, quod et civitate Romana usum esse constat (Plin. nat. hist. III, 20) et saepe appellari municipium. In eius enim potestate ab bello Punico secundo eae Turdetanorum erant gentes, a quibus Hannibalis bellum ortum erat, legatosque Saguntinorum senatui Romano gratias egisse narrat Liv. XXVIII, 29, quod ex hostium olim suorum agro vectigal caperent. Iam nescimus nos quidem, quis ille

ager fuerit et quo iure cum Saguntinorum republica coniunctus, sed hoc nemo, opinor, credet, quos victos poenae causa Romani Saguntinis subiecerant, eos ad beneficia, quae fidelibus sociis tribuebantur, ac postremo ad ipsam civitatem Romanam esse admissos. Qui tamen Turdetani cum Vespasianus universae Hispaniae ius Latii tribuisset, non minus quam reliqui, ad societatem aliquam reipublicae Saguntinae pervenerunt; ager enim ipse etiam postea stipendium penderet, homines quidem iam eo iure erant, ut honoribus municipalibus gerendis civitatem Rom. sedemque inter decuriones consequerentur. Hoc cum ita esset Sagunti, nonne in Hispania Baetica Malacae et Salpensae, quamvis et civitate Romana uterentur et municipia rite appellarentur, ita potuit instituta esse respublica, ut eius non modo cives Romani, sed etiam Latini iuris homines essent participes? Etenim quod in tribus municipiis persecuti sumus, id potest in multis cogitari, omninoque sic censeo, praeter Italiam quidem, in qua qui habitabant, prope omnes lege Iulia civitatem Romanam acceperant, pauca fuisse per provincias municipia, in quibus unum civium Romanorum genus inveniretur: in plurimis vel peregrinae condicionis homines vel Latini ita admiscebantur, ut omnes una municipii republica continerentur, idque si plurium leges extarent, non coniicere tantum ex quorundam similitudine, sed certissimis testimoniis persequi liceret. Neque enim ille erat imperii Romani mos, qui placeat nunc fortasse multis, ut subita mutatione ex una norma omnes reipublicae partes constituerent: antiquitatem maxime sequebantur, vetera, quantum fieri poterat, retinebant, si qua vitiosa erant, emendabant, omnia deinque in eam formam redegerunt, ut in summa imperii coniunctione tanta existeret iuris diversitas, quantam paucis vestigiis expressam indagare possumus.

At, inquiat aliquis, si municipia non habent hoc, ut omnes municipes cives Romani sint, quid tandem habent? Quid est illud, quo reliquis provinciarum oppidis antecellant? Nam etiam Latina oppida necessario intelleximus non uno hominum genere contineri, sed certe duobus. Quid igitur est proprium municipii? quando municipium appellatur? Nimirum municipium existit, cum genus aliquod hominum (atque hoc ipso

vocabulo Festus s. v. utitur in definitione municipii), quod suam rempublicam habebat, universum civitate Romana donatur. Ad hoc deinde alia hominum genera possunt accedere civitate carentia, quae cum priore illo in certam aliquam reipublicae communionem veniunt, ut vel regantur tantum illinc vel ipsa aliquam civitatis partem sustineant. Contra in Latinis oppidis quod genus hominum rempublicam condit, Latii ius habet: cui vel ab ipsa origine principes quidam civitate Romana ornati inseruntur, vel certe paulatim honoribus gerendis quasi innascuntur, eoque plures, quo plures ex plebeiis hominibus ad magistratus admittuntur. Ita fit, ut qui oppida Latina et civitate Romana praedita intueatur non nascentia, sed tamquam adulta atque aucta, ea vix possit discernere. Etenim et illa, dum civitas propagatur, et haec dum Latini asciscuntur, duo hominum genera habent, quorum utrum sit origine superius, nisi ex nomine, cognosci non potest. Etenim ne illud quidem satis videtur esse certum, quod fortasse aliquis existimet, ubi cives Romani numero superiores fuerint, ibi municipium, ubi Latini, ibi civitatem Latinam fuisse. Quid enim? In Latina quidem civitate facile credo plerumque Latinorum numerum fuisse maiorem, propterea quod plebeii homines raro ad honores admittebantur nec multo saepius, opinor, quam Romae in vetere republica novi homines honorum imagines nobilitatemque consecuti sunt: at municipiorum reipublicae, imprimis magnorum atque antiquitus nobilium, nonne fieri poterat, ut multae gentes oppidulaque attribuerentur? Quorum omnis multitudo quoniam carebat civitate Romana, vincere poterant numero Latini. Quare, etiamsi Malacae Salpensaeque maiorem partem hominum Latinitate tantum praeditam fuisse ex his tabulis intelligeremus, id quod nullo modo intelligimus, nequaquam tamen efficeretur, fuisse ea Latina oppida. Velut Nemausensibus, de quibus supra dictum est, cum ab Hadriano civitatem Romanam coloniaeque ius impetrarent, non adempta esse puto viginti quattuor oppida, quae Augustus contribuerat, nec gentes Inalpinas, quas Galba iis subiecerat: quae iactura si facienda esset, civitas ipsa Romana vix pro praemio haberi poterat: sed illa vetera oppida, quae eodem tempore Latinitate donata esse pro-

babile est, si retinuerunt, iam haec extitit ratio, ut civium Romanorum numerus, qui Nemausensis oppidi finibus continebatur, a Latinis hominibus in coloniae rempublicam contributis longe vinceretur. Eadem autem ratio cur non in multis municipiis et potuisse accidere et accidisse videatur?

Haec postquam de municipum generibus disputata sunt, redeundum est ad incolas, quorum cum duo item genera essent, civium Romanorum et Latinorum, utrumque ad suffragii ius admissum esse supra diximus, ad honores non videri esse admissum. Cui rei etiam hoc argumento est, quod in una curia, quae sorte ante comitia habenda ducitur, suffragium ferre incolae iubentur, non per omnes aequaliter dispersi sunt, ut nec praetereantur omnino et caveatur, ne nimium in aliena republica possint. Sed mihi quidem hoc loco in mentem venit gravissimae quaestionis, quae ad maximam reipublicae partem pertinet, de qua cum olim ab doctissimis viris diverse iudicatum sit, iam non amplius dubitari posse videatur. Etenim si in municipiis civium Romanorum per provincias sitis incolas Latinos de honoribus municipalibus licebat suffragium ferre (nam quamvis non licuerit in omnibus, qua de re nunc non disputo, tamen et Malacae licuisse constat et in uno id valuisse satis est), quid putamus Romae et in vetere republica iuris fuisse? Unde sumpserunt illud municipia, nisi in Romana republica invenissent? An Latinos si qui Romae essent incolae i. e. non domicilium ibi suum constituissent, sed negotiorum causa versarentur, ad suffragium ferendum admissos esse existimabimus? Quare minus recte videntur fecisse, qui, ne nimis ius Latii amplificarent Latinorumque aliquod cum civibus Romanis, quod ipsi sibi fingebant animo, non in ullo scriptore aut monumento inveniebant, discrimen diligenter conservarent, negabant fieri potuisse, ut Latinis Romae ius suffragii concederetur. Quod si illi ita statuissent, ut, cum neutram in partem veteres auctores traderent, sibi ita videri dicerent, nihil sane esset, quod moleste ferremus (quis enim in divinando non aberret nonnunquam ab eo, quod verum est?), nunc, quae extant, certissima testimonia aut de industria corrupta aut immerito spreta esse iure quodam nostro queramur. Nam apud

Livium XXV, 3, ubi iudicium M. Postumii Pyrgensis apud plebem ab duobus tribunis plebis accusati exponitur, haec sunt: *Spes una videbatur esse, si C. Servilius Casca tribunus plebis — priusquam ad suffragium tribus vocarentur, intercessisset. Testibus datis tribuni populum submoverunt sitellaque lata est, ut sortirentur ubi Latini suffragium ferrent* Ita non modo optimus omnium codex Puteanus habet, nisi quod non *sitellam*, sed aperto errore *site illam* appellat, verum etiam reliqui, ut nulla prorsus lectionis discrepantia notetur. Sed displicuerunt tamen Latini I. Fr. Gronovio, viro longe omnium doctissimo, (in epistola ad Nic. Heinsium in Burmann. Syllog. epist. III p. 265) qui cum neque ante suffragii lationem aliam ullam sortitionem fieri putaret nisi praerogativae neque Latinos iam tempore belli Punici civitate ac suffragii iure (haec enim uno iure contineri existimabat) donatos esse crederet, sic coniecit *sitellaque allata est, ut (vel ubi) sortirentur tribus ac dein suffragium ferrent.* Cuius auctoritas etsi non sine magna quadam dubitatione erat, vehementer movit et Livii editores, quorum nemo fere codices sequendos esse putavit, et plurimos viros doctos, qui Latinitatis iura exponerent, ex quibus Huschkius de republ. Serv. Tull. p. 649 et Weissenborn. in programmate gymnas. Isenacensis anni 1833 similiter prorsus emendandum esse censuerunt. Nunc certe conservandum esse videbitur, quod in omnibus codicibus est *ut sortirentur ubi Latini suffragium ferrent*, nec tamen probanda eorum, qui et de Latinorum suffragio credebant et Livius an recte scripsisset dubitabant, opinio, qui hinc de suffragio Latinis ubique et omnibus dato colligebant, velut Niebuhr. hist. Rom. II p. 86 et III 620. Etenim non de omnibus Latinis Livius dicit, sed de iis qui Romae incolae erant, i. e. qui cum ex aliis oppidis oriundi essent, eo domicilium suum contulerant: his, ut Malacae una curia, ita Romae una tribus, in qua suffragium ferrent, patebat, quae antequam plebes ad suffragium vocaretur, ab iis, qui comitiis praeerant, sorte ducenda erat. Hoc igitur primum faciendum erat tribunis plebis, qui in M. Postumii iudicio praeerant, ideoque ut id quod ipsam suffragii lationem antecedebat factum esse significaret, a Livio narratum est.

Poterat certe etiam praerogativae sortitionem commemorare, sed illud tempore etiam prius erat. Veruntamen incolis Latinis si Romae licebat in una tribu, quae sorte ducta esset, suffragium ferre, quidni licuerit etiam reliquis Latinis, qui si in suis oppidis remanerent, carerent eo iure, sin in urbem venissent, uterentur? Hoc et ex incolarum Malacitanorum iure et ex loco Liviano, qui explicatus est, consequitur, nec tamen ex aliis scriptorum testimoniis, nisi ea immerito spernerentur, cognosci non potuit. Etenim de C. Gracchi actionibus sic refert Appian. bell. civ. I, 23: καὶ τοὺς Λατίνους ἐπὶ πάντα ἐκάλει τὰ Ῥωμαίων, ὡς οὐκ εὐπρεπῶς συγγενέσι τῆς βουλῆς ἀντιστῆναι δυναμένης· τῶν τε ἑτέρων συμμάχων, οἷς οὐκ ἐξῆν ψῆφον ἐν ταῖς Ῥωμαίων χειροτονίαις φέρειν, ἐδίδου φέρειν ἀπὸ τοῦδε, ἐπὶ τῷ ἔχειν καὶ τούςδε ἐν ταῖς χειροτονίαις τῶν νόμων αὐτῷ συντελοῦντας. Sint sane in his imperfecta ἐκάλει et ἐδίδου, quae ab iis, qui Latinis suffragii ius fuisse negant, arguuntur: ea enim significant rogationes Gracchi non esse perlatas: sed cum Appianus Latinos ad omnia civium Romanorum ait iura vocatos esse, nonne indicat aliqua iam ante eos habuisse? et cum aliis praeter Latinos sociis dicit non licuisse suffragium in Romanorum comitiis ferre, nonne rursus apparet Latinis quidem suffragii lationem fuisse? Haec tam perspicua, tam aperta, tam clara, ut Appianum de Latinorum iure suffragii tradere nunquam debuerit negari. Nimirum fugit viros doctos, non unam esse suffragii ferendi rationem aliamque esse civium Romanorum, aliam Latinorum: illi suam quisque tribum habent, in quam comitiis inseruntur, hi, ubi Romae consederunt, unam sorte accipiunt, cui accenseantur. Quod si ita est (nec quin ita fuerit, amplius dubitari posse existimo), nonne recte Gracchus narratur hanc legem promulgasse, ut et Latinis non in una, sed per omnes tribus suffragii ius esset (nam de aliis, quae item promulgabat, nunc non disputatur) et reliquis sociis, qui ad id tempus omni suffragii iure caruerant, illud certe, quod Latini antea habuerant, concederetur? Quid iam adversatur Latinorum iuri, quod Appianus addit, cum comitia de lege Sempronia instarent, consules edixisse: Μηδένα τῶν οὐ φερόντων ψῆφον ἐπιδημεῖν τῇ πόλει μηδὲ προςπελάζειν ἀπὸ

τεσσαράκοντα σταδίων παρὰ τὴν ἐσομένην περὶ τῶνδε τῶν νόμων χειροτονίαν, quod tamquam argumentum aliquod affertur ab Ioach. Marquardt. Antiq. Rom. II, 3 p. 50? Nimirum Latini ceterique socii quasi quod ferebatur iam perlatum esset, confluebant in urbem, ut non in una illa quae Latinis iure patebat, sed in reliquis quoque tribubus suffragium ferrent, perturbabant ordinem comitiorum, ne ab illo quidem abhorrebant, quin vi ac multitudine adversarios deterrerent. Tum consules edixerunt, ne, quibus non liceret comitiis interesse, ad urbem appropinquarent: quo edicto non incolas urbis Latinos, sed reliquos, qui disturbandorum suffragiorum causa venerant, arcebant. Conveniunt autem cum his prorsus, quae Plutarchus de C. Gracchi actionibus tradit; nam primum c. 8 commemoratur eius νόμος συμμαχικὸς ἰσοψήφους ποιῶν τοῖς πολίταις τοὺς Ἰταλιώτας, tum c. 9 est: ὁ μὲν (Gracchus) τοῖς Λατίνοις ἰσοψηφίαν διδοὺς ἐλύπει, denique c. 12, ubi comitia narrantur, ὄχλου δὲ πανταχόθεν αὐτῷ συνιόντος, ἔπεισεν ἡ βουλὴ τὸν ὕπατον Φάννιον ἐκβαλεῖν τοὺς ἄλλους πλὴν Ῥωμαίων ἅπαντας, quo loco Romani non debent intelligi cives Romani, sed omnes qui Romae habitabant, sive cives Romani sive Latini sive denique peregrini erant, quos comitiis prohiberi iustum erat, ex urbe expelli iniquissimum. Ac ne quis, quod Latinorum ius de suffragiis ferendis C. Gracchi tempore fuisse docuimus, aut quod consules ad comitiorum ordinem conservandum edixisse narrantur, recens repertum esse existimet, vetustissimum utrumque fuisse ostendit Dionys. Antiq. VIII, 72, qui de Sp. Cassii lege agraria sic referet: ἐπραγματεύετο βίᾳ καὶ χειροκρασίᾳ κυρῶσαι τὸν νόμον, καὶ μετεπέμπετο Λατίνων τε καὶ Ἑρνίκων ὅσους ἐδύνατο πλείστους ἐπὶ τὴν ψηφοφορίαν· οἱ δὲ συνήεσαν ἀθρόοι καὶ δι' ὀλίγου μεστὴ ξένων ἦν ἡ πόλις. ταῦτα μαθὼν Οὐεργίνιος (alter consul) κηρύττειν ἐκέλευσε κατὰ τοὺς στενωποὺς ἀπιέναι τοὺς μὴ κατοικοῦντας ἐν τῇ πόλει χρόνον ὁρίσας οὐ πολύν. Nonne enim illud ipsum, quod quaerimus, ait Dionysius, ad suffragium ferendum Latinos et Hernicos Romam accitos esse? Habebant igitur iam tum illud ius, sed ita ut Romam commigrarent ibique domicilium suum collocarent; quare Verginius omnes, qui non habitarent Romae, ex urbe secedere iussit.

Mihi quidem cum haec considero discordiarumque civilium, quae ex legum fere aliqua quasi lacuna, in qua interpretanda utrique verum videre sibi videantur, existunt, occasiones recordor, sic potissimum videri solet, in lege fuisse de Latinis in una tribu, quae sorte ducta esset, ad suffragium admittendis: hinc nec si qui undique Latini comitiorum tempore Romam commigrabant, legem violabant, et consules, qui externos homines urbe expellerent, conservata lege publicae securitati prospiciebant. Quamquam hoc quidem incertum est atque in sua cuiusque opinione relinquitur; illud autem iam statuendum erit, Latinis incolis eam, quam diximus, suffragii Romanis comitiis ferendi potestatem fuisse. At enim saepe Latini ex urbe in sua oppida repulsi sunt, non tantum, cum comitia, quae turbari nollent, instarent. Nimirum duas res sequebantur Romani inter se connexas, quae non antiquis modo temporibus acciderunt, sed hodie etiam non minus principum ingenia exercent quam olim senatus Romani. Primum enim deseri nolebant oppida Latinorum, quae cum alia onera ferrent, tum ad bella certum militum numerum praebebant. Deinde confluentibus tot undique hominibus nimis crescere putabant urbis Romae magnitudinem eamque copia inopum atque inutilium civium onerari. Hae causae edictorum legumque, quibus Latini remissi sunt, extiterunt, nominanturque haud obscure, velut a Livio XXXIX, 3. Cf. etiam XLI, 8 et XLII, 10. Atque ipsam etiam illam legem Liciniam et Muciam, quae maxima belli Marsici causa facta est, hanc praecipue vim habuisse, ut, unde quisque oriundus esset, eo redire cogeretur, colligi licet ex iis quae Cic. Brut. c. 16 habet.

Sed veremur hercle, ne iam excedere huius disputationis fines videamur, qui, cum de municipii Malacitani iure dicere statuerimus, ad quaestionem longe maximam de civitate et Latinitate devenerimus: in qua si recte versari multiplicesque qui omnia prope nunc obtinent errores minuere velimus, et alte repetendum et multa omnino quaerenda, explicanda, emendanda sint. Nec tamen animum nostrum inducere potuimus, ut non et quantam utilitatem haec Malacitana inscriptio, si recte explicaretur, ad universam rempublicam Romanam intel-

ligendam haberet, paucis significaremus et locum maximum, in quo adhuc virorum doctissimorum industriam minus recte versatam esse putaremus, novis studiis commendaremus. Iam oratio nostra ad id quod coepimus, redibit; reliquum enim est, cum de duobus hominum generibus, quae in incolis et in municipibus fuerunt, dixerimus, ut etiam quod decurionum ipsorum alii cives Romani, alii Latini fuisse dicuntur, quale fuerit et quomodo cum municipii Malacitani civitate Romana conveniat, explicemus. Vidimus enim Malacae atque etiam Salpensae (nam discrimen ullum inter ea municipia fuisse nec invenimus nec probabile est) alio iure fuisse eos, qui urbis ipsius cives essent, alio eos, qui in vicis oppidisque municipio attributis habitarent: illi civitate Romana, hi Latinitate utebantur. Iam in Italicis municipiis, quorum omnes municipes cives Romani erant, scimus senatorium honorem ita fuisse divisum, ut, qui vici oppidaque essent contributa, ex iis decuriones in curias admitterentur. Non illa erat consuetudo, quam nos hodie in nostris rebus publicis habemus, ut pro numero municipum, qui in quaque municipii parte erant, decuriones legerentur, sed observabatur tamen, ne qua esset pars, quae suo decurione tamquam privatarum suarum rerum patrono ac defensore careret. Qua de re cum dixissemus olim in commentatione epigraphica de Lavinio et Laurentibus Lavinatibus p. 29, eandem rursus rem ex lege Iulia municipali, quae in tabulis Heracleensibus est, intelleximus, vide Comment. I p. 91. Quid igitur? In provinciarum municipiis an similem consuetudinem observatam esse putabimus? Malacae autem, quoniam qui in municipium attributi erant, Latinitate utebantur, eo minus decurionatu poterant excludi, quod ad ipsos honores admittebantur. Nec vero ea ratio erat, ut in curiam nisi honoribus gestis non perveniretur; quae si fuisset, nemo esse posset decurio, quin civitate Romana uteretur. Fuerit hoc in Tergestina colonia, ut Carnis Catalis non modo civitate, verum etiam Latinitate carentibus aedilitate gesta in curiam Tergestinam pervenire liceret: aliis municipiis qui attributi erant, dummodo saltem Latini iuris essent, etiam nullis honoribus ante perfuncti in decuriones videntur allegi potuisse. Etsi enim minus verum est, quod

Paulus in Dig. L, 2 (de decur.) 7 § 2 praecipit, eum, qui non sit decurio, duumviratu vel aliis honoribus fungi non posse, quia decurionum honoribus plebeii fungi prohibeantur, quod vel ad consuetudinem tantum, non ad necessitatem vel ad alia tempora pertinere docuimus in comment. I p. 135, plerumque tamen ita factum est, ut magistratus ex decurionibus crearentur: quare, cum decurionatus civitatem Romanam non afferret (nam ne eum quidem qui praefectus fuisset pro IIviro atque vicarium quasi magistratum administrasset, civitatis Romanae praemio affectum esse videmus), sequebatur, ut essent inter decuriones, qui Latino tantum iure uterentur. Ii inter eos erant, qui in albo Canusino *pedani* sive *pedarii* nominantur (Comment I p. 131), qui si honores gerebant, tum demum civitatem Romanam consequebantur.

Absolvimus priorem partem disputationis nostrae, qua duas res demonstravimus, primum imperatoris Domitiani aetate, qua hae tabulae Hispanicae scriptae sunt, a certissimis auctoribus civitatem Romanam tribui municipiis, deinde nihil esse in his legibus, quod Malacam et Salpensam Latinitate tantum usas esse ostendat rationique municipiorum ab reliquis traditae adversetur. Unde iure colligemus, Malacam et Salpensam, quippe quae municipia appellentur, civitate Romana fuisse praeditas nec satis recte facere, qui et haec municipia Latini iuris fuisse statuant et in antiquitatem Romanam hoc novum atque inauditum inferant, ut imperatorum aetate duo municipiorum genera iure inter se diversa fuisse existiment. Effectum igitur est, quod nobis proposueramus, sublatoque novo errore, qui ne magnas turbas excitaret verebamur, vetus doctissimorum virorum de municipiis defensa sententia. Superest altera pars, quae in subsidium quasi superioris comparatur, ut de Hispaniae et Malacae Salpensaeque iure quaeramus, qua si item invenerimus nihil effici nisi quod olim de municipiis traditum sit, speramus fore, ut et maximus antiquitatis Romanae locus certe constituatur et nobilissima monumenta ab temeritate novarum opinionum prohibeantur.

Proficiscemur autem ab aeris Salpensani cap. XXII, cuius verba sunt haec: *Qui quaeque ex h(ac) l(ege) exve edicto imp.*

Caesaris Aug. Vespasiani impve Titi Caesaris Aug. aut imp. Caesaris Aug. Domitiani p(atris) p(atriae) civitatem Roman(am) consecutus consecuta erit, is ea in eius, qui c(ivis) R(omanus) h(ac) l(ege) factus erit, potestate manu mancipio, cuius esse deberet, si civitate Romana mutatus, mutata non esset, esto, in quibus non recte video deleri ab editore Germanico, quod in aere est *Romana*; quamvis enim qui in civitatem Romanam receptus est, intelligatur, Latine tamen non modo quo dato aliud accipimus, sed etiam ipsum illud quod alia re data accipimus, mutari dicitur. Commemoratur autem hic primum *haec lex* i. e. ea, qua municipii Salpensani respublica constituta est. Ea Flavia existimatur cum ab Theod. Mommsenio p. 390, tum ab Ph. E. Huschkio, qui in libro, quem anno 1855 de Gaii institutionibus explicandis edidit, p. 14 quaedam etiam de his tabulis Hispanicis adiecit. Mihi quidem, etsi nomen legis ipsum certum est, num Flavia fuerit, videtur posse dubitari. Neque enim iis assentior, qui ab imperatoribus populi plebisque in legibus ferendis omnem potestatem sublatam atque extinctam esse opinantur. Nam cum comitia, quorum partem potiorem imperator Tiberius ad senatum transtulerat, tamen etiam postea apud populum ita conservata esse constet, ut qui candidati ab senatu electi ac nominati essent, ii deinde tribuum suffragiis confirmarentur, quis adeo contra consuetudinem suam putabit immemores antiquitatis fuisse Romanos, ut ne speciem quidem aliquam veterum legum ac plebiscitorum conservarent, praesertim cum tribuum ratio, qualis antiquitus fuerat, constaret comitiorumque causa etiam certae populi plebisque contiones convocarentur? Speciem igitur quandam servatam esse existimo, qua quod senatui placuerat, deinde tamquam a populo confirmaretur. Minus enim verum esse video, quod de iure civili, postquam Tiberius initio principatus sui comitia ad senatum transtulit, nullam legem latam esse existimant. Non commemorabo legem Iuniam Norbanam, quam ipse Mommsenius p. 391 citat (eam enim ultimam legem fuisse pauloque post populo legum potestatem ereptam esse putat), neque legem Viselliam anno 24 p. Chr. latam, sed postea etiam lata est lex Iunia Vellaea, de qua

Borghes. in Annal. Inst. arch. 1849 p. 45 disputavit, quae anno 27 p. Chr. ab L. Iunio Silano et C. Vellaeo Tutore cos. rogata est. Ipse etiam Tacitus Ann. IV, 16 narrat auctore Tiberio de flaminica Diali legem rite esse latam. Quodcum hoc tempore in exitu prope imperatoris Tiberii leges latae sint, quis quicquam aut paucis, qui Tiberio supererant, annis mutatum aut a Caligula populi potestatem imminutam esse putabit? quippe a quo constet etiam comitiorum veterem rationem, ut magistratus ab populo nominarentur, esse restitutam (Suet. Cal. 16). Itaque nihil novi invenit aut, quod ab decessoribus abolitum erat, ex antiquitate male repetivit Claudius, quo imperante compluria de iure civili legibus constituta sunt. Nam legem Claudiam nominant Gaius I, 157 et 171; Ulp. XI, 8; Tac. Ann. XI, 13, ac saepe veterum legum ferendarum rationem usurpatam esse docet Tac. XI, 14, qui *aes publicandis plebiscitis per fora ac templa fixum* commemorat. Neque sub Nerone aut intermissam aut mutatam esse existimamus veterem legum consuetudinem; nihil enim in ea, quam acceperat, republica novasse dicitur. Atque in aliis rebus mansisse legum veterum rationem scimus; nam ut Nero ipse lege rogata a Claudio adoptatus erat (Tac. Ann. XII, 26), item Galba, cum Pisonem Licinianum adoptaret, *legem curiatam* commemorat (Tac. Hist. I, 15) ac lege se adoptatum esse videtur ipse Piso significare, qui in contione apud milites non senatum modo, verum etiam populum appellet (Tac. Hist. I, 30). Imperium autem ipsum Vespasiano delatum esse constat lege, non senatus tantum consulto; nam etsi Tacitus Hist. I, 3 tantum sic ait: *at Romae senatus cuncta principibus solita Vespasiano decernit*, neque quicquam de populi confirmatione adiicit, vere tamen legem rogatam esse ostendunt eius fragmenta, quae supersunt. Neque video, quomodo haec de imperio lex ab ceteris, quae de iure civili feruntur, tantopere differat, ut illa potuerit antiquo more rogari, hae non potuerint. Erat sane, antequam ea rogaretur, nullus imperator militesque eo, cuius sacramento tenerentur, carebant, sed erant soliti reipublicae magistratus consules, erat senatus, erat denique populus Romanus, apud quem summa omnium rerum potestas

esse putabatur, longeque hoc in genere distat imperii Romani mos ab nostris civitatibus: in illo etiam cum nullus imperator esset, iustum tamen erat reipublicae caput, apud nos mortuo rege antequam alius sufficiatur, nemo est, ad quem omnis potestas redeat. Imperator igitur cum constitueretur, nihil videbatur Romanis aliud fieri ac quod olim in vetere libertate factum erat, ut certae quaedam reipublicae partes singulis hominibus mandarentur: illud unum diversum erat, quod imperatori quae olim pluribus et in certum tempus data erant, ea uni omnia et in perpetuum tribuebantur. Quare, cum lex quae de imperio principum ferebatur, nihil differret a ceteris, quoniam hanc legem vetere more apud populum rogatam esse constat, ne reliquarum quidem rationem sublatam esse existimabimus intelligemusque quod Gaius I, 5 *legem, per quam imperator imperium accipit* commemorat, eo pertinere, quod eius aetate veterum legum ratio nondum extincta fuerit. Idemque Gaius initio institutionum suarum significat §. 3 *lex est, quod populus iubet atque constituit:* nam praesenti tempore non esset usus, nisi suo tempore legem rite et ferri et nominari posse existimasset. Omnino autem a more Romano vehementer videntur desciscere, qui legum discrimen aliquod statuant, quod nullum unquam fuit. Quis enim audivit, aliter legem esse latam, cum de iure civili, aliter, cum de senatus aut plebis aut iudicum potestate constituenda, aliter cum de imperio deferendo ageretur? Minus sane, quamdiu libera fuit respublica, curabantur, quae ad ius civile pertinebant, propterea quod nullis partium studiis agitabantur, sed forma ferendi de iis eadem prorsus erat, quae in reliquis reipublicae partibus servabatur. Nova illa est atque ab Romanis alienissima ratio, qua quibus magistratuum potestates describuntur atque ipsa imperia constituuntur, ab aliis legibus discrepare putantur, quam non tetigissemus quamque perversa esse videretur commemorassemus, nisi vereremur, ne propter ipsam novitatem nostrarumque rerum similitudinem iis, qui moris Romani minus periti essent, commendaretur. Quamquam hercle non ita disputo, ut quae vis legum in libertate fuerat, eandem sub imperatoribus integram constitisse putem. Quis enim hoc

credat, qui nusquam prope a scriptoribus populi sanctionem commemorari videat atque etiam apud iureconsultos, quid senatui placuerit, non, quid populus iusserit, afferri? Itaque factum est, ut nomen etiam senatus consultorum latius pateret atque ad ea, quae et a senatu decreta et a populo confirmata essent, transferretur. Velut lex illa Iunia Vellaea, quam diximus, solet illa quidem lex appellari (Dig. XXVIII, 2 de lib. et p. 29), sed vocatur etiam senatusconsultum (Dig. XVI, 1 ad Scons. Vell. 2), unde suspicor, magnam partem etiam reliquorum de iure civili senatusconsultorum, quae usque ad Commodi tempora nota sunt, leges et fuisse et potuisse ita appellari. Sed persequi hoc argumentum leviaque quae per antiquitatem dispersa sunt vestigia indagare non est huius loci neque ad eam de qua disputamus legem intelligendam conferunt; tantum teneamus, veterem legum ferendarum consuetudinem, si non vi ac re, certe specie ac nomine esse conservatam.

At enim duo genera legum excipit Theod. Mommsenius in iisque, quae in reliquis legibus Tiberio imperante perisset, veterem consuetudinem retentam esse censet, de civitate militibus emeritis donanda et municipalium, quibus respublicae municipiorum et coloniarum constituebantur. Nam quamvis populi potestas sublata esset, in his tamen generibus iam antiquitus populi partes mandari consuevisse magistratui alicui, translataque ad imperatorem summa etiam legum ferendarum potestate, et antiquum morem conservatum et rite legum nomen usurpatum esse. Qua in sententia illud imprimis improbo, quod iam dixi, legum aliquod discrimen statui, quod nullum fuit. Nam non harum modo, verum omnium omnino legum dandarum (sic enim veteres dicebant) potestatem a senatu populoque Romano lege mandatam esse video. L. Cornelius Sulla quot partes reipublicae immutavit ac constituit? Dedit sane plurimis hominibus civitatem Romanam, deduxit multos in colonias, sed praeterea vix ullum erat ius, quod non emendaret. Atque haec eum ex lege Valeria egisse constat, quae definite hanc potestatem dabat, ut morte punire, publicare, colonias deducere, regna adimere liceret, quae singula iure

Romano legibus tantum fieri oportebat. Iam nonnulla ex iis, quae Sulla constituebat, etiam a populo confirmanda curaverit, sed plurima certe ex lege Valeria egit, neque ea minus firma quam reliqua existimabantur. Cf. Comment. epigraph. I p. 246. Similis autem prorsus potentia delata est ad IIIviros reipublicae constituendae, qui anno 43 a. Chr. P. Titii, tribuni plebis, lege creati sunt (App. bell. civ. IV, 7), qui pro potestate sibi legibus mandata et omnes illas proscriptiones instituerunt et magistratus, quos vellent, crearunt, et universam rempublicam rexerunt. Quid igitur est, quod non, dummodo populus lege permiserit, ab uno constitui liceat? Quae pars aut publici aut privati iuris cogitari potest, quae non mandetur? Nam etsi multa IIIviri per vim fecerunt, magnopere tamen providebant, ut quicquid agerent, legibus fieri videretur. Quare imperatori quicquid placebat, edicto vel decreto constituere licebat, quod legis vicem obtinere ait Gaius I, 5, quia ipse imperator per legem imperium accipiat: legis tamen forma ac nomen iis, quae cum senatu populoque communicata essent, servabatur. Sed num veteranorum civitatem in iis rebus fuisse putamus, quas princeps cum ipse posset concedere, cum senatu communicare vellet? Parum id quidem probabile est. Nam ceteris hominibus constat saepe imperatores civitatem donasse, sine lege atque iniussu senatus, non modo Augustum, de quo refert Suet. Aug. 40 et Cal. 38, sed etiam successores eius, atque extant epistolae duae Plinii ad Traianum (ep. 22 et 107), quibus civitatem ab imperatore ita petit atque impetrat, ut nullum senatusconsultum, nullam legem intercessisse, sed diploma tantum suffecisse aperte intelligamus. Num qua igitur in militibus causa est, ut eorum civitatem imperator magis voluerit cum senatu communicare quam aliorum hominum? Num civitatis beneficium a senatu proficisci videri cupiebat imperator? Certe, quoniam in militibus imperium nitebatur eamque quasi propriam provinciam acceperat, illud maxime agere debebat, ut, quicquid militibus daretur, id a se uno et solo exire neque ulla senatus esse potestas videretur, anxieque imperatores omnes, quamvis de aliis rebus senatum consulerent, id maxima cura prospexisse audimus, ut rem militarem universam

in sua potestate retinerent. Longum est atque inutile huius rei, quae in ipsa imperatoriae potestatis natura atque origine sita est, exempla multa afferre: unum commemoro, quod Tacitus Annal. VI, 3 narrat Iunium Gallionem in senatu censuisse, ut praetoriani exactis stipendiis ius in quattuordecim ordinibus sedendi acciperent, quem Tiberius vehementissime increpitum, quod militum praemia ad quemquam praeter imperatorem pertinere putasset, exilio durissimo atque adeo vinculis coercuit. Qui igitur tantam curam haberet, ne quem alium nisi imperatorem milites spectarent maiestatisque crimen deprehenderet, si quis paulo ambitiosius milites modo alloqueretur (Tac. Annal. III, 9), eum existimamus permisisse, ut militum stipendia apud senatores examinarentur, ponderarentur, praemiis afficerentur? At nominantur fortasse leges, quibus civitatem impertiebat imperator. Nusquam et ab nullo; immo Gaius I, 57 constitutionibus principalibus ait concedi solere veteranis connubium cum his Latinis peregrinisve, quas primas post missionem uxores duxissent, neque constitutionis origo quantopere a lege differat, dissimulat (I, 5): diplomata vero militaria quae plurima extant, nullum legis vestigium produnt, in quibus omnibus sic est: imperatorem his et illis militibus civitatem Romanam et connubium dedisse, vel similiter. Quod igitur legis indicium affertur? Nullum, nisi hoc, quod consuerint in aere inscribi ac publice in Capitolio vel in foro proponi. At publice proponebantur aliquando etiam senatusconsulta, si id ad honorem eius, de quo facta essent, pertineret (Tac. Ann. XII, 53); nam pleraque in aerario deponebantur: quidni igitur eae constitutiones, ex quibus multorum hominum status penderet, ita in aere figerentur, ut facile et describi et recognosci possent? Mihi quidem ipse etiam locus, quo figebantur, significare videtur non fuisse illas leges; nam hae antiquo more a quaestoribus apud aerarium condi solebant (Tac. Annal. III, 51), illas in templis propositas esse novimus. Sed persequi id pluribus inutile est; si quidem apparere opinor, militibus quidem nunquam lege lata ab imperatoribus cvitatem esse donatam, sed diplomatis eos usos esse, quae sui tantum beneficii essent. Itaque Caligula aliquando, ut con-

ficeret pecuniam, ad hanc calumniam narratur descendisse, ut Caesaris et Augusti diplomata de civitate data, tamquam vetera et obsoleta, deleret (Suet. Calig. c. 38), cuius ille iniuriae nullam habuisset occasionem aut facultatem, si legibus civitas dari consuesset. Id autem eo facilius imperatoribus concessum est, quod antiquum morem fuisse scimus, ut imperatores cum alios homines de republica bene meritos, tum milites virtute insignes civitate donarent (Comment. epigraph. I p. 225), unde, ne alios, qui parcius eo beneficio usi sunt, nominem, C. Marius aliquando mille Camerinos (Plut. Mar. 28), Caesar universam legionem civitate donavit (Suet. Caes. 24).

De legibus municipalibus statuere difficile est, propterea quod apud scriptores paucae tantum commemorantur, in monumentis autem nulla praeter has, Malacitanam et Salpensanam, ad nos pervenit. Neque omnino saepe factum est, ut leges, quibus municipiorum respublicae constitutae erant, mutarentur tantaque Romanorum in hoc genere erat constantia, ut quam quaeque urbs legem eo tempore accepisset, quo in imperium Romanum venit, eam usque ad alterum vel tertium p. Chr. saeculum teneret. Argumento est vel illud, quod IIviros iuri dicundo et aediles et quaestores qui exitu libertatis in municipiis coloniisque usurpabantur, diutissime conservari videmus, exemploque afferri potest Bithynia, cuius urbes cum anno 65 a. Chr., cum in provinciae formam redigerentur, lege Pompeia constitutae essent, eandem legem Traiano imperante tenuisse intelliguntur ex Traiani et Plinii epistolis mutuis. Quare leges novae municipales non fere videntur esse latae, nisi cum status ipse hominum mutaretur i. e. cum Latinitate aut civitate Romana donarentur, vel cum quae municipia fuerant, in coloniarum ius transferrentur. Tum novis opus erat legibus, quarum non unam rationem fuisse existimo. Ac dictator quidem Caesar cum anno 49 Gaditanis de sua causa bene meritis civitatem Romanam donasset, munus suum lege confirmandum curavit (Dio XLI, 24), ea, opinor, de causa, quod tunc dictaturam nondum acceperat, dubiumque est, an idem fecerit Augustus, cum anno 36 Uticensibus civitatem impertiret, non quod non pro triumviratus potestate quas vellet urbes in civitatem reci-

pere potuerit, sed ut et firmius esset, quod dedisset, et ipse minus ambitiosus esse videretur. Neque deinceps imperatores quo iure in legibus municipiorum ferendis usi sint, liquet; scriptores enim qua quidque ratione actum sit parum accurate referunt. Velut Nero cum Alpium maritimarum nationes in ius Latii traduceret (Tac. Ann. XV, 32), num senatus consultum interposuit, quo quod ipse concessisset, quasi confirmaretur? Vel Otho cum Lingonibus universis civitatem daret multaque multis et oppidis et provinciis concederet (Tacit. Hist. I, 78), utrum senatus auctoritate usus est an ipse constituit? Decerni hoc nequit. Quamquam equidem hoc in genere illud imprimis servatum esse censeo, quod in omnibus rebus valebat plurimum necdum satis a viris doctis, qui de imperatorum aetate scribunt, animadvertitur, quod universum imperium Romanum in duas partes erat divisum, quarum una imperatoris quasi propria erat, altera vetere more a senatu regebatur. Illam, quae bellicosas barbarisque finitimas provincias complectebatur, eodem fere obtinebat imperator iure, quo in libera republica qui gestis honoribus provincias sortiebantur, tenuerant, nisi quod imperator perpetuum habebat imperium. Iam si veteribus imperatoribus saepe ab senatu populoque Romano mandatum est, imprimis in iis quas primi subigerent provinciis, ut leges municipiis darent, an his, qui domini Romanorum essent, imperatoribus omnem municipiorum constituendorum potestatem ita concessam esse putabimus, ut nullo amplius senatus consulto, nulla lege opus esset? Itaque non mirum videtur esse, quod in Taciti annalibus observatur. Qui cum diligentissima cura praecipue in Tiberii principatu enarrando actiones senatus persequatur (nimirum haec, quia acta senatus cognosci poterant, quid imperator statuisset vel mandasset, latebat neque ad eorum qui historiam scriberent oculos admittebatur, maxima erat narrandi materies), cum igitur quicquid maius in senatu actum est, diligenter Tacitus narrare soleat, nulla prope est provincia senatoria, quae non commemoretur, velut sub Tiberio Achaia et Macedonia (Ann. I, 76; IV, 13 et 43), Asia (II, 47; III, 58 et 66; IV, 13 et 15 et 36 et 55), Africa (III, 35 et 57), Cyrenae (III, 70), Baetica (IV,

13 et 37), Narbonensis (IV, 43), Sicilia (IV, 43), tum sub Claudio et Nerone Asia (XII, 58 et 61), Sardinia (XIII, 30), Sicilia (XIII, 49), Narbonensis (XII, 23), Cyrenae (XIV, 18), Bithynia (XIV, 46), sed nulla prorsus est imperatoris provincia, de cuius rebus in senatu actum et decretum esse audiamus. Nam quod Tacitus Annal. I, 78 Tarraconensibus petentibus, ut sibi templum Augusti extruere liceret, permissum esse scribit, non addit permissum esse ab senatu neque credo, quia etiam quae insequuntur de edicto principis sunt. Cum autem Galliae Comatae civitates anno 48 p. Chr. ius honorum peterent, res non acta est in senatu, sed apud principem. Sic enim ait Tacitus Annal. XI, 23 studiis diversis apud principem esse certatum, qui cum varios rumores ea de re sparsos extinguere vellet, ipse rem ad senatum detulit eiusque consulto quod ipse decreverat, confirmandum curavit. Singularis igitur quaedam eius rei erat ratio nec quid fieri vel debuerit vel consuerit significat. Quid autem? In tot provinciis, quae Caesari parebant, num nihil per tot annos accidisse putamus, quod memoria dignum esset, si ad senatus cognitionem pervenisset? Nihilne in Syria, maxima provincia, nihil per Gallias, quarum maior pars Caesaris erat, nihil in citeriore Hispania aut Lusitania factum est? Certe plurima, sed ea omnia sibi seposuerat imperator: nihil eorum ad senatum pertinebat aut publice agebatur, ut, qui historiam scriberet, quomodo actum esset, narrare posset. Nam plurima ex eo genere prope quotidie ad imperatorem pervenisse ab eoque decreta esse ostendunt Plinii epistolae ad Traianum scriptae, quibus quomodo ius civitatum observandum, leges earum interpretandae aut immutandae sint, consulit. Mihi quidem proconsulum a senatu missorum quodammodo maior quaedam fuisse videtur potestas quam legatorum Caesaris; hi de omnibus rebus, de quibus ambigerent, facile imperatorem adibant, multaque, quae Plinius quaerit, tam parva sunt, ut Traianus ipse prope indignetur se consuli, senatus, qui et minus frequenter conveniret et cum convenisset, multa negotia haberet, de tantis minutiis adiri nullo modo poterat. Quae cum ita sint, in imperatoriis provinciis, si qua nova lege opus erat, ipse imperator sine senatu

quid fieri vellet, videtur constituisse: nam quae potestas olim in libertate magistratibus data erat, ut provinciis leges scriberent, ea quin imperatori et maior et perpetua delata sit, dubitari non potest. Necesse certe erat eam Augustus, cum imperium cum senatu partiretur, acciperet ab eoque ad reliquos transiit. At Malaca et Salpensa, quarum de legibus agitur, Baeticae Hispaniae sunt, quae senatus erat provincia. Itaque cum illae ferrentur, senatum consultum esse censeo, qui aut ipse dedit aut proconsuli ut daret mandavit. Neque illud certum est, leges appellatas esse Flavias. Fuerit sane earum ferendarum auctor Domitianus, sed poterat tamen etiam sic fieri, ut, postquam civitatem Romanam Malacae et Salpensae dedit, ipsas leges ferendas solitis magistratibus permitteret.

Sed praeter legem commemorantur in tabula Salpensana etiam edicta. Sic enim est bis: *exve edicto imp. Caesaris Aug. Vespasiani impve Titi Caesaris Aug. aut imp. Caesaris Aug. Domitiani p(atris) p(atriae).* Qualia igitur sunt haec edicta? Neque enim unum esse, sed plura apparet. Siquidem Domitianus, quamdiu pater et frater vixerunt, nullam reipublicae partem attigerat ac ne tribuniciam quidem potestatem nisi defuncto fratre accepit, ut quod communiter cum illis edicere potuerit, cogitari non possit. At Titus tribuniciam potestatem Kal. Iul. anni 71 acceperat atque ex eo tempore vere socius patris atque imperii consors fuerat. Quare duo edicta fuisse statuemus, unum Vespasiani et Titi, alterum Domitiani, idque significant ipsa legis verba, in quibus non sine causa Domitiani nomen a patre et fratre particula *aut* seiunctum est. Iam pro multiplici potestate quam habent imperatores edicunt: ipsa tribunicia potestas quam habent edicendi facultatem dat, qua usus esse narratur Tiberius, cum mortuo Augusto reliquas imperii partes nondum usurpare vellet (Tac. Ann. I, 7). Itaque ea quidem edicta, quae ad urbem Romam pertinerent, fere pro tribunicia potestate videntur esse proposita, velut ab Tiberio (Tac. Ann. I, 78; III, 6; V, 5), ab Nerone (Tac. Ann. XIII, 31 et 51; XV, 36 et 73), ab Vitellio (Tac. Hist. II, 62), ab Nerva (Plin. ep. X, 107); sed haec, de quibus disputamus, non ad Romam spectabant, ne ad imperatoriam quidem pro-

vinciam, sed ad eam, quam senatus regeret. Quare non ab tribunicia potestate haec profecta esse iudico, sed ab censoria, pro qua certe edictum est illud a Claudio, quod Ulpian. III, 5, citat, item illud de theatrali populi lascivia, quod Tac. Ann. XI, 13 affert. Imprimis autem comparari debet illud Augusti edictum, quod Plin. ep. X, 83 affert. Nam Plinius legem Pompeiam, qua apud Bithynos cautum erat, ne quis minor annorum triginta magistratum caperet, ita scribit edicto Augusti mutatam esse, ut ab annis duobus et viginti capere liceret; siquidem Bithynia Augusti quidem aetate item erat senatus provincia. Quantopere autem huic censorio edictorum generi illud conveniat, quod in edicto fuisse narratur, non opus est explicari; antiquitus enim censorum fuerat civitatem impertire civiumque ordines describere. Etiam hoc intelligitur, quomodo et Vespasianus Titusque communiter edixerint et denuo de eadem re Domitianus. Nam Vespasianum constat censuram ipsam gessisse (Suet. Vesp. c. 8) ab anno 71 usque ad annum 74 p. Chr. in eaque collega usum esse filio (Censor. de die nat. c. 18; Plin. nat. hist. III, 66 et VII, 162). Itemque eum per hoc ipsum tempus de Hispania, si non recipienda in civitatem, at admovenda ad eam constituisse constat. Nam quod Plin. nat. hist. III, 30 eum ait universae Hispaniae Latium tribuisse, quoniam Plinius opus suum ante iam absolutum anno 77 p. Chr. Tito Caesari cos. VI inscripsit neque imperatorem, antequam exeunte anno 70 Romam revertit, de Hispania statuisse probabile est, videtur prope necesse esse pertinere ad id tempus, quo Vespasianus censuram gessit. Atque etiam Domitianus censuram gessit et gessit eo ipso tempore, quo edictum, quod commemoratur, ab eo propositum est. Nam quae in aere Salpensano sunt rubr. 22 et 24 *imperator Caesar Augustus Domitianus pater patriae*, necesse est scripta esse imperante Domitiano recteque Mommsenius animadvertit deesse nomen Germanici, quod Domitianum exeunte anno 83 vel ineunte anno 84 ab senatu accepisse docet Eckhel. Doctr. numm. VI p. 397. Quare lex ipsa Salpensana tribuenda erit primo Domitiani biennio edictumque paulo antecessisse existimabimus. De censura autem idem Eckhel. ex nummorum auctoritate

demonstrat, Domitianum anno 85 *censorem perpetuum* esse appellatum, sed iam antea habuisse censoriam potestatem, ut videamus ei, cum pro censoria potestate quaedam salubriter instituisset, deinde a senatu novum illum censurae perpetuae honorem esse tributum. Quae cum ita sint, et legem atque edictum Domitiani in annum 83 fere exeuntem conferemus et illud plane intelligemus utrumque edictum ab censoria potissimum potestate esse profectum; siquidem ea, cum soleat edictis usurpari, et rectissime in civitate Romana impertienda versatur et cur communiter Vespasianus et Titus edixerint, ostendit et denique cum tempore, quo edictum est, optime convenit.

Quid autem erat in illis edictis? Quid erat, quod cum primum ab Vespasiano Titoque constitutum esset, deinde ab Domitiano repeteretur, quod utrumque ad civitatem Romanam consequendam pertineret? Qua de re nihil apud Mommsenium invenio, Huschkius autem l. l. p. 16 sic statuit, ut diversa ille quidem edicta discernat, (nam dubito an tria esse putarit, quae nos duo fuisse ostendimus), sed in natura eorum interpretanda aberrare videatur. Ait enim Vespasiani edicto primum hoc esse constitutum, si quis qui in oppidis Latinis honoribus gerendis civitatem Romanam consecutus esset, eam parentibus etiam, uxori, liberis, nepotibus peteret, se eam ita daturum esse, ut et patria potestas et libertorum iura retinerentur. Tum Domitianum cum Salpensae Malacaeque legem municipalem daret, illud, quod singillatim se daturum Vespasianus promiserat, ita confirmasse atque omnibus Salpensanis Malacitanisque impertisse, ut certum aliquod illorum municipiorum ius nasceretur. Qua in re hoc minus probo, quod edictum Domitiani et lex municipalis parum distinguuntur; illud oportebat antecedere, hoc consequi, nec si edicto imperator hoc ius duobus oppidis tribuit, opus erat lege, sin lege, quam ipse dedisset, edictum certe supervacaneum erat. Sed pugnat adeo Huschkius cum iis, quae in aere Salpensano leguntur. Ipse enim edicta ad parentes, liberos, nepotes civitate donandos pertinere censet, legis verba ad ipsum, cuius parentes et liberi sint, pertinent. Nam rub. XXIII quae sunt: *qui quaeve hac lege exve edicto imp. Caes. Vesp. Aug. impve Titi Caes. Vespasian.*

Aug. aut imp. Caes. Domitiani Aug civitatem Romanam consecutus consecuta erit, is in libertos libertasve suos suas paternos paternas, qui quae in civitatem Romanam non venerit — idem ius eademque condicio esto quae esset, si civitate mutatus mutata non esset, haec nonne ad ipsos patres familias, non ad liberos nepotesque referenda sunt? Itaque necesse est edicta non illos solos liberos nepotesque Latinorum, sed ipsos hos etiam Latinos comprehenderint. Verum hoc si non erat in edictis, quid tandem erat? Certe id, quo status Salpensanorum mutaretur. Nam lex ubicunque in his tabulis Hispanicis commemoratur, ad magistratus creandos, ad comitiorum rationem, ad potestatem magistratuum, ad alia similia, quae in republica Salpensana vel Malacitana sunt, pertinet, edicta his duobus locis commemorantur, ubi de consequenda civitate Romana agitur. Iam Vespasianum tradit Plinius nat. hist. III, 30, qui iam citatus est, universae Hispaniae Latium tribuisse, quod cum certe etiam ad Salpensam Malacamque pertinuerit, nonne probabile est esse hoc ipsum quod quaerimus edictum, ex quo Salpensani civitatem Romanam consequi dicuntur? Sed si Vespasianus iam tribuit Latinitatem, quid adiecit Domitianus edicto? Hoc, nisi ad inanes coniecturas descendere placeat, reperiri non poterit. Nisi forte ab Domitiano civitatem Romanam adiectam esse putabimus. Ita sane duo illa edicta quae fuerint intelligitur, item aliud quod de Domitiano in his tabulis est, de quo postea disputabimus, sed illud aperte obstat, quod, qui civitatem consequuntur, eam consequi dicuntur ex duobus edictis; unum enim appellari id, quo civitas dabatur, satis erat. Rursus autem ii, qui cum Salpensam Malacamque iure Latino fuisse censeant, hoc ius ab Vespasiano impertitum, ab Domitiano autem nescio quid adiectum esse existimant, verbis legis refelluntur. Nam si Salpensani ante annum 77 p. Chr. ab Vespasiano Latinitatem accepissent, et statim multi cives Romani facti essent et certe quotannis, qui honores municipales gesserant, civitatem consequebantur. Mutatio igitur civitatis acciderat in Salpensanis, acciderat capitis deminutio, patriae potestatis iurisque libertorum amissio. Iam igitur, cum rubr. XXII et XXIII praecipiatur, ut civitate Romana con-

sequenda patria potestas ne solvatur, ius libertorum ne amittatur, si ea iam ante accidissent, nonne sic scribi oportuit, ut ii, qui ante Domitiani edictum civitatem Romanam acceperant, comprehenderentur neque summa in simillima causa inaequalitas admitteretur? Sed legitur: *Qui quaeque — civitatem Romanam consecutus consecuta erit*, non legitur *consecutus est erit*, ut futuro tantum tempori consulatur, non praeterito. Neque hercle recte faciat, qui errorem illum fuisse putet sculptoris, atque ut ipse verum invenisse videatur, alios peccasse velit; neque bis eadem ratione peccatum esse probabile est. Quare ne sic quidem duo illa edicta possunt intelligi. Tertium est, ut Vespasianus nescio quid aliud Salpensanis, Domitianus Latinitatem tribuerit. Quod non magis simile est vero, cum reliqua Hispania Latinitate augeretur, Salpensam Malacamque sine ullo honore esse relictas tandemque idem accepisse, quod ceteri, quorum maiori parti adeo vetere dignitate praestarent, dudum habuerant. Quid igitur, quaeso, relinquitur, nisi id, quo deventuri sumus, ut ab Vespasiano Latinitatem frustra oblatam, ab Domitiano civitatem Romanam datam esse existimemus?

Sed universa haec res quomodo gesta sit, ut intelligatur, disputandum est et de iure Hispaniae reliquae et de Salpensanis Malacitanisque, quam disputationem longe uberius ac diligentius possemus instituere, si plura scriptores nobis traderent. Nunc iis contenti esse debebimus, quae Plinius in naturali historia refert. Quae ipsa tam manca sunt, ut de multis oppidis quo iure fuerint parum constet. Etenim in Baetica Hispania esse ait colonias IX, municipia VIII, Latio antiquitus donata XXIX, libertate VI, foedere III, stipendiaria CXX, ex quibus nominat tantum colonias novem, eas, quae recensitae sunt a nobis in comment. epigraph. I p. 364; municipia autem tantum duo, Gades et Reginam, libera duo, Astigi et Ostipponem, foederata item duo, Malacam et Eporam, Latina quattuor, Laepiam, Uliam, Carisam Aureliam, Urgiam, ut longe maior pars oppidorum quo iure fuerit, non addatur ac magnopere erret, qui ea, quae iuris significatione careant, stipendiaria fuisse coniiciat. In Tarraconensi provincia paulo

diligentior est Plinius. Etsi enim colonias non omnes nominat (Comment. I p. 366), ex tredecim quae municipia esse ait, nominat duodecim, Saguntum, Baetulonem, Iluronem, Blandas, Emporias, Dertosam, Bisgargi, Belli, Calagurri, Ilerdam, Oscam, Turiasonem, ex oppidis Latinis, quae duodeviginti esse ait, quindecim, Lucentum, Ansam, Cerretam, Edetam, Gerundam, Gessoriam, Tearos, Cascantum, Ergavicam, Gracurri, Leonicam, Osicerdam, Castulonem, Saetabim, Valeriam, ut tria tantum ad numerum explendum desint, foederatam denique civitatem, quam unam esse dicit, Tarragam. Accuratam autem ac plenam notitiam exhibet Lusitaniae, in qua non modo quinque colonias, sed etiam unum, quod in provincia fuit, municipium, Osiliponem, item tria oppida Latina, Eboram, Myrtili, Salaciam nominat. Maxima igitur cautio in ea provincia, quam in hac quidem disputatione plenissime explicari vellemus, est adhibenda. Accedit autem aliud. Etenim Plinium in describendo imperio pendere ex Agrippae vel Augusti commentariis constat (Comment. I p. 198), quos ita sequitur, ut quae ab illorum aetate ad suam mutata erant, silentio praetermittat, ideo opinor, quod scriptoribus tantum utebatur, monumenta atque acta publica, quibus solis iuris mutationes continebantur, negligebat. Ita fit, ut quae de iure oppidorum Hispanicorum tradit, ad initia Augusti, cum Hispaniae ab eo compositae sunt, pertineant, de reliquorum imperatorum aetate non vera sint. Id exemplis certissimis potest demonstrari. Nam Cascantum, Ergavica, Osicerda a Plinio libr. III, 18 sq. recensentur inter Latina oppida, at nummi Tiberii et Ergavicenses quidem adeo Augusti (Eckhel. Doctr. numm. I p. 44 et 50) municipia ea fuisse ostendunt, ut Augustus ipse ea post id tempus, quo Agrippae commentarii confecti sunt, civitate Romana donasse videatur; certum enim esse statuimus, quod universa hac commentatione demonstraturi sumus, municipium non esse nisi civium Romanorum. Praeterea autem in nummis tria Tarraconensis Hispaniae municipia commemorantur (Eckhel. D. N. IV p. 466), quae quia nummis produntur, necesse est ante Caligulam esse facta; nam huius aetate nummi Hispaniae desierunt, Bilbilis, Ilercavonia, Visontium. Eorum vel nulla

prorsus memoria est apud Plinium vel iuris significatio omissa. Ex quibus si unum statuamus esse illud municipium civium Romanorum, duo relinquuntur, quae cum ineunte Augusti imperio nondum civitatem Romanam haberent, exeunte accepisse probabile sit. Simillimaque in Lusitania Eborae est ratio, quae cum ab Plinio inter Latina oppida, ut diximus, referatur, ab Augusto civitatem Romanam ac ius municipii accepit, id quod ex nummis apud Eckhel. D. N. I p. 11 intelligitur. In Baetica quidem singularem hanc Plinii prope dixerim negligentiam deprehendi non licet. In qua provincia quoniam ex octo municipiis, quae fuisse ait, duo tantum nominat, quae praeterea cognoscuntur ex nummis municipia Arva, Italica, Obulco, in sex illis, quae ab eo non nominantur, possunt esse idque est eo probabilius, quod Tarraconensis iura cur ab Augusto tantopere mutata sint, idonea causa intelligitur; gravissima enim cum Asturibus et Cantabris bella gesta erant, quibus finitis multi praemiis afficiendi ac multa constituenda erant. At Baetica, quae quietissima fuerat, nec praemiorum nec poenarum occasionem praebebat.

Hoc igitur cum esset Hispaniarum ius, quod ex Plinii recensione quamvis leviter cognoscitur, Vespasianus universis Latium tribuit, *iactatus* ille quidem, ut Plinius ait, *procellis rei publicae* i. e. coactus bellis civilibus, quae antecesserant. Nolebat enim beneficia imperii tam celeriter ac tam late propagari, sed cum Galba ex Tarraconensi, Otho ex Lusitanica legatione ad imperium pervenissent multaque, ut par erat, iis provinciis, unde profecti erant, et gratiae referendae et studii excitandi causa tribuissent, adimi ea non posse intelligebat invitusque, cum censuram Tito collega suscepisset, eo descendit, ut Latinitatem omnibus concederet. Sed diversa oppidorum genera iam antea fuerant. Quid enim coloniis et civium Romanorum oppidis Latinitas proderat? Num his nihil tributum est ipsique cum reliqui tanto beneficio digni esse viderentur, nihil acceperunt? Primum si quod summum erat in imperio Romano adepti erant, nihil potuit tribui novi iuris, quo ex genere erant paucae illae coloniae iuris Italici, quae in Hispania inveniuntur. Deinde quamvis civitatem Romanam haberent,

poterant alia dari, veluti ius honorum, ut in senatum Romanum pervenire ibique honores consequi liceret, velut vectigalia, cognomina, alia multa. Ac talia esse data ab Vespasiano ostendit exemplum Arvae in Baetica. Nam id fuisse municipium ante Vespasianum docent nummi apud Eckhel. D. N. I p. 14, sed tamen auctum aliqua ratione ab Vespasiano intelligimus ex cognomine Flavii, quod inscriptiones exhibent apud Orell. n. 164, Grut. p. 476, 1, Maff. Mus. Ver. p. 422, 3 et 423, 1. At oppidis antiquitus Latinis quid factum est, cum omnibus Hispanis Latinitas concederetur? Id in Hispania quidem certis vestigiis persequi non licet, sed olim in comment. epigraph. I p. 412, cum Galliae Narbonensis colonias ab Hadriano deductas explicaremus, quoniam, quae a Plinio Latina oppida appellantur, ea praeter unum omnia a Ptolemaeo colonias appellari videbamus, sic coniecimus, ad id exemplum, quo Vespasianus Hispaniae, Hadrianum Narbonensi provinciae universae Latium dedisse simulque eos, qui antiquitus Latini fuerant, ne nihil impetrasse viderentur, coloniarum iure donasse. Simile igitur aliquid in Hispania tunc factum esse censeo, sed non ut coloniae fierent ex oppidis Latinis, sed ut civitate Romana donata ius nomenque municipiorum acciperent. Nam coloniarum Hispanicarum praeter eas, quae ab Plinio nominantur, nulla prope fit mentio, unamque Italicam coloniae ius ab Hadriano accepisse probabile est. At municipiorum incredibilis est in Hispaniis multitudo, quorum historiam etsi persequi non possumus, quia raro commemorantur ac ne cognominibus quidem originem indicantibus distinguuntur, magnam tamen partem hoc tempore, reliqua deinceps, cum imperatores Hispanias novis beneficiis ornarunt propiusque ad Italiae dignitatem admoverunt, orta esse censeo. Nam, si ab Sicilia recedas, quae prope pro parte Italiae habita est, nulla fuit provincia, quae tam celeriter in ius ac mores Italiae transierit quam Hispania idque vel inde coniiciamus, quod prima exterarum nationum imperatorem orbi Romano dedit. Sed ne illa quidem quae Flavia appellantur municipia indicare satis licet, quibus dignitatis gradibus eo pervenerint, ut ab Vespasiano vel Domitiano civitatem Romanam adipiscerentur. Etenim unum municipium

Flavium Laminitanum, quod apud Cean-Bermudez. de antiquitatibus Hispaniae (Madrid. 1832) p. 42 citatur, a Plin. III, 25 inter stipendiaria oppida recensetur, quod ab ipso Augusto Latinitate, ab Vespasiano civitate Romana donatum esse existimo. Reliqua, quae in Baetica nominantur, *municipium Flavium Aurigitanum* (Caën-Bermudez. l. l. p. 316), *municipium Flavium Axatitanum* (ibid. p. 268), *municipium Flavium Canamense* (ibid. p. 293), *municipium Flavium Muniguense* (ibid. p. 273), *municipium Flavium Nescaniense* (ibid. p. 301), *municipium Flavium Singiliense* (Ioann. Franc. de Masdeu. histor. crit. Hispan., Madrid. 1789, Tom. VI p. 484), *municipium Flavium Sosonegilanorum* (Mur. p. 1108, 1), tum in Tarraconensi *municipium Flavium Esbaesuccitanum* (Caën-Bermudez. l. l. p. 120), *municipium Flavium Vivatanum* (ibid. p. 128) vel tacentur prorsus apud Plinium vel, si commemorantur, velut Canama et Singili (Plin. III, 10 et 11), quo iure fuerint, non additur. Horum partem iam initiis Augusti, quae Plinius retulit, Latini iuris fuisse, reliqua postea eo donata atque ita a Vespasiano vel Domitiano ad civitatem Romanam translata esse existimamus. Ac ne cui tot oppidorum iura tam celeriter mutata esse mirum videatur, a Plinio in Lusitaniae descriptione unum municipium, tria oppida Latina referri diximus, at in inscriptione apud Orell. n. 162 initiis Traiani posita undecim alia municipia in eadem regione prope sita commemorantur, ut civitatem Romanam ab imperatoribus passim cum summa liberalitate per Hispanias propagatam esse intelligamus.

Quae cum ita sint, quid datum esse putamus duobus reliquis oppidorum generibus, quae ab stipendiariis dignitate discrepant? Supersunt enim foederatae civitates, quas tres Plinius habet in Baetica, unam in Tarraconensi, nullam in Lusitania, et liberae, quas sex ait esse in Baetica. Ac libera quidem oppida, Astygi vetus et Ostippo, ita non commemorantur, ut quomodo paulatim ad civitatem Romanam admota sint, dicere non audeam, foederatorum autem video singulare ac rarissimum fuisse ius, quippe quo ex tanta multitudine per totam Hispaniam quattuor tantum oppida usa sint. Neque in aliis provinciis plura sunt; nam Sicilia habet duo, Mamertinos

et Tauromenitanos, siquidem Netinos deteriore aliquo iure fuisse ostendit patruus Car. Tim. ad Cic. Verr. libr. III, 6, Narbonensis Massilienses, Gallia Comata quattuor populos Lingones, Remos, Aeduos, Carnutos, Aquitania et Africa nullum; reliquas enim provincias, quae quia Graeca origine erant, neque mores Romanos facile admiserunt neque pariter cum ceteris provinciis ad civitatem Romanam accesserunt, praetereo. Sed ex his, quae nominavi, foederatis oppidis nullum fuisse dico, quod foederis sui libertatem Latinitate mutare vellet; omnia si iure mutarentur, omisso Latio continuo in ipsam civitatem Romanam transierunt. Itaque Messana a Plinio III, 88 appellatur civium Romanorum, Tauromenium colonia; item Massilia ut foedus deponeret, nisi civitate data non videtur esse mota. Lingonibus autem cum imperator Otho gratificari vellet, num Latinitatem obtulit? Immo civitatem Romanam, quam principes eorum iam ante habuerant (Tac. Hist. I, 78). Sed idem ex antiquioribus exemplis intelligitur. Foederata olim fuerat Gaditana civitas (Cic. p. Balb. c. 14 sq.), nec foedere aequo: num igitur Caesar cum beneficium deferre vellet, Latinitatem obtulit? Eam sprevissent certe: obtulit civitatem Romanam, qua accepta municipes extiterunt. Foederatum item fuerat antiquitus Saguntum (Cic. p. Balb. 22), quod civitate Romana, non Latii iure foedus mutasse diximus. Quid? In ipsa Italia nonne olim foedera fuerant Sabinorum, Volscorum, Hernicorum (Cic. p. Balb. 13), nonne Tarenti, Heracleae (Cic. p. Balb. 22) multarumque urbium Graecarum Italiae? Ex quibus nullum fuit, quod unquam foedus suum Latinitate mutarit. Ipsam etiam civitatem Romanam fuerunt qui aegre ac prope inviti acciperent: siquidem lege Iulia cum civitas omnibus populis Italicis offerretur, Cic. p. Balb. c. 8 magnam ait contentionem Heracleensium et Neapolitanorum esse ortam, cum magna pars in iis civitatibus foederis sui libertatem civitati anteferret. Quare cum nunquam factum esse videamus, ut qui foederati fuissent, deinde Latini fierent, ne Vespasianum quidem aut Domitianum putabimus Hispaniae civitatibus foederatis Latinitatem obtulisse. Neque ratio inveniri non potest, cur nunquam foedera Latinitate mutata sint. Vere enim si iudicare

volumus, ipsa Latinitas ex foedere quodam nascitur, quod etsi propius coniunctum erat cum civitate Romana quam alia foedera, ideo tamen inferius quodammodo est, quod hoc propter auxilia ex formula praebenda magnum sustinet onus, quo illa fere vacant. Mutatio igitur foederis susciperetur, si qui ex foederata civitate in Latii ius transferrentur, non beneficium conferretur. Sed explicare hanc rationem nisi qui Latinitatis originem ac decursum persequetur non poterit: nobis quidem hoc loco significasse rem quidque factum esset demonstrasse satis erat.

Iam si discedamus a foederatis, a liberis populis, qui quo iure donati sint incertum esse diximus, a coloniis denique et civium Romanorum urbibus, relinquuntur nimirum stipendiaria oppida, quibus consuluerit Vespasianus, cum compositurus Hispanias belli civilis tempestate perturbatas in censura, quam cum Tito filio gessit, edicto omnibus Latium offerret. Etenim hoc tenere debebimus oblatam esse Latinitatem, non impositam nolentibus; siquidem contra morem Romanum est invitos beneficio afficere atque, ut et singulos et universos populos constat ipsos eius legis qua in civitatem reciperentur quasi fundos esse factos (Cic. p. Balb. 13 sq.), item Vespasiani edicto intelligemus diem esse constitutam, ante quam qui beneficio uti vellent, profiterentur aliaque iniuncta, quibus Latinitas acciperetur. Neque tamen dubium est quin cupide omnes expetierint, edicti leges explerint, municipales denique leges mutandas vel constituendas curarint. Ita Latinitatem adeptae sunt omnes stipendiariae civitates nec minus ii, qui contributi erant in colonias, in municipia, in urbes antiquitus Latinas; at illae, quae foedere cum imperio Romano coniunctae erant tres civitates, dubium est, num, quos stipendiarios contributos in suam rempublicam habebant, Latinos fieri voluerint, quare discerperetur sua urbs. Mansitque quaedam inaequalitas, dum Domitianus novo edicto, ne quid quod externum esset, in provincia relinqueret, foederatis etiam urbibus civitatem Romanam obtulit. Sic certe haec res et potuit fieri et gesta est, si parva quaedam, quae nunc coniectura assequi non licet, omittamus. Velut, si quis iam a Vespasiano foederatis

urbibus civitatem oblatam esse putet, sed eam iis datam condicionibus, quas illae quia accipere nollent, ne civitatem quidem petiverunt, non hercle equidem contra dicam: sed illud constare iudico, a Vespasiano iis qui vellent oblatam Latinitatem, a Domitiano foederatis urbibus civitatem Romanam. Cuius quidem rei argumentum non dubium nobis videtur esse in legis Salpensanae rubr. XXIV, qua praecipitur, si imperator Domitianus IIviratum civitatis Salpensanae recepisset suoque loco praefectum quem esse iussisset, ut is praefectus eo iure esset, quo esset, si eum IIvirum solum creari oportuisset isque solus IIvir creatus esset. Diximus de hoc praefectorum genere, ut de reliquis, in comment. epigraph. I p. 54 et ita diximus, ut nunc non poeniteat; illud enim unum genus, quod omisimus, cum IIvir ex urbe proficiscens suo loco praefectum relinquit, quod quale fuerit ex lege demum Salpensana rubr. XXV cognoscitur, excusabimur quod tunc ignorabamus. Dixit de eadem re Mommsenius in disputatione de tabulis Hispanicis p. 447, qui quod unum addit, praefectos non modo hoc praefectorum nomine appellari, sed etiam IIviros vel IIIIviros, minus credo. Est enim contra rationem atque unum illud exemplum, quod ex inscript. Neapol. p. 480 citat, alio potius modo videtur esse explicandum. Nam M. Alleius Luccius Libella cum *IIvir praef. quinq.* appelletur in Inscr. Neap. n. 2350, non necesse est unus honos intelligatur; possunt etiam duo recteque in alio titulo (n. 2267) *IIvir i. d. quinq.* vocabitur. Sed hoc quia minus huc pertinet non persequemur; illud enim quod agitur apparet, insolitum prorsus honorem ab Salpensanis tribui Domitiano, cum praefectus eius solus iubetur esse pro IIviris. Idem num aliquando aliis imperatoribus datum sit, nescimus, sed non consuevisse fieri videmus; illud etiam intelligimus uni id dari Domitiano, ut si Salpensani eundem honorem alii imperatori habere vellent, mutanda esset lex municipalis. Quid igitur? Num errore hoc ita de Domitiani praefecto scriptum esse putabimus? Fuit enim, qui ita sculptoris vel nescio cuius errore scriptum esse existimaret legemque hanc fuisse, ut omnium imperatorum praefecti singuli essent pro binis IIviris. Tum omnis disputatio tollitur; nam errandi

probabilis ratio reddi non potest. Nos vero, quamvis in multis saepe litteris ac vocabulis sculptores harum legum peccasse videamus, in tanta tamen re, de qua peculiaris sit rubrica, peccari potuisse negabimus statuemusque eximii honoris ab Salpensanis habiti causam fuisse imprimis in Domitiani immoderata ambitione, quippe qui praeter omnes imperatores arrogantia atque incredibili honorum cupiditate excelluerit (Suet. Domit. c. 13). Accedere tamen, ut tanto honore ornaretur, oportebat beneficii accepti occasionem, quod Salpensani eum tamquam civitatis Romanae, quam adepti erant, auctorem venerari volebant. Quod autem in Salpensanos valebat, id ad omnes Hispaniae foederatas civitates transferre posse videmur.

Etenim iam redeundum est ad Malacitanos et Salpensanos, de quibus vellemus plura ac certiora tradere liceret. Nunc hoc unum docet Plin. nat. hist. III, 8 Malacam esse foederatorum, quod ius cum fuisset principiis Augusti (nam haec a Plinio referri diximus), idem mansisse censemus usque ad Domitianum, qui civitatem Romanam tribuit. De Salpensa autem quid statuemus? Ea sane commemoratur a Plin. I, 14, sed nulla iuris significatione adiecta. Unde qui stipendiariam fuisse colligit, dicit, quod demonstrari nequit tantundemque probabilitatis habet, cum Plinius foederatas et Latinas et liberas civitates, quas in Baetica esse ait, non nominet, fuisse eam ex illis generibus, idque adeo longe similius est veri; nam si stipendiaria fuisset, non intelligeretur, quid tantum subito meruisset, ut Latinitatis quasi gradu omisso municipii honore digna esse videretur. Quare foederatam fuisse credimus non minus quam Malacam in eaque similitudine umbram quasi quandam causae deprehendere nobis videmur, cur haec tabularum fragmenta, quae leges duarum satis inter se distantium urbium continent, uno loco inventa esse dicantur, cuius rei nondum ullam causam, quae non ab omni similitudine veri abhorreret, inveniri potuisse video. Epora quidem (nam haec reliqua est ex tribus Baeticae oppidis foederatis, Plin. I, 10) item municipium factum est eodemque, ut coniicio, tempore, quamvis in titulo apud Cean. Bermudez. l. l. p. 369 nullo

cognomine auctorem civitatis significet. De vicis aut pagis in respublicas aut Malacitanorum aut Salpensanorum contributis nihil traditur, neque id in hoc et scriptorum et monumentorum silentio mirum est, sed aliorum municipiorum similitudo facit, ut fuisse aliquos contributos eosque inferiore iure usos esse sit probabile.

Tota igitur res sic acta est; paucis enim complecti iuvat, quae supra diffusius disputata sunt. Cum Malacitani et Salpensani foederatam civitatem haberent coniunctosque cum republica sua populos nonnullos, ex quibus vectigal caperent, haec fuerat eorum olim ratio, ut antiquas suas leges haberent, ex quibus, qui contributi erant, in nullam reipublicae partem venirent, solique qui cives vel Malacitani vel Salpensani erant, et comitia haberent et magistratus gererent. Iisdemque in legibus scriptum erat quid Romanis ex foedere praestarent, naves, opinor, vel pecuniam. Tum accidit bello civili, ut imperator Vespasianus Latinitatem stipendiariis Hispanis offerret. Eam ipsi Malacitani et Salpensani contempserunt nimirum, populi iis attributi utrum acceperint necne parum interest; nam etiamsi acceperunt, tamen, quia nullam Malacitanae et Salpensanae reipublicae partem habebant, neque ad honores pervenire neque civitatem Romanam consequi poterant. Quo tempore quae rerum publicarum illarum condicio fuerit, apparet. Nam quae in iis diversa hominum genera fuerant, manebant iure disiuncta. Veteres cives omnem civitatis potestatem pertinaciter retinebant, reliqui, quoniam Latinitate accepta ad civitatem Romanam prope admoti erant, privatim multa se commoda habere intelligebant eoque magis omni reipublicae communione se prohiberi indignabantur. Atque erat quod irascerentur imperatoremque precibus adirent. Quare paulo post Domitianus, ut inaequalitatem quae extiterat tolleret, civitatem Romanam obtulit iis qui foederati fuerant; nam eos qui modo Latinitatem acceperant, denuo praemio affici inutile erat. Ita oppida et quia quod praecipuum in iis erat hominum genus civitate Romana utebatur, municipia more Romana facta sunt et duobus tamen hominum generibus constabant, quorum unum ex

Domitiani edicto civitatem Romanam consequebatur, alteri quibus Vespasiani edictum Latinitatem dederat, ex lege municipali, si ad honores municipales pervenirent, item civitate ornari poterant. Etenim qui recens Latini facti erant, ut libertatem cum novo iure coniunctam (nam omnes Latinae civitates liberiore iure utuntur) acciperent, et ad comitia magistratibus creandis admissi et in ordinem decurionum recepti sunt. Hac ratione nihil in aere Salpensano aut Malacitano est, quod non explicetur, nihil, quod ab aliis scriptoribus aut aliis monumentis tradatur, quin confirmetur atque illustretur, neminem denique peccasse statuimus, ut nostra sapientia stet. Neque hercle hoc nobis debet obiici, in quibusdam rebus, quae scriptorum testimoniis parum illustrantur, coniectura nos esse usos magisque quod probabile quam quod verum sit protulisse. Id intelligimus ipsi atque initio disputationis nostrae commemoravimus; sed parum proficiamus in nostris litteris, si nulla coniectura admittatur mathematicorumque more ubique demonstratio postuletur. Sufficere enim debet saepe in multis rebus probabilitas, quae similitudine argumentisque ex rei natura antiquitatisque consuetudine repetitis conficiatur, imprimis ubi non impugnetur, quod traditum est, sed confirmetur atque explicetur. Atque hoc coniecturarum genere etiam ad alias partes horum monumentorum praestantissimorum recte intelligendas opus esse censemus. Plurima enim in iis sunt, quae doctorum virorum studia excitent dolemusque prope, ab initio nobis unum hunc de municipiorum ratione locum, quem a novarum opinionum iniuria tueremur, esse propositum. Quamquam quae de honoribus municipalibus ac decurionibus traduntur, ea ita a nobis in commentationum epigraphicarum volumine primo exposita sunt, ut nihil fere mutandum ac vix quicquam supplendum sit. Sed de comitiis municipiorum Hispanicorum (nam Italicorum num eadem ratio fuerit magnopere quaeritur) et de curiis, quae non modo in his tabulis et quibusdam inscriptionibus Africanis, verum etiam in municipii Aciniponensis prope Malacam siti titulo apud Caecil. Garc. de la Leña antiquit. Malacit. (Malacae 1789) Tom. II p. 54

commemorantur, ea potest suscipi disputatio, quae et rem municipalem et ipsius Romanae reipublicae gravissima atque antiquissima instituta illustret. Quae quaestiones ut sunt maximae atque ad plurimas imperii Romani partes pertinent, ita nituntur fere eo, ut municipium quid sit recte intelligatur, quam nos ad rem ut hac disputatione profecisse videamur, vehementer cupimus.

DE

PROPAGATIONE CIVITATIS ROMANAE.

Inter eas, quae ex longo tempore notae sunt, inscriptiones Latinas nulla fere est, quae magnitudine atque argumenti gravitate antecedat tabulam illam Lugdunensem, qua imperatoris Claudii oratio continetur, quae cum olim et negligentius edita et parum explicata esset, hac aetate non modo interpretes complures peritos invenit, verum etiam eos editores, qui rei epigraphicae studio eruditi simulque patriae antiquitatis amore incensi tanta cura litteras apicesque tabulae investigarent atque in aere redderent, ut nihil in eo genere praestantius cognoverimus. Nihil igitur in ipso monumento erat, quod emendaremus, vel si quid erat, id certe non tantum haberi poterat, ut peculiarem propterea commentationem susciperemus: ne de interpretatione quidem erat, quod aut novum prorsus necdum ab aliis viris doctis commemoratum afferremus aut quia ab aliis minus recte statui videremus, longa disputatione refelleremus. Quare si unam Claudii orationem, quae tanta memoriae diuturnitate digna esset existimata, spectaremus, excusaremur fortasse ipsius nobilitate, quod quae alii brevius absolvissent, ea copiosius explicaremus, novi quidem nihil magnopere referremus. Sed non satis est in litteris nostris, quae quoque loco reperiuntur, singula per se considerare, quae nisi cum reliqua eorum quae traduntur quasi serie coniungantur ac comparentur, disciplina, qua omnes antiquitatis partes aequaliter illustrentur, nasci non potest. Quapropter nos hoc loco ab monumento Lugdunensi tamquam a capite quodam proficiscemur, in quo quae commemorantur, dum longius persequimur, ad ea Romanorum instituta perveniemus, quae latis-

sime patent summamque rempublicam complectuntur, quorum accuratior cognitio multum rursus ad tabulam Claudianam intelligendam conferat, ut per orbem quendam circumacti, quamvis paulo liberius evagemur alioque in argumento versemur atque cursum instituisse videamur, clarissimi tamen monumenti tamquam auctoritate contineamur.

Iam causa, in qua Claudius orationem quae extat, habuit, sic traditur ab Tacito Annal. XI, 23: *A. Vitellio L. Vipstano consulibus* (i. e. anno 48 p. Chr.) *cum de supplendo senatu agitaretur primoresque Galliae, quae Comata appellatur, foedera et civitatem Romanam pridem assecuti ius adipiscendorum in urbe honorum expeterent, multus ea super re variusque rumor.* Nimirum censuram tunc agebat Claudius, cuius extremum prope hoc munus erat, ut senatum legeret. Nam sic in antiquitate, cuius speciem imitabatur, fieri solebat, primum ut plebis tabulae conficerentur, deinde ut equitum turmae recognoscerentur, denique ut senatus legeretur, extremumque omnium illud erat, quod dictator Caesar et Augustus et Claudius fecerunt, ut patriciorum numerum augerent. Quare Tacitus Ann. XI, 25 postquam de patriciis auctis mentionem fecit, statim lustrum conditum censuramque universam peractam esse narrat; nam quod anno 52 idem XII, 52 rursus quosdam senatu motos esse scribit, ad perpetuam imperatoris censoriam potestatem, non ad hanc censuram videtur pertinere. Cuius tamen initium quando factum sit, non traditur nec nummi produnt; sed actam eam esse anno 47 ipse Tacitus XI, 13 significat, de theatrali populi lascivia censoriis edictis cohibita dicens, item Dio LX, 29, coeptam, si non ante, certe anno 46 hinc colligo, quod recognitio equitum, quam et habitam esse ab Claudio magna cum cura Suetonius c. 16 narrat, et senatus lectioni antecedere consuesse diximus, apud Tacitum anni 47 acta prope integra tradentem non commemoratur, ut eam anno 46 relatam esse probabile sit. Quae cum ita sint, dubium videri potest, an Claudius antiquo more per quinquennium censuram gesserit conditoque anno 48 lustro tamen et ante et post, quamdiu tempus prisca lege constitutum patiebatur, censoria munera usurparit. Collegam quidem eius L. Vitellium, quem

imperator item vetusta consuetudine sibi sumpserat, Tacitus Annal. XII, 4 anno 49 narrat pro potestate censoria hoc fecisse, ut L. Silanum senatu moveret: qua in re etsi abutebatur potestate meritoque ab Tacito vituperatur, praetextum tamen eum, quem diximus, videtur habuisse. Quamquam illud non ferendum est, quod idem L. Vitellius in nummo apud Eckhel. D. N. VI p. 313 censor II appellatur. Nemo enim ante Claudium censura eum functum esse scribit, postea autem ne potuit quidem, quia extremae senectutis erat (Tac. Ann. XII, 42) ac mox decessit.

In hac igitur censura cum senatus legeretur *primores Galliae Comatae foedera et civitatem Romanam pridem assecuti* imperatorem Claudium adierunt, ius honorum petentes. Qui sunt illi primores? De quibus primum intelligo Tacitum minus accurate dicere, quod eos ait foedera esse assecutos. Est enim contra morem Romanum neque unquam factum, ut quisquam unus vel ut homines complures foedere cum republica Romana coniungantur: populi sunt foederati ac civitates quique est ex populo foederato, item ipse quodammodo potest foederatus appellari. Quare illud elucet, cum Tacitus primores foedera assecutos appellet, quamvis minus proprie loquatur, hoc eum dicere, primores illos fuisse civitatum foederatarum. Sed rectissime addit *pridem* eos civitatem esse assecutos. Omnino enim foedera nisi quo quisque populus tempore primum recipitur atque imperio Romano adiicitur, non solent concedi. Ita quae in Graecia magna fuerant civitates foederatae, quo tempore illa regio in Romanorum dicionem venit, extiterant; ita in Sicilia quae foederatae urbes fuerunt, propter bellorum Punicorum merita foedus, quo quid praestarent, quid acciperent, definiebatur, consecutae erant; ita in Hispania Gaditani, antequam provincia Hispania constituta est, foedere donati erant (Cic. p. Balb. 15); ita Athenae, cum provincia fieret Achaia, ita reliqui omnes, qui usquam foederati appellantur, eo tempore reperiuntur foedus accepisse, quo primum ad imperium Romanorum pervenerunt, neque ulla gens nominari poterit, quae postquam aliquamdiu alio iure usa est, tum propter merita aliqua foedus a populo Romano acceperit foederataque

extiterit. Libertatem vel immunitatem vel Latinitatem vel ipsam denique civitatem accipiebant, qui in ipso imperio Romano beneficio aliquo digni esse viderentur, foederis quidem, quo praecipua aliqua iura concedi solent, ipsa natura haec est, ut nisi iis, qui ad imperium accedant, non detur. Quare fieri potest, ut earum quae in provinciis sunt, civitatum foedera, si quae poena dignae esse videantur, tollantur; ut quae minus boni sint iuris, praemio foederis donentur, fieri non potest. Itaque quod Tacitus principes illos ait *pridem* foedere fuisse donatos, vel ad dictatorem Caesarem, qui Galliam Comatam subegit, vel ad Augustum, qui quod ille facere morte prohibitus est, perfecit Gallorumque iura diligenter composuit, referendum est. Unde igitur populorum, quos Caesar vel Augustus civitate donarat, cognitio petenda est? Ex Plinii, opinor, naturali historia, qui cum in reliquis provinciis enarrandis non suae aetatis rationes, sed Augusti vel M. Agrippae commentarios repetat, tum in Gallia Comata quicquid post Augustum erat institutum, aperte neglexit: siquidem Germanias ille, quae tunc maximae ac potentissimae provinciae erant, prorsus silentio praeterit eaque sola, quae ab Augusto facta esse constat, commemorat. Cf. supra p. 107. Is autem (libr. III, 17, 20) in Gallia Belgica et Lugdunensi quattuor nominat populos foederatos, Lingones, Remos, Aeduos, Carnutos, in Aquitania nullos habet. Hi igitur sunt ipsi illi, quorum principes imperatorem Claudium adierunt; nam nec alios ullos post Augustum foederatos fieri potuisse diximus et Lingonum Remorumque foedera imperante Vespasiano commemorantur ab Tacito Hist. IV, 67, qui si tamdiu in vetere foedere manserunt, certe ne Aedui quidem et Carnuti ius suum mutarunt: id quod eo minus statui poterit, quod foederati, si ad aliud ius transferrentur, civitatem Romanam accipere solebant, qua de re supra p. 316 in commentario de tabulis Hispanicis disputavimus, Aeduos autem et Carnutos Claudii aetate non omnes civitate usos esse ipse Tacitus, qui primores ab plebe distinguat, significat.

Veruntamen civitatis Romanae, quam Tacitus cum foedere coniungit, alia longe erat vis ac natura. Ea non modo populis universis, verum etiam passim singulis hominibus da-

batur rectissimeque primoribus ita donata esse dicitur, ut plebs ea careret. Vetus enim Romanorum consuetudo erat, ut eorum quos subegissent populorum principibus, quo maiorem reipublicae Romanae amorem iniicerent, civitatem impertirent. Hinc natum est illud, quod olim Campanorum principibus civitatem dederant, hinc, quod in Latinis oppidis quicunque magistratum gesserant, cives Romani fiebant, hinc denique, quod qui reges quibusdam populis imponebantur, fere civitate donati et cum re Romana coniungebantur et coercebantur, qua de re pauca collegit Marin. Act. frat. Arv. p. 725. Germanorum autem et Gallorum populi cum ad imperium Romanum accederent, non saepe regibus parebant, plerique cum multis dissensionibus domesticis ita erant liberi, ut tamen in potestate nobilium ac principum essent, quibus Caesar et Augustus ipso illo, quo provinciae formam constituerunt, tempore civitatem Romanam tribuerunt. Hinc extitit ingens numerus Iuliorum, qui primo p. Chr. saeculo in Gallis et Germanis commemorantur, nec fere quisquam nobilis aut Gallus aut Germanus nominatur, quem non eo nomine usum atque ab alterutro illorum imperatorum civitate donatum esse aut certum aut probabile sit. Cf. quae ea de re in comment. epigraph. I p. 441 significavimus. Exemplo sunt, quorum mentio apud Tacitum fit. Velut Ann. III, 40 sic ait: *Eodem anno Galliarum civitates ob magnitudinem aeris alieni rebellionem coeptavere, cuius extimulator acerrimus inter Treveros Iulius Florus, apud Aeduos Iulius Sacrovir. Nobilitas ambobus et maiorum bona facta eoque Romana olim civitas data, cum id rarum nec nisi virtuti pretium esset.* En duo principes, alter ex libero populo Treverorum, alter ex foederato Aeduorum, quorum familiae ab Caesare vel Augusto civitatem Romanam habebant. Item Iulius Indus ex Treveris (Tac. Ann. III, 42) nonne in eadem causa fuit? Nec minus certe fuerunt Iulius Africanus e Santonis (Tac. Ann. VI, 7), Iulius Alpinus, princeps Helvetiorum (Tac. Hist. I, 68), Iulius Atticus speculator (Tac. Hist. I, 35), sed certe barbara origine nec ignobilis (Plut. Galb. 26), Iulius Auspex e primoribus Remorum (Tac. Hist. IV, 69), Iulius Briganticus, princeps Batavorum (Tac. Hist. IV, 70), Iulius

Calenus, tribunus militum, sed Aeduus (Tac. Hist. III, 35), Iulius Maximus e Batavis (Tac. Hist. IV, 33), Iulius Paulus ex stirpe regia Batavorum (Tac. Hist. IV, 13), Iulius Sabinus, Lingonum princeps (Tac. Hist. IV, 55), Iulius Tutor ex Treveris (Tac. ibid.), Iulius denique Vindex ex Aquitanis (Dio LXIII, 22) ipsumque Iulium Civilem, qui imperante Vespasiano ingentem Batavorum seditionem excitavit, quia regia stirpe erat cognatosque Iulios habebat, ab Augusto donatam civitatem habuisse nec recte uno loco ab Tacito Hist. IV, 13 Claudium appellari existimo. Multos autem etiam alios Gallorum principes ab eodem Augusto vel propter nobilitatem vel propter virtutem civitate donatos, in Iuliis illis, quorum inter milites Romanos mentio fit, latere censeo; nam militia principibus bellicosis et maxime placere debuit et ostentandae virtutis praemiorumque assequendorum optimam occasionem praebebat. Nec modo Gallorum, verum etiam Germanorum, qui nondum in provinciae formam redacti erant, principes civitate Romana donabantur, veluti Arminius, Germaniae liberator, quem Vell. II, 118 ait, cum popularium suorum cohortes in exercitu Romano duceret, civitatem esse assecutum. Nec minus frater eius Flavus, socer Segestes aliique propinqui nobiles, qui apud suos multum valere viderentur, idem praemium acceperant. Eorum omnium nomen ex consuetudine Romana erat Iulius, praenomen, quod eam ipsam ob causam quia omnium commune est, fere tacetur nec commemorari inveni nisi in Vindice, Gaius. Populorum quidem, quorum principes civitate donabantur, nullum observatur discrimen, ut ex foederatis et ex liberis et ex stipendiariis et ex iis denique, qui nondum subiecti erant, pariter cives Romanos factos esse videamus. Quare illorum quattuor foederatorum, quos diximus, populorum principes eam tantum ob causam existimamus prae reliquis adisse imperatorem Claudium, quod cum populi sui Gallorum essent honoratissimi optimoque iure uterentur (nullus enim in Gallia Comata erat Latinitate, nullus civitate Romana praeditus praeter colonias), facillime se quod petebant, assecuturos esse putabant.

Iam hi principes quid petebant? *Ius adipiscendorum in urbe honorum* Tacitus appellat, i. e. ut Romae quaesturam, aedilitatem, praeturam, consulatum petere itaque ad imperia, ad provinciarum administrationes, ad triumphos quique alii summi sunt in republica honores, pervenire liceret, maxime autem, quoniam illa per rei ipsius naturam non multis possunt contingere, ut qui censu sufficerent, in senatum reciperentur. Id enim ipse Tacitus significat, primum in senatu supplendo totam petitionem ortam esse narrans, tum de senatu urbi Romae suppeditando et de Venetis Insubribusque in curiam admissis et de senatoribus ex Latio et multa omnino similiter dicens, ut, quoniam etiam senatoria dignitas quodammodo pro honore est, breviter *ius honorum* appellare possimus. Equester igitur dignitas principibus illis patebat, quemadmodum ipsi Arminio eam datam esse Velleius l. l. scribit, patebant procurationes omniaque praefectorum munera, quae imperator non modo liberis, verum nonnunquam etiam libertinis hominibus deferebat: soli illi honores curules senatusque non patebant. Idque illustri exemplo, quod Tacitus commemorat, demonstratur. Is enim Cn. Iulium Agricolam illum, qui socer eius erat, ex Foroiuliensium colonia ortum fuisse scribit atque avum eius utrumque equestri dignitate procuratoremque Caesaris fuisse: patrem Iulium Graecinum, cum senatorii ordinis esset atque eloquentia excelleret, ab C. Caligula esse occisum. Quodsi Agricolae genus ab remotiore aetate vel equestri dignitate, praestitisset atque, si non honoribus, antiquitate commendaretur, certe Tacitus, ut soceri sui gloriam extolleret, narrasset: nunc eum intelligemus de Agricolae maioribus, qui ultra avum essent, vel nihil vel ea quae nollet, tradere potuisse. Quare cum avus Augusti fere aetate vixerit, probabile est eum, cum colonia Forum Iulium conderetur (cf. Comment. epigraph. I p. 315), ex Gallis popularibus esse ascitum, civitate donatum appellatumque C. Iulium, tum industria ad procurationes pervenisse. Pater autem Graecinus quoniam avus iam tantum adeptus erat, quamvis Foroiuliensium colonia iure honorum careret, singillatim ab Tiberio in senatum allectus est facilemque Agricolae filio summorum honorum cursum reliquit.

Sed, ut a iure ad homines, qui eo utebantur, perveniamus, nonne novum prorsus est, fuisse Claudii aetate multos cives Romanos, qui non plenam civitatem haberent, maximaque eius parte carerent? Quis alius veterum scriptorum de eadem re tradidit? Quis hodie virorum doctorum de hac minore quasi civitate ita disputavit, ut, quomodo orta sit, quatenus pertinuerit, qua antiquitatis similitudine illustretur, explicarit? Operae igitur pretium est, hunc locum, qui et veterum auctorum inopia obscurior et nostra negligentia prope relictus sit, diligentiore cura persequi. Qua in quaestione primum hoc examinandum esse putamus, ut Claudii aetate qui populi vel quae urbes hac civitate Romana, cui ius honorum deesset, usi sint, videamus. Ac significat aliquid Tacitus, cum eos qui Gallis adversarentur, asseverasse ait, *non adeo aegram* esse *Italiam, ut senatum suppeditare urbi suae nequiret.* Italia igitur optimam illam civitatem, qua honorum ius continebatur, habebat et quidem tota, si a gentibus illis barbaris, quae in Alpibus habitabant, discedamus, cf. supra p. 39. Nam iidem illi *Venetos et Insubres curiam irrupisse* clamitabant, quarum gentium regione quae extremae Italiae partes existimantur, constant. Ipse autem Claudius in oratione sua II, 5 quaerit, an Italicus senator potior sit quam provincialis, unde et in Italia omnes, qui civitatem Romanam haberent, et in provinciis multos honorum iure usos esse colligemus. Quamquam haec provinciarum ratio sane obscura est incertamque interpretationem habet, quod Tacitus ex Claudii oratione refert: *Num poenitet Balbos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse?* Unde si quo tempore Balbi in senatum Romanum pervenerunt, eodem Hispaniam vel qui in Hispania cives Romani essent, iure honorum donatos esse colligeremus, certe magnopere falleremur. Hoc enim quomodo intelligendum sit, docet ipse Claudius II, 9: *Ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium quam longo iam tempore senatores huic curiae confert! ut dirum nomen latronis taceam, et odi illud palaestricum prodigium, quod ante in domum consulatum intulit, quam colonia sua solidum civitatis Romanae beneficium consecuta est.* Quae inter se videntur pugnare;

nam et ex longo tempore ait ab Viennensibus senatores Romanos exhiberi et Viennam solidum civitatis Romanae beneficium paulo ante esse consecutam, cui si quid ad optimam civitatem deerat, certe nihil potest intelligi, nisi ipsum hoc, de quo agitur, honorum ius. Latronem autem et palaestricum prodigium, cuius nomen imperator silentio praetereundum esse ait, interpretes recte statuunt videri esse Valerium Asiaticum, cuius casum Tacitus Ann. XI init. et Dio LX, 27 narrant. Eum Viennae natum fuisse multisque ac validis propinquitatibus plurimum in Gallia potuisse ipse Tacitus narrat, explicans etiam, cur palaestricum prodigium vocetur: esse enim ei mollitiem corporis ab accusatoribus exprobratam. Iam iterum eum consulem fuisse Kal. Ian. anni 46 constat, primum fuisse probabile est extremis annis Tiberii. Etenim anno 41, cum Caligula occideretur, consularis fuisse traditur ab Dione LIX extr. et Ios. Antiq. XIX, 1, 20 et tanta auctoritate consularis, ut imperium ipse petere posse videretur (Ios. ibid. 4, 3). Sub Caligula autem qui cos. fuerunt, fere noti sunt neque, si tunc consulatum adeptus esset, tanta esse potuit auctoritate; at Tiberius si evexit, et dignitas intelligitur et locus, quo cos. fuerit, facile reperitur. Veruntamen quocunque anno cos. primum fuit, hoc aperte ait Claudius Viennam tunc iure honorum nondum esse usam. Quomodo igitur factum est, ut quamvis reliqui Viennenses iure honorum carerent, tamen Valerius Asiaticus in senatum atque ad honores perveniret? Beneficio, opinor, Tiberii, de quo ipse Claudius *patruus Tiberius*, inquit, *Caesar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum bonorum scilicet virorum et locupletium in hac curia esse voluit*, i. e. qui ubique in coloniis et municipiis, quae duo oppidorum genera civitatem Romanam habebant, divitiis excellerent, singillatim in senatum Romanum allegit. Neque dubium esse poterat, quin imperator pro censoria, qua perpetuo utebatur, potestate, ut ius trium liberum, ut ingenuitatem, ut civitatem donat, ita iis, qui iure honorum carerent, senatum tamen aperire honoresque impertire posset. Conferendum autem cum hoc Valerii, de quo constat, exemplo erit illud Iulii Graecini, quod supra de probabilitate expositum

est. Duplex igitur ratio erat in senatum Romanum perveniendi, una simplex ac facilis, si quis ex civitate, quae ius honorum haberet, oriundus censu sufficeret, altera longe difficilior, quae tota ex imperatorum beneficio penderet, si quis propter originem iure honorum careret.

Viennenses autem reliqui vel colonia Viennensis quando ius honorum accepit? Num ab Claudio ipso? Id non videtur esse veri simile; nam et commemorasset in oratione sua, si quid ante in eodem genere constituisset, nec antequam censurae honorem recepit, quicquam de supplendo senatu videtur egisse. Quodsi a Claudio non acceperunt, relinquitur Caligula; nam Tiberium extremis annis nihil tale, quod novum esset, instituisse arbitror, nec Tacitus, qui totam eius vitam describit, etsi unius hominis singulare beneficium facile tacere potuit, quod ad nobilem coloniam vel ad provinciam pertineret, praetermittere debebat. Caligulam autem, cum ex Britannica expeditione reverteretur, aliquamdiu in Gallia commoratum esse scimus et compluria de civitate ac senatu supplendo constituisse paulo infra demonstrabimus. Quodsi Vienna postquam Augusto et Tiberio imperantibus iure honorum caruit, Caligulae demum beneficio optimam civitatem Romanam accepit, quid de reliquis Narbonensis provinciae coloniis existimabimus? Earum nullam videmus postea meliore iure usam esse quam Viennensem, quae etsi externa erat origine (nam principes Allobrogum ibi maxime in colonorum numerum ascriptos esse docuimus in comment. epigraph. I p. 370), tamen iure Italico usa est, quod ceterarum nulla habebat, ut si ipsa usque ad Caligulam iure honorum caruit, ceteras non minus caruisse probabile sit. Quamquam quo tempore tandem ipsa accepit, eodem reliquas eiusdem provinciae colonias accepisse arbitror. Etenim anno 49 Tacitus Annal. XII, 23 Galliae Narbonensi ob egregiam in patres reverentiam datum esse scribit, *ut senatoribus eius provinciae non exquisita principis sententia iure quo Sicilia haberetur, res suas invisere liceret*; quod, si una tantum, quae propter incolarum nobilitatem praecipuo iure uteretur, colonia senatores Romam misisset, quomodo decerni poterat? Plures certe colonias eodem honore

esse oportebat, nec modo colonias aut municipia, sed etiam eos cives Romanos, qui in oppidis Latinis aut stipendiariis essent. Neque enim si Claudius Aeduorum principibus, qui ex foederato illo quidem, sed barbaro populo erant, hoc ius negandum non esse putabat, in provincia pacatissima et dudum subacta et Italiae moribus simillima non idem omnibus concessum esse oportebat. Idque significat ipse Claudius, cum ait II, 27 *solum ipsum ultra fines provinciae Narbonensis* senatores Romam mittere, in quo hoc inest, totius provinciae Narbonensis quasi solum iure honorum uti. Quamquam haec non ita disputamus, ut omnes Narbonensis incolas cives Romanos fuisse existimemus; neque enim id ad ius honorum fruendum opus erat aut probabile est, de uno hoc, quod explicamus, iure dicimus. Sed etiam ultra Narbonensem provinciam id pertinebat; nam loco, qui modo citatus est, Claudius sic pergit: *quando ex Lugduno habere nos nostri ordinis viros non poenitet.* Habebant igitur quo tempore Galliae Comatae principes imperatorem adierunt, ius honorum Lugdunenses, non unus aut alter, qui singulare hoc beneficium impetrasse viderentur, sed vulgo atque ita ut omnium esset commune ipsoque in solo inhaereret. Neque ea res per se ipsa est veri dissimilis. Nam si Viennenses, quorum peregrina ac prope hostilis erat origo, ut diximus, ad honores admittebantur, numquid Lugdunenses prohibitos esse censemus, qui, id quod illis temporibus rarum erat, militibus vere Romanis deductis constabant, qui cum in terra barbara collocarentur, non videntur ullo iure, quo antea usi erant, esse privati. Cf. Comment. epigraph. I p. 270 sq. Ideoque Lugdunum prae omnibus Galliae civitatibus semper maximam imperatorum caritatem habebat, sedes ac domicilium, si quos in Gallia versari oporteret, eligebatur, nullo non genere benevolentiae ornabatur. Eodemque deducimur ea quam paulo post exponemus opinione de iure Italico, quod Lugdunenses ab initio coloniae habuisse arbitramur. Sed praeter hos Lugdunenses nulla erat in Gallia Comata civitas, nullus populus, in quo qui essent cives Romani, ius honorum haberent eo quidem tempore, quo Claudius hanc quae extat orationem habuit, idque imperator haud dubie

significat, cum propagati extra Narbonensem iuris honorum unum hoc exemplum nominat; quodsi plura fuissent, et minor omnino in senatu dubitatio existere debuit et tanta imperatoris argumentorum auctoritas, quantam silere non posset.

De reliquis autem provinciis quid statuemus? Earum Italiae et situ et iure proxima est Sicilia, cuius condicio qualis sub imperatoribus fuerit magnopere dolendum est prorsus esse obscurum. Cui quod dictator Caesar tribuere voluerat, ius Latii, non esse ab Augusto conservatum ostendit Plinius separatim Latina oppida et stipendiaria enumerans. Sed cum civitas liberaliter paulatim extra Italiam propagaretur, dubium non est, quin imprimis Siciliae ratio sit habita. Hoc autem, de quo disputamus, honorum ius iis civibus Romanis, qui ex Sicilia oriundi essent, non multo post Augustum concessum esse intelligimus. Etenim Dio LII, 42 de senatus recensione, quam Augustus instituit, referens vetitos esse scribit senatores Italia excedere iniussu imperatoris, tum sic pergit: καὶ τοῦτο καὶ δεῦρα ἀεὶ φυλάσσεται. Πλὴν γὰρ ὅτι ἐς τε τὴν Σικελίαν καὶ ἐς τὴν Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρβωνα οὐδαμόσε ἄλλοσε βουλευτῇ ἀποδημῆσαι ἔξεστιν. Quae qui accurate interpretabitur, Augusti tempore Siciliam nondum senatoribus permissam esse videbit, at patuisse anno 49, cum Narbonensis provincia adiiceretur, Tacitus eo, qui supra citatus est, loco narrat. Uter igitur Siciliam admisit, Tiberius an Caligula? Nam nec Claudium existimo propter eam causam, quam ante attuli, nec Augustum sua ipsum instituta mutasse probabile est. Neque de Tiberio credo, qui si quicquam eiusmodi fecisset, commemoraretur a Tacito. Relinquitur Caligula, qui idem, cum peregrinationes in Siciliam permitteret, ipsos Siculos ab senatu prohibere vix poterat. Scio equidem liberae peregrinationis potestatem et ius honorum non esse necessario inter se coniuncta neque esse ostendit Dio, qui hoc vel sublato vel omnibus civibus impertito illam tamen iisdem Siciliae et Narbonensis finibus circumscriptam fuisse refert: sed sunt tamen certe illa inter se affinia nec si imperatores etiam postea reliquis provinciis interdixerunt senatoribus propter eam causam, quod et suae et publicae securitatis gratia nisi quae prorsus pacata essent, ab iis obiri

nollent (sic enim narrat Dio), non rectissime fieri potuit, ut origo interdicendi eo oreretur, quod ex quibus provinciis fieri senatores non liceret, eo ne proficisci quidem oportere iudicabant. Constat autem Caligulam liberalem fuisse in omnibus honoribus impertiendis; nam et Dio LIX, 9 eum narrat cum ordinem equestrem ex toto imperio atque etiam ex provinciis (ἐξ ἁπάσης καὶ τῆς ἔξω ἀρχῆς) suppleret, opulentissimos allegisse nonnullisque eorum, quamvis nondum honores gessissent, permisisse, ut in spem senatus veste senatoria uterentur, et Philo leg. ad. Gai. p. 1032 universos populos civitate Romana donasse. Nonne igitur senatum ex provinciis supplevit? Quod si fecit, Siciliae imprimis ratio habenda erat ac tum videtur esse institutum, quod pro exemplo quodam Claudius secutus est.

Hoc loco facere non possumus, ut coniecturam, quae nobis cum in hoc argumento versaremur, saepius oblata est, reticeamus. Etenim Augusto imperante cum respublica composita esset, universam Italiam, si quidem a paucis gentibus prope barbaris, quarum ratio negligi debuit, recedamus, non modo ad civitatem Romanam, verum ad honores admissam esse, ex provinciis autem nullam universam civitate praeditam fuisse et quae in iis civitate uterentur oppida, honorum tamen iure caruisse intelleximus. Quare nonne ius honorum proprium erat Italiae, ut recte ius Italiae sive ius Italicum appellaretur? Iam notum est ius Italicum, quod Antoninorum aetate saepius a iureconsultis Romanis commemoratur: cuius vim ac naturam cum explicaremus in comment. epigraph. I p. 482, duas maxime partes fuisse ostendimus, immunitatem et libertatem. Adiicere nunc solent viri docti de dominio ex iure Quiritium aliaque quaedam minora, quae non tam iure quam consuetudine aliter in Italia, aliter in provinciis constituebantur. Ad haec nonne addendum est hoc de quo disputamus ius honorum? Videatur sane; proprium certe Italiae fuisse diximus et quidem eo ipso tempore, quo ius Italicum natum est. Nam si verum est, quod non sine probabilitatis aliqua specie coniecimus, iuris Italici, cuius neque in libertate ulla mentio fiat et apud Plinium in naturali historia Augusti

instituta referentem non dubia vestigia reperiantur, auctorem esse Augustum originemque fuisse hanc, ut colonis Italicis, qui extra Italiam deducerentur, primum daretur, item illud intelligemus, si qui cives Romani, qui ius honorum antiquitus haberent, in provinciis collocarentur, iis id non potuisse eripi, praesertim cum ad dignitatem fere, ad utilitatem quidem longe minus quam immunitas, quam concessam esse constat, pertineret. Quare Philippensibus et Cassandrensibus et Diensibus et nonnullis aliis coloniis, in quas coloni ex Italia deducti sunt, ab ipso initio cum immunitate et libertate hoc quoque honorum ius vel impertitum vel relictum esse arbitramur, item Lugdunensibus, quos origine vere Romana fuisse diximus; Viennenses quidem, qui extrinsecus ad civitatem Romanam pervenerant, postea eo donatos esse vidimus. Quamquam ex iis, quae disputavimus, eam huius iuris naturam fuisse apparet, ut non necessario cum immunitate ac libertate coniungeretur; certe enim imperatores cum Galliae Narbonensi, cum Aeduorum principibus, cum reliquis deinceps provincialibus hominibus honorum cursum patefacerent, neque aerarium neque fiscum damno affici voluerunt; sed ita erat comparatum, ut quae urbes iuris Italici essent, eaedem ius honorum haberent, sed non, quae honorum ius, eaedem immunitatem ac libertatem. Atque Augusti quidem aetate, cum nec onera publica nimis molesta essent et senatoria dignitas magna esse videretur, haud scio an fieri potuerit, ut qui carentes immunitate et libertate honorum tamen ius haberent, Italiae ius habere dicerentur. Sic explico quod Plinius nat. hist. III, 25 in Hispania Accitanis et Libisosanis, quos neque immunes neque liberos fuisse comperimus, ius Italiae tribuit et quod III, 139 Liburnorum quorundum ius Italicum commemorat: utroque loco hoc honorum ius tunc Italiae proprium latere existimo. Postea quidem propagato per totum imperium iure honorum haec pars iuris Italici periit, neque praetermitti eam ab iureconsultis mirari debemus.

Sed haec de iure Italico coniectura est (neque enim dissimulamus neque quod rebus demonstrari non potest, verbis confirmamus), quam ideo viris doctis proponendam esse putavimus, ut diligentius eam examinent ac num forte aliis argu-

mentis aut auctoribus comprobetur, quaerant: illud autem constat, hoc, quod in oratione Claudii et ab Tacito commemoratur, ius honorum Augusti aetate Italiae finibus ita esse coercitum, ut ad paucas quasdam colonias ex Italia propagatas pertineret, tum a Caligula Siciliae et Narbonensi Galliae, denique ab Claudio Aeduorum principibus esse concessum. Etenim postquam imperatoris orationem retulit, sic scribit Tacitus: *Orationem principis secuto patrum consulto primi Aedui senatorum in urbe ius adepti sunt. Datum id foederi antiquo et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.* Quae verba nescio quo pacto interpretum ingenia vexarunt nec satis recte nunc videntur explicari. Nam Lipsius quidem cum in Taciti editione nihil addat, ad Senecam de benef. VI, 19 Galliae Comatae plenam civitatem cum iure suffragii tunc datam esse existimat, et universam Galliam Comatam perperam nominans et civitatem commemorans, cum de quattuor tantum populis et de iure honorum agatur. Alius dupliciter Tacitum intelligi posse ait: aut enim hoc eum dicere, tunc quidem ius honorum tantum Aeduorum primores adeptos esse, non reliquos Galliae Comatae principes: his postea aliquando idem ius obtigisse; aut hoc, omnes Galliae Comatae primores quod ius honorum expetissent, esse consecutos, sed primos ex iis Aeduos nominatos. Equidem alteram hanc rationem parum rectam esse intelligo. Quantulum enim erat, si primi enumerarentur Aedui! Nec si omnes qui petierant, eodem tempore et uno senatusconsulto ius honorum consecuti essent, ordinem quo consecuti essent, servari quicquam referebat. Falluntur autem omnino, quod Claudium oratione quam in senatu recitavit, hoc egisse statuunt, ut omnibus, qui imperatorem adierant, honores senatusque patefierent. Immo cum reliqui senatores neminem ex populis devictis admittere vellent seque iis, qui quondam nominis Romani hostes fuissent, exaequari indignarentur, ille in senatu morem Romanum recipiendorum in civitatem hostium, quo respublica crevisset, exposuit paulatimque, ut olim, omnibus, non tantum iis qui tunc petissent, senatum aperiendum esse docuit. Nihil ille prorsus aut de omnium Gallicorum populorum aut de foede-

ratorum principibus dixit, ut contra principis orationem senatus, cum solos Aeduos in senatum vocaret, decrerit, sed omnes ita admitti posse demonstravit, ut certe merita animumque cuiusque in rempublicam spectanda esse censeret. Senatus igitur consultum in hanc fere sententiam factum esse arbitramur, ut, quoniam antiqua populi Romani consuetudo fuisset, omnes paulatim populos ad civitatis honorumque communionem admittere, Aedui, qui vetustissima amicitia coniuncti essent, ad honores rite petendos admitterentur; ceteris si foederis fidem servassent, eadem fortasse spes facta. Atque hoc ita solita iudicii elegantia intellexit I. A. Ernestius; nam quod quidam recentissimi editores cum pravo acumine distinxerunt, ius honorum ipsum omnibus principibus, qui petierant, datum, sed primos Aeduos vere esse ad honores admissos, refutari non opus est. Nec vero negarim postea Lingonum quoque, Remorum, Carnutorum principibus idem ius datum esse, sed datum est aliis Sconsultis, de quibus cum semel quid sequi oporteret constitutum esset, dubitari non poterat. Sed persequi haec ne incertis quidem vestigiis licet: adeo historiae Romanae auctores et ipsius civitatis et huius iuris propagationem silentio tegunt, nec singula senatorum ex provinciis oriundorum exempla colligere quicquam attinet, propterea quod in iis, quorum patria iure honorum careret, beneficium tamen imperatoris singulare intercedere potuisse Valerii Asiatici exemplum, quod supra expositum est, ostendit. Quare etiamsi imperatorem Traianum ipsum constat fuisse Hispanum patremque eius non modo consulatum triumphique insignia accepisse, verum etiam in patriciorum numerum ab Vespasiano esse ascitum, et Hadriani avum Marullinum, item Hispanum, scimus ex familia sua primum populi Romani senatorem fuisse (Spart. Hadr. init.), tamen vix inde tuto colligere licebit, Neronis vel Claudii aetate universae Hispaniae vel certe Traiani patriae Italicae ius honorum esse datum. Quamquam probabile sane est, postquam Narbonensis Gallia optimam civitatem Romanam est adepta, ne Hispaniam quidem ac maxime Baeticam, quae semper cultu ac moribus Italiae proxima habita est, diu iure honorum caruisse: quod si Nero non dedit, qui superbiae Ro-

manae erat retinentior, propagari certe coeptum est, ex quo Vespasianus quique ei successerunt imperatores ipsam civitatem liberalius peregrinis populis impertiendam esse intellexerunt. Quo de genere quaedam supra, ubi de iure Baeticarum civitatum disputavimus, exposita sunt. Sed ultra haec persequi non magis placet quam quo tempore Africae et Graeciae et Asiae et barbararum nationum civitates ad senatum honoresque admissae sint ostendere. Illud quidem perspicimus exeunte saeculo p. Chr. altero cum M. Aurelius Antoninique imperarent, exaequatis inter se omnibus civibus Romanis nullum amplius fuisse ius honorum quorundam peculiare; nam iureconsulti, qui illa aetate scripserunt, nihil de eo commemorant Ulpianusque (Dig. I, 9, 11) sine ulla exceptione, quicunque senator Romanus in aliqua civitate sit, eum muneribus municipalibus liberari docet. Effectum igitur tunc est, quod Dio LII, 19 Maecenatem facit Augusto, cum imperium capesseret, suadentem τούς τε γενναιοτάτους καὶ τοὺς ἀρίστους τούς τε πλουσιωτάτους ἀντεισάγαγε, μὴ μόνον ἐκ τῆς Ἰταλίας, ἀλλὰ καὶ παρὰ τῶν συμμάχων τῶν τε ὑπηκόων ἐπιλεξάμενος, quod ille non Augusto praescripsit, sed omnibus imperatoribus propositum fuisse ait, ut civitate honoribusque cum omnibus communicatis unum ac firmum imperium efficerent. Ultimi autem omnium senatoriam dignitatem adepti videntur esse Alexandrini, quibus Caracallum demum, qui idem civitatem Romanam omnibus ingenuis impertivit, hoc ius tribuisse Dio LI, 17 scribit.

Sed ipsum honorum ius, quod Claudio imperante Aeduorum principibus datum est, quale fuerit, pluribus considerandum est. Num uno illo continebatur, ut aditum senatus Romani patefaceret? Videtur sane id indicare Tacitus, cum senatores illos, qui Gallis adversabantur, sic dicentes facit: *fruerentur sane vocabulo civitatis, insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent*, qui si quid etiam aliud in eo fuisset, videntur afferre debuisse. Fuerit igitur hoc tale Claudio imperatore, sed an ante eum maius fuerit ac plura comprehenderit, magnopere quaeritur. Quare, ut ab Augusto et Claudio ad inferiorem imperatorum aetatem processimus, ita faciendum esse putamus, ut ad antiquiora tempora regrediamur, numquid

ea vel de civitate Romana vel de aditu senatus Romani, quod huc pertinere videatur, doceant. Qua in quaestione dolendum est, quod Tacitus in Claudii oratione nihil quod nos adiuvet, affert: qui quoniam hoc demonstrare vult, in republica Romana qui armis victi in imperium pervenissent, paulatim ad omnia iura omnesque honores esse admissos, non unum hoc honorum ius quomodo propagatum sit, persequitur, sed ipsam etiam civitatem victis populis impertitam commemorat. Ad illud pertinent quae habet haec: *Neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, et ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque et omni Italia in senatum accitos*, ad civitatem Romanam, quae consequuntur: *postremo ipsam ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terrae, gentes in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies et adversus externa floruimus, cum Transpadani in civitatem recepti, cum specie deductarum per orbem terrae legionum additis provincialium validissimis fesso imperio subventum est.* Ex quibus quae de iure honorum sunt, nihil aut novi aut quod ad haec tempora pertineat, afferunt. Sed dictatorem Caesarem constat unum maxime de civitate Romana fecisse: Transpadanos enim omnes, i. e. eos Italiae incolas, qui lege Iulia iisque quae consecutae sunt legibus nondum cives facti erant (qua de re supra p. 30 diximus), in civitatem transtulit (Dio XLI, 36) vel transferre coepit. Nam quoniam Tacitus, quo tempore Transpadani reciperentur, solidam domi quietem fuisse ait, Augustum potius quam Caesarem dici existimo atque illum quod pater inchoaverat, consummasse. Hi autem Transpadani num optimam civitatem, qua ius honorum continebatur, acceperunt? Videntur certe. Cum enim Caesar ideo maxime iis civitatem conciliaret, ut suam in republica potentiam augeret atque in senatu comitiisque certos haberet amicos, nisi ius honorum addidisset, quod maxime voluerat, non esset assecutus. Accedit, quod Augusto imperante, qui fere patris instituta executus est, Transpadanos omnes in curiam admissos fuisse supra docuimus. Erat autem omnino Caesar in optimo civitatis genere donando liberalissimus eaque re Romanorum animos non leviter commovit. Quare Suetonius Caes. c. 76 inter

cetera eius dominationis documenta hoc affert: *Civitate donatos et quosdam e semibarbaris Gallorum recepit in curiam*, quem locum nisi qui cogitabit, si qui peregrini civitate donarentur, iis ius honorum tribui non censuevisse, intelligere non poterit. Nunc Caesarem videmus eo in morem Romanum peccasse, quod cum alios, Graecos opinor et Hispanos, tum Gallorum principes, simul et cives Romanos et senatores fecit. Hinc illud Ciceronis dictum extitit, quod refertur ab Macrob. Saturn. II, 3 et illa, quae Suetonius c. 80 narrat, de libello proposito, ne quis novo senatori curiam monstrare vellet, et carmen, quod vulgo de Gallis braccatis, qui latum clavum sumpsissent, canebatur. Cf. Dion. XLII, 51 et XLIII, 27 et 47. Atque unus eiusmodi senator nominatur ab auctore bell. Afric. c. 28, Titius quidam, Hispanus natione, qui si nomen recte legitur, civitatem tamen ipsam iam ante Caesarem videtur esse consecutus. Singillatim igitur si quem vel divitiis vel virtute bellica insignem ex provincialibus animadvertisset, ei pro potestate sibi legibus permissa senatoriam dignitatem et honores tribuerat, universis civitatibus praeter Transpadanos non tribuerat. Horum autem Transpadanorum (utor enim eo nomine ad regionem significandam) ante Caesarem duo fuerant genera, unum eorum, qui ex oppidis Latinis aut sociis erant, qui cum vel magistratibus gerendis vel nobilitate, divitiis, aliis virtutibus civitatem Romanam adepti essent, eodem iure esse debebant, quo qui ex veteribus coloniis Latinis ante legem Iuliam ad civitatem pervenerant, de quibus paulo post disputabimus. Alterum genus erat ex municipiis, quae lege Iulia facta erant, quos non minus quam reliqua municipia, quae ex coloniis Latinis vel aliis sociorum oppidis cis Padum extiterant, optima civitate, ut ad honores et in senatum admitterentur, usos esse et ex iis quae diximus, probabile est et infra pluribus exponemus. Nunc hoc maxime agendum est, ut quae rationes ante legem Iuliam in Italia fuerint intelligamus, ex quibus et ipsum ius honorum quam naturam, quam vim habuerit, perspicietur et quod antiqua aetate ex necessitate prope ortum sit, cum incredibili constantia ad remota imperatorum tempora conservatum esse apparebit.

Iam ante legem Iuliam, si ab municipiis et coloniis vere Romanis interim discedamus, duo hominum vel civitatum genera in Italia erant, unum earum, quae Latinitate utebantur nomenque Latinum efficiebant, alterum earum, quae aliis foederibus cum imperio Romano coniunctae communi sociorum nomine comprehendebantur. Utrorumque igitur ius quale erat? Non dicemus de connubio et commercio, quod utrum Latinis fuerit necne, magnopere viri docti dissentiunt, sed publicum tantum ius tractabimus, quo ut contineamur ius honorum, a quo disputatio nostra profecta est, suadet. Ac de Latinis quidem unam rem, quae ad eorum ius pertineat, exposuimus supra p. 291 in commentario de tabulis Hispanicis, ubi hoc iis datum esse docuimus, ut, si Romam urbem incolerent, in una iis tribu ante suffragia ab eo qui comitiis praeesset, sorte ducta suffragium ferre liceret. Carebant igitur non prorsus suffragii iure Latini, sed ita habebant, ut voluntas eorum cognosceretur, in republica nihil valerent; quare usus dicendi hic est, ut communiter Latini carere suffragio dicantur nec quisquam unquam veterum auctorum hoc quod unam tribum habebant, ita interpretatus est, ut iis ius suffragii tribueret. Quamquam quam prope civitatem fuerint apparet nec mirum videri debet hoc, quod Livius XLI, 8 narrat. Etenim anno 177 a. Chr. Latinorum querelas apud senatum Romanum commemorans legem fuisse ait, ut, qui Latini stirpem ex se domi relinquerent, iis civitatem Romanam consequi liceret. Nimirum ex coloniis Latinis (nam eae fere solae tunc ex nomine Latino nondum in civitatem Romanam transierant) plurimi Romam migrabant et quoniam lex dabat, ut si filium ad sortem colendam oneraque coloniae ferenda domi reliquissent, cum varia fraude et populi Romani, cui cives, quos legibus esse non liceret, obtruderent, et coloniarum, quibus colonos subtraherent, efficiebant, ut in urbe censi tribum acciperent itaque in civitatem Romanam ipsam irreperent.

In quo primum minuendus est error, qui nuper induci coeptus est, non Latinorum illud ius proprium fuisse, sed omnium sociorum Italicorum commune. Quod quis potest credere? Maximum enim hoc, opinor, ius erat Latinorum, quo

nihil magis efficiebat, ut proximi civitatem Romanam esse viderentur: hoc contenti, etsi omnes civitatem potentiamque in republica concupiscebant, nunquam tamen ad arma descenderunt, nunquam ab imperio desciverunt. Atque Latinis quidem quomodo tantum dari potuerit, intelligitur. Etenim si iis, qui domicilium in colonia sua retinerent nec Romae per censum in tribus pervenissent, tamen in urbe commorantibus una tribus, in qua suffragium ferrent, aperiebatur, consentaneum erat, ut, si relicta colonia translatisque omnibus opibus in urbe consedissent, ipsa optima civitas pateret: cum reliquis autem sociis ullam omnino suffragiorum partem communicatam esse nec legimus usquam nec, si municipii Malacitani, ad cuius comitia peregrini nullo modo admittebantur, similitudinem sequamur, probabile est. Quibus cum illa suffragiorum quaedam quasi communio occlusa esset, quomodo hunc facillimum aditum, quo omnia subito civitatis Romanae iura impertiebantur, patuisse putabimus? Nec certe, si olim Italicis sociis, quorum foedera varia, partimque certe minime aequa erant, tantum dabatur, postquam saepe aequissimis foederibus imperium Romanum extra Italiam propagatum est, his provinciarum sociis non idem tribui debuit necessarioque eo deveniemus, ut partem aliquam suffragiorum cum omnibus sociis communicatam esse statuamus, id quod non tantum cum omni scriptorum auctoritate, verum etiam cum ipso more Romano videtur pugnare. Nec vero illa opinio nititur nisi prava Livii interpretatione. Apud quem quae sunt: *Moverunt senatum et legationes socium Latini nominis*, ita explicant, ut non modo Latinos, verum etiam reliquos socios ad senatum adisse existiment, eique opinioni ut patrocinentur, afferunt hoc, quod post Latinorum, qui Romam migrarant, iniuriam commemorantur a Livio Samnitium Pelignorumque querelae, qui quattuor milia familiarum ab se Fregellas, i. e. in coloniam Latinam, transisse dixerunt. Quasi vero, cum Latinos solos nominasset, tamquam supplementi loco Livius reliquorum sociorum similes querelas commemorare non potuerit ac necesse sit, cum sociorum iniuriam ita adiungat: *Fregellas quoque milia quattuor familiarum transisse ab se Samnites Pelignique querebantur*, eos etiam ab initio narrationis, quo totum rei quasi genus

explicat, nomine comprehendat. Ipsa adeo haec de Samnitibus Pelignisque narratio nobis quidem aliter videtur docere. Nam si iis, ut reliquis sociis, eadem facilitate qua Latinis licuisset Romam migrando civitatem Romanam adipisci, cur non qui sua oppida relinquere vellent, Romam potius quam Fregellas transierunt? At id cum nullo modo liceret, interim in coloniam Latinam migrando melius ius consequi studebant. Quare cum illa, quae de Samnitibus Pelignisque sunt, quasi parenthesis locum obtinere videantur, necessario paulo post legemus: *Lex sociis nominis Latini, qui stirpem ex sese domi reliquerant, dabat*, itemque c. 9, ubi nova lex iniuriae tollendae causa lata commemoratur: *Qui socii nominis Latini ipsi maioresque eorum M. Claudio T. Quinctio censoribus postve apud socios nominis Latini censi essent, ut omnes in suam quisque civitatem ante Calendas Novembris redirent*, non *sociis ac nominis Latinis* et *qui socii ac nominis Latini*, quod edi solet. De Samnitibus Pelignisque quid senatus decrerit, Livius non narrat neque id opus erat. Nam dispar erat causa Latinorum et ceterorum sociorum. Illi, qui ad civitatem pervenisse viderentur, nisi lege lata in colonias remitti non poterant, eamque legem afferri oportebat; horum qui in colonias Latinas transierant, etiam sine senatusconsulto ab iis, qui Italiae praeerant, oppidis suis reddebantur nec dubitari debet, cum totum iniuriae genus semel publice tractatum esset, quin magistratus Romani sua sponte obviam iverint.

Sed etiam alia de hoc Latinitatis iure, quod exponimus, opinio refellenda est. Non loquor de Savignio, qui (in Opusc. var. T. III p. 299) hanc civitatis adipiscendae rationem lege Iulia sublatam atque illud pro ea introductum esse putat, ut magistratibus municipalibus gerendis civitas obtineretur, qua de re paulo infra pauca disputabimus. Sed Nic. Madvigius de iure colon. (in Opusc. Acad. I p. 272) perpetuam fuisse legem negat, qua Livius Latinis, qui in urbem migrassent, civitatem datam esse scribit, nec omnino credere videtur de illa, quae Latinis fuerit, civitatis Romanae possessione, cuius usus certae alicuius habitationis condicione astrictus fuerit. Nec certe promiscue Latinis Romam commigrandi civitatisque

Romanae consequendae facultas dabatur, sed duo praescripta fuisse Livius significat, primum ut ne quis in urbem migraret, ibique domicilium suum collocaret, nisi qui stirpem ex se domi relinqueret (id enim integritas oppidorum poscebat atque in coloniis etiam alia instituta fuisse existimo, quibus sortium confusio prohiberetur), deinde, ut qui transissent, Romae censerentur, qua de re postea plura dicemus. Perpetuam autem illam legem fuisse negat Madvigius maxime propter ea, quae apud Liv. XXXIX, 3 narrantur. Querebantur anno 187 a. Chr. Latini *magnum multitudinem civium suorum Romam commigrasse et ibi censos esse*; tum *Q. Terentio Culleoni praetori negotium datum est, ut eos conquireret et quem C. Claudio M. Livio censoribus* (anno 204) *postve eos censores ipsum parentemve eius apud se censum esse probassent socii, ut redire eo cogeret, ubi censi essent.* Hinc igitur vir doctus hoc quidem anno colligit non fuisse legem, ut qui Latini Romam migrassent, civitatem adipiscerentur: quare cum anno 177 legem eam fuisse tradat Livius, necesse est hoc decem annorum spatio lex illa et lata et abolita sit, id quod nec traditur nec per se ipsum probabile est. Nos quidem Livii auctoritate non ita abutemur, nec quicquam ab eo, quod fuisse illam legem nullam ostendat, tradi existimamus. Etenim si erat lex Latini nominis, ut, qui in urbem migrasset, censu civitatem Romanam acciperet, num item lex erat, quae Latinos quicunque in urbem migrarent, recipi utique atque admitti iuberet? Si quis esset receptus et Romae habitaret et tribum haberet, quamvis Latinae originis esset, quin civis esset, non erat dubium, sed non necesse erat, quivis in urbem admitteretur. Veluti hac aetate apud nos, qui nullum civitatis discrimen novimus, lege licet omnibus in quocunque oppido velint considere, atque ex uno oppido in alterum migrare; sed ea lex non efficit, ut, quicunque in oppido velint habitare, sint utique recipiendi atque in novam civitatem admittendi. Eandem vel similem Latinorum condicionem in Romana republica fuisse hic Livii locus non obscure ostendit. Vetus lex erat, qua Latinis, si in urbem migrassent, civitas dabatur; quare cum multi Romam migrassent, sine dubitatione a censoribus recipiebantur in tribus, quos aut stultos aut admodum

in munere fungendo negligentes fuisse statuunt, qui hoc admisisse putant, ut multos, quos non fuisse cives Romanos reperirent, contra leges in tabulas censorias referrent. Facti igitur erant multi Latini cives Romani, cum illae coloniarum querelae apud senatum extiterunt oppida sua deseri dictitantium; videbant etiam senatores nimis urbem crescere magnamque eo inopum hominum (nam hos praecipue immigrasse credibile est) confluere: constituerunt igitur novos cives repudiare neque ultra tantam multitudinem admittere; nam quin singuli divites homines, quibus lege liceret, etiam postea a censoribus recepti sint, non debet dubitari. Atque haec ita acta esse Livius ipse indicat, quippe qui nihil de lege violata habeat, sed tantum multitudinem urbis exhauriendam fuisse dicat. Nam decem annis post, cum tamen per fraudem multi irrepsissent, et fraudem commemorat et poenam, si qui non paruissent, additam esse scribit. Illud unum quaeri possit, illi, qui remissi sunt in colonias, num civitatem Romanam, qua aliquamdiu usi erant, amiserint. Nihil de ea re Livius significat, sed more Romano non amiserunt.

Nec magis cum hoc, de quo disputamus, Latinitatis iure pugnat, quod saepe cum alii socii tum Latini urbe exire iussi sunt; nam hoc alterum argumentum Madvigius affert. Equidem duplex omnino eiectionis genus apud scriptores commemorari reperio. Primum enim, ubi de rebus magnis ac gravibus maximeque ad commoda sociorum pertinentibus comitia instabant, vetus videtur fuisse consuetudo, ut consules si verentur, ne propter hominum multitudinem suffragia confunderentur vel turbae existerent, ex Sconsulto peregrinos omnes, qui iure suffragii carerent, tamdiu, dum suffragia lata essent, urbe excedere iuberent. Sic enim scribit Appianus bell. civ. I, 23 factum esse anno 122, cum C. Gracchus legem de civitate Latinis danda et de iure suffragii ceteris sociis impertiendo promulgasset multique undique ex Italia ad diem comitiorum confluerent, decresse senatum, edicerent consules: μηδένα τῶν οὐ φερόντων ψῆφον ἐπιδημεῖν τῇ πόλει μηδὲ προσπελάζειν ἀπὸ τεσσαράκοντα σταδίων παρὰ τὴν ἐσομένην περὶ τῶνδε τῶν νόμων χειροτονίαν. Minus accurate de eadem re Plutarchus

C. Gracch. c. 12 refert. Neque inutile tale edictum fuisse ostendunt, quae Plut. C. Gracch. c. 3 de concursu Italicorum, qui primum C. Gracchi tribunatum adiuverunt, et Appianus bell. civ. I, 10 de Ti. Gracchi tribunatu, et Sallust. Iug. c. 40 de rogatione Mamilia perlata narrant, quibus omnibus locis nihil tamen legitur, unde Latinos etiam eos, qui censu in civitatem recepti essent iamque vere pro civibus Romanis haberentur, urbe eiectos ac civitate privatos esse colligamus. Antiquissimum quidem huius generis exemplum est apud Dionys. VIII, 72, qui ab C. Cassio consule legem agrariam ferente arcessitos esse scribit Latinos et Hernicos ἐπὶ τὴν ψηφοφορίαν i. e. non ad suffragia ferenda, sed ut comitia vi ac suffragiorum confusione perturbarentur; ipse enim βίαν καὶ χειροκρασίαν, qua Cassius uti voluisset, ante commemorat. Quo facto collega eius Proculus Verginius edixit, ut intra certam diem urbe excederent οἱ μὴ κατοικοῦντες ἐν τῇ πόλει, contra adhortante Cassio, manerent in urbe οἱ μετέχοντες τῆς ἰσοπολιτείας i. e. non qui ius suffragii haberent (hoc enim nec Latinis Hernicisque ex Cassii foedere fuisse censeo nec, si fuisset, edicto consulis iure suo privari poterant), sed quibus propter eam, quae ἰσοπολιτεία dicitur, manendi in urbe ius esset. Quae cum ita sint, in his eiectionibus, quae ad tempus fiebant, nihil videtur esse, cur de iure Latinitatis, quod exponimus, dubitetur.

Alterum eiectionis genus erat, cum iis, quibus in ea commorari non liceret, in perpetuum urbs purgabatur, de quo genere universo dicit Cicero de off. III, 11: *Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper. Num esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere, quam legem tulerunt sapientissimi consules Crassus et Scaevola, usu vero urbis prohibere peregrinos sane inhumanum est.* Distinguit igitur Cicero, cum versari quaestumque in urbe facere prohibebantur, qui non erant cives Romani, et cum civitas ipsa artioribus quasi terminis saepiebatur. Illuc pertinent duo illa exempla annorum 187 et 177 a. Chr., quae supra ex Livii auctoritate allata sunt, cum remittendorum in oppida sua Latinorum hae duae causae fuisse narrantur, primum ne coloniae desererentur oneribusque feren-

dis impares fierent, deinde ne urbs ipsa alienigenarum multitudine compleretur. Improbat id Cicero, non tam eam ob causam, ut opinor, quod multitudinem urbium aliis naturae ipsius rationibus vel augeri vel minui legibusque parum in ea re profici intellexerat, quam quod, cum urbem commigratione gentium et extitisse et crevisse videret, antiquum hunc morem deponi nolebat: sed quacunque de causa improbabat, hoc apparet, quae leges de peregrinis urbe prohibendis scriptae essent, nihil prorsus ad hoc Latinitatis ius, quod perspicuo Livii testimonio demonstratur, pertinuisse. Potuissent sane eo pertinere alterae leges, quibus qui cives non essent, civitate prohibebantur: sed eae nec quales fuerint, traditur, nec, si probabilitatem sequi volemus, videntur pertinuisse. Quibus si Latinitatis ius, quod antiquitus conditum erat, esset immutatum, nonne tantae rei apud scriptores reperiretur significatio? Deinde earum praecipuam latam esse ait ab sapientissimis consulibus et latam eo tempore, quo propter ipsam civitatem maximum bellum immineret: quomodo igitur aut illi mutando iure stultissime animos sociorum commovissent aut si tamen commovissent, Cicero, qui tempore remotior totius rei decursum contemplaretur, probare id posset? Nihil igitur ne in hoc quidem altero legum genere fuisse iudico, nisi quod aut ad fraudes quas multiplices in ea re versatas esse ex iis, quae supra dicta sunt, apparet, tollendas aut ad ea, quae dubia in iure essent, severius sancienda pertineret; velut, si quod paulo ante attulimus, statueretur, ne, quicunque Latini Romae collocare domicilium ac censu ad civitatem pervenire vellent, recipi utique in urbem omnes necesse esset, nec ius ipsum Latinitatis mutabatur et severius de civitate impertienda sanciebatur. Legum autem illarum, quas Cicero nominat, prima erat M. Iunii Penni, trib. plebis ann. 126 (Cic. Brut. 28; Fest. s. v. republ.), de qua nihil traditur nisi C. Gracchum, qui iam tum sociorum Italicorum ope rempublicam agitare statuisset, frustra restitisse, altera ex Sc. lata ab L. Licinio et Q. Mucio, cos. ann. 95, quo tempore iam de civitate sociis danda vehementer certabatur, eo videtur spectasse, ut qui non essent cives quosque fieri legibus non liceret, cum reliquo iure civitatis, tum suffragiis ferendis prohiberentur, unde no-

men ei datur *de civibus regundis* (Cic. p. Corn. fragm. 10). Neque enim scholia Bob. p. Sest. p. 296, in quibus negligentius scriptum est, iussos ea esse socios et Latinos in civitates suas redire, ita interpretabimur, ut hoc eius praecipuum caput fuisse putemus. Fuerit haec quasi quaedam legis accessio, sed praecipuum fuisse, ne qui non essent cives, pro civibus se gererent, et Cicero eo quem diximus loco, aperte indicat, et pro Balb. 21 ex ea de civitate quaesitum esse narrat, et ibid. 24 quod lege Servilia qui quem repetundarum damnasset, civitate donabatur, id non reprehensum, et denique similiter Brut. 16. Recentissima autem est lex Papia, anno 65 a C. Papio lata, trib. plebis, quo tempore communicata dudum cum omnibus Italicis civitate Romana de iis solis, qui extra Italiam habitabant, utrum cives Romani essent necne agebatur. Itaque scriptum in ea fuisse ait Dio XXXVII, 9, ne quis eorum, qui tunc pro peregrinis haberentur i. e. qui extra Italiam oriundi essent, in urbe versaretur, quod ipsum caput Cicero l. c. improbat; sed praeterea iudicium ac poenam constituta esse in eos, qui non recte civitatem usurparent, idem Cicero significat, qui eam legem in causa Archiae, Antiocheni genere (Cic. p. Arch. 5; schol. Bob. p. 354), et Mamertini hominis (p. Balb. 23) et denique Graecorum hominum (ad Att. IV, 16 et in Rull. I, 4) commemorat; eadem num nova quaedem de civitate, qui haberet, qui non haberet, sancita sint, incertum est nec apud Valer. Max. III, 5 Papiam legem librarii vel potius ipsius scriptoris culpa recte nominari omnes consentiunt.

Summa igitur disputationis nostrae huc redit, legem fuisse et perpetuam (neque ea de re qui Liviana verba *lex dabat* recte ac sincere interpretaretur, unquam dubitare debuit) et veterem, quae Latinis, si Romam migrassent, optimam civitatem adipisci permitteret, vel potius non peculiarem de eo iure legem esse latam, sed fuisse illam ipsam, qua olim cum Latinis foedus initum est. Sed illud tenendum est, censuram intercedere oportuisse, qua Latinis, qui antea tribu caruissent, certa tribus, in qua suffragium ferrent, assignaretur. Nam hoc utique addit Livius, censos eos accepisse civitatem, censorum tempore qui pro civibus habendi, qui non habendi essent, de-

finit, censoribus denique mandatum esse scribit, ut quos recipi non placeret, in oppida remitterent: cui rei magna fides adiicitur ex iis, quae lege Iulia per Italiam instituta esse infra dicemus. Atque in hac censurae necessitate interitus totius huius iuris continetur. Nam postquam Sulla censuram sustulit, quoniam nullus census agebatur, ne in civitatem quidem amplius Latini transferri poterant periitque totum ius nulla lege nova lata, nulla iniuria Latinorum: ubi restituta ab Pompeio censura convaluit, continuo censores de Latinis in civitatem recipiendis dissidere coeperunt (cf. supra p. 38), dum tandem quicunque in Italia fuerant Latinae condicionis, in civitatem recepti sunt. Qui autem extra Italiam erant Latini, poterant illi quidem multis modis ad civitatem pervenire magnamque in ea re Romanorum liberalitatem fuisse scimus; haec autem ratio in urbem migrandi tota pendebat ex imperatore, ad quem sublata censura potestas censoria pervenerat, qua singillatim quoscunque in urbem admittendos esse putaret, simul in civitatem Romanam recipere licebat.

Atque hic quidem Latinis ad civitatem Romanam aditus patebat in urbem Romam transeuntibus, sed patebat etiam in patria manentibus. Non dicam de praemiis Serviliae aliarumque legum (Cic. p. Balb. 24), quae iis, qui civem Romanum repetundarum condemnassent, civitatem largiebantur, sed quod postea in coloniis civitatibusque Latinis constituendis fieri videmus, ut qui in quoque oppido sint principes, ii civitate Romana donentur, qua de re diximus in comment epigraph. I p. 308 et supra p. 277, idem iam antiquis temporibus ante legem Iuliam consuetudinis fuit. Nam quod dictatori Caesari, cum Novum Comum, Latini iuris coloniam, conderet, lege datum esse scimus, ut quingentos cives Romanos faceret, num recens tunc inventum esse putabimus? An vero, quod in vetere more esset, concessum esse arbitrabimur? Quo ille ambitiose uteretur, ut pluribus quam liceret, civitatem impertiret, sed ipsa consuetudo erat antiqua, idque eo magis statuemus, quod in veteres colonias Latinas multos constat ascriptos esse cives Romanos, ex ipsa urbe vel ex municipiis civitate praeditis oriundos, qui si copiam novae coloniae pristinae inopiae

praeferrent, civitatis Romanae partem quasi publicam, qua ne Romae quidem uti statuissent, (multos enim saepe, cum in senatum pervenire liceret, inter equites constitisse scimus neque ius suffragii, quo magis respublica augebatur, tanti esse poterat), hanc igitur partem civitatis facile negligerent, sed quis aut rempublicam tam severam aut ipsos colonos iuris sui tam incuriosos fuisse existimat, ut totam civitatem abiicerent? Itaque in coloniis Latinis condendis non modo cives Romanos, qui ascriberentur, civitatem retinuisse, verum etiam principes reliquos accepisse censeo, nec certe recte fecerunt, qui quod Q. Fulvius Nobilior, cum Potentiam et Pisaurum colonias deduceret (Liv. XXXIX, 44), Q. Ennium poetam civitate donasse narratur (Cic. Brut. 20), utramque coloniam Romanam, non Latinam fuisse collegerunt (Madvig. de iure colon. Opusc. I p. 253).

Cohaeret autem cum hac re alterum, quod sine illa intelligi vix possit. Cum enim quicunque in coloniis Latinis principes erant, ab ipsa origine cives Romani essent, lex Latinitatis sanciebat, ut qui in colonia Latina magistratum municipalem gereret, civitatem adipisceretur. De qua lege non debuit unquam dubitari, nec vera est coniectura, quam supra commemoravimus, lege Iulia demum magistratibus Latinorum hoc ius esse datum: quae coniectura nec ullis omnino argumentis adiuvabatur et cum a more Romano recederet, plurimis ac maximis adiuvari debuit. Ipsa quidem scriptorum testimonia nullam dubitationem admittunt. Nam de Cn. Pompeio Strabone, qui multis Transpadanis ius Latii dedit (cf. supra p. 30), si Ascon. in Pis. 3 sic refert: *veteribus incolis manentibus ius dedit Latii, ut possent habere ius, quod ceterae Latinae coloniae, id est, ut gerendo magistratus civitatem Romanam adipiscerentur*, quis *ceteras* potuit intelligere eas, quae post legem Iuliam deductae essent? Modo enim illa lex lata erat necdum, opinor, coloniae Latinae omnes, quibus transire liceret, in municipiorum ius transierant: nonne igitur Asconius illas ipsas, quae tunc essent, respiciens recte dixit? Item Appianus bell. civ. II, 26, qui in narranda Novocomensis coloniae deductione adiicit τόδε γὰρ ἰσχύει τὸ Λάτιον, quomodo vel le-

vissimam mutatae Latinitatis suspicionem dat, ac non perpetuum illud Latinitatis ius fuisse significat? Quamquam in hoc genere alia nuper quaestio mota est, parva illa quidem, sed insignis tamen, quae hoc loco non erat praetermittenda. Utrum enim qui magistratum gerebant, cum ipso magistratu civitatem Romanam consequebantur, an gesto demum magistratu? Id leve est, ut diximus, sed pendet inde supplementum tabulae Salpensanae nuper in Hispania repertae. Cuius primum caput cum ab initio mancum sit, ita expletur a Th. Mommsenio, qui primus in Germania edidit et commentario instruxit: *Qui IIvir aedilis quaestor ex hac lege factus erit, cives Romani sunto, cum post annum magistratu] abierint, cum parentibus coniugibusque ac liberis, qui legitumis nuptiis quaesiti in potestatem parentium fuer(i)nt, item nepotibus ac neptibus filio nat(is), qui quaeque in potestate parentium fuerint, dumne plures cives Romani sint, qua(m) quod ex hac lege magistratus creare oportet.* Movebat virum doctissimum, ut opinor, maxime abeundi verbum, quod qua alia ratione explicari posset, nesciebat. Nec tamen ipse quantae in his supplementis difficultates essent, dissimulabat. Ne enim de ipsa illa coniectura dicam, qua perfunctos magistratu Latinos ad civitatem Romanam pervenisse putat, quae coniectura nullo aut argumento aut testimonio confirmari potest, certe illud, quod addit *post annum*, aut inutile est aut falsum. Alio enim capite legis municipalis de tempore magistratuum comprehenditur, ut qui creati sint, aut annum aut si in alterius locum creati sint, reliqua parte eius anni in magistratu sint (vid. leg. Malacit. cap. LII), idque satis erat neque ferenda tanta iniquitas, si quis Kal. Ian. inisset, ut civis Romanus fieret, si quis per casum aliquem Idibus Ian., is non fieret. Deinde quod non ipsos modo, qui magistratus gesserunt, sed liberos etiam civitate ita donatos esse vult, certe prorsus supervacaneum erat sanciri, quia patre in civitatem transeunte liberos item transire sponte intelligitur: quod vero parentes etiam civitate Romana augeri facit, ita cum more Romano pugnat, ut nullum simile exemplum afferri possit. Denique quae extrema sunt, ne plures cives Romani sint quam magistratus creentur, ridicula prope sunt neque expediri posse hac ratione ipse Momm-

senius confessus est. Equidem ab ipsis his extremis verbis proficiscendum nobis esse arbitror, si ad eorum, quae ab initio fuerint, coniecturam pervenire velimus. Iam *dum ne plures cives Romani sint.* hoc sibi vult, opinor, si plures sint, illud quod ab initio fuit, fieri non licere vel non oportere, si pauciores sint, licere vel oportere. Tum *sunt tot cives Romani, quot magistratus creare oportet* quid aliud potest significare nisi adesse tot, reperiri? Et quidem reperiri non in universo municipio Salpensano, quod sive Latini iuris erat, sive, id quod superiore commentario perspicue videmur docuisse, civitate Romana utebatur, certe plures cives Romanos continebat quam sex (tot enim quotannis magistratus creabantur), sed reperiri inter eos, qui professi essent magistratusque peterent (cf. tab. Malacit. c. LI). Denique cum haec condicio sequatur *dum ne plures cives Romani sint, qui profiteantur, quam quot magistratus creandi sint*, vel ut affirmative ponam *si pauciores cives Rom. sint quam magistratus creandi*, nonne in primaria sententia de creandis magistratibus dici oportet? Ex simili enim genere sint necesse est, quod in condicione et quod in ipsa sententia commemoratur. Quare quod Mommsenius explet: *Latini magistratu perfuncti cives Romani sunto, si pauciores cives Romani sint quam magistratus creari oporteat*, quia quae dissimili ex genere sunt, inter se apta fiunt, videtur contra rationem esse. Quodsi in primaria sententia de creandis magistratibus praecipi oportebit, abeundi verbum non amplius eo pertinere poterit, ut magistratu abierint, quicunque abierunt; quoniam enim coniunctivus ille *abierint*, a quo tabula incipit, ex coniunctione aliqua *si* vel *nisi* vel simili videtur pendere, si abisse dicantur, de quibus creandis dicendum sit, inter se discrepet. Neque hercle cum saepenumero cogitarim, aliud inveni, nisi de abeundo ex patria migrandoque in municipium Salpensanum dici: quod si ita est, tollitur et illud quod qui magistratu abierunt, civitatem Romanam adepti esse putantur, et singularis de parentibus civitate donatis difficultas, et denique legis huius cum Gaii praeceptis (libr. I, 96) dissensio, de qua paulo post dicemus. Neque certe quod legis Salpensanae cap. XXII, qui civitatem consecuti sint, in eorundem,

in quorum antea fuerunt, mancipio, manu, potestate manere iubentur, necesse est in capite proximo antecedenti de iis scriptum fuerit, qui civitatem consequantur: potuit etiam aliquo alio, quod antecessit. Sed quid tandem nos in ea quae periit capitis parte fuisse existimabimus? Difficile illud quidem est dicere nec potest omnino dici nisi de ea coniectara, quae admodum incerta sit, sed si quid est dicendum, de incolis scriptum fuisse existimamus ad honores municipales admittendis vel cogendis. Nam etiam illud his legibus provisum esse, ut idoneus eorum, ex quibus magistratus crearentur, numerus esset, legis Malacitanae cap. LI docet, item cautum esse de eo genere hominum ingenuorum, quorum comitiis rationem haberi liceret, cap. LIV. Quid igitur? Nonne sic fere esse poterat: *Incolarum, qui Latini erunt, comitiis ratio haberi poterit, si in municipium Flavium Salpensanum abierint cum parentibus* cet., nimirum si cum tota familia sua Salpensam commigrarint, qua in re parentum quoque, ex quibus patrimonium ad munera obeunda necessarium pendet, mentionem fieri non absurdum est. Non verba ipsa quae in lege fuerint, praestamus nec quae coniecimus, ex municipali ratione probabilia esse docebimus (quamquam potest non difficile demonstrari, sed ab hac quaestione ea disputatio aliena est), sed hoc sequebamur, ut quae desunt, ita suppleri posse ostenderemus, ut nihil inusitati aut singulare statueretur: etiam hoc videmur esse assecuti, ut quod Mommsenius invenit, Huschkius fere probavit, Laboulaius contra ius ac morem Romanum esse intellexit, nullo modo ferri posse demonstraremus. Sed de eo, unde egressi sumus, quid existimabimus? Latini qui magistratum municipalem assequebantur, utrum statim an perfuncti demum honore cives Romani fiebant? Scriptores quidem, qui de iure tradunt, si accurate explicentur, in hanc potius partem videantur esse accipiendi, ut cum ipso magistratu civitatem impetrari dicant. Nam etsi quod in titulo Tergestino apud Orell. n. 4040 est *impetrando, ut (Car)ni Catalique attributi a divo Augusto rei (publi)cae nostrae, prout qui meruisset vita atque censu, per aedilitatis gradum in curiam nostram admit(te)rentur ac per hoc civitatem Romanam apiscerentur*, etsi dubium

videri potest, nec tam ad Latinitatem ipsam, quam ad simile aliquod ius pertinet, tamen Strabo IV, 1, 12 τὸ καλούμενον Λάτιον, ὥστε τοὺς ἀξιωθέντας ἀγορανομίας καὶ ταμιείας — Ῥωμαίους ὑπάρχειν, et Appianus bell. civ. II, 26 ὅσοι κατ' ἔτος ἦρχον, ἐγίγνοντο Ῥωμαίων πολῖται, indicant eos, qui consecuti essent, non qui administrassent magistratum, cives Romanos factos esse. Nec minus apud Gaium Inst. I, 96, ubi ipsum hoc Latinitatis ius dici videtur, bis est: *hi tantum, qui magistratum vel honorem gerunt, ad civitatem Romanam perveniunt*, non *qui gesserunt:* quo loco quod de minore et maiore Latio ab Niebuhrio excogitatum et a quibusdam propagatum est, commemorari vel refelli non opus est.

Veruntamen, utut haec sunt, quae merito leviora videntur esse, duas iam tenemus rationes, qua Latini in patria sua manentes ad civitatem Romanam perveniant, unam, cum in coloniis deducendis vel rebus publicis constituendis principes civitate donabantur, alteram, quae ex magistratibus gerendis nascitur. Accedit tertia, cum virtutis causa singuli praemium civitatis accipiebant, neque id rarum fuisse censebimus. Multi igitur erant per omnia oppida Latina, qui etiam antequam lex Iulia universam Italiam comprehendit, cives Romani essent neque quisquam fere in iis paulo insigniore fortuna aut nobiliore genere videtur fuisse, qui ab civitate, quam cuperet, arceretur. Sed omnem hanc civitatem Romanam Latinorum in oppidis suis manentium tenendum est deteriorem fuisse quam eam civitatem, quam ipsi Romani habebant. Carebat enim et iure suffragii, quia oppida Latina per tribus non erant divisa, et iure honorum. Hoc nondum a quoquam eorum, qui de Latinitate disputarunt, animadversum esse putamus, sed est tamen certissimum, non modo propter similitudinem eorum civium Romanorum, quos postea vidimus, cum extra Italiam oriundi essent, eodem suffragii honorumque iure caruisse, sed perspicuo Livii testimonio, qui libr. XXIII, 22 post cladem Cannensem narrat, cum plurimi senatores cecidissent, mentionem in senatu factam esse, ut hoc honorum ius quodammodo Latinis impertiretur. *Sp. Carvilius*, inquit, *cum longa oratione non solum inopiam, sed paucitatem etiam civium, ex quibus in*

patres legerentur, conquestus esset, explendi senatus causa et iungendi artius Latini nominis cum populo Romano magnopere se suadere dixit, ut ex singulis populis Latinorum binis senatoribus, si patres Romani censuissent, civitas daretur atque in demortuorum locum in senatum legerentur. Quo loco cavendum est, ne ita abutamur, ut Latinorum veterum decuriones civitate Romana prorsus caruisse putemus: quo si caruissent illi, cur ex decurionibus potissimum in senatum Romanum legi iubebat, non ex oppidis omnino? Nunc decuriones ceteris Latinis aliquo iure, propter quod senatu Romano digni esse viderentur, praestitisse putabimus. Eamque ob causam Livius civium, ex quibus in senatum legi posset, paucitatem esse ait, intelligens cives etiam esse, ex quibus in senatum legi non liceret. Nec in civitatis vocabulo haerebimus, quo Livius eos, qui privata quasi eius parte utentes publicam tantum non haberent, designat; nam saepe eandem tamquam inconstantiam apud veteres scriptores reperimus (Madvig. de colon. iure in opuscul. acad. I p. 238). Hoc quidem loco eo minus perturbabimur, quod decuriones etiam minus proprio senatorum nomine auget. Quare sic statuemus, decuriones Latinos, quibus Carvilius ius honorum dari volebat, fuisse illos, qui cum magistratibus municipalibus gerendis partem privatam civitatis Romanae dudum accepissent, summo tamen iure in senatum Romanum perveniendi carerent: consentiunt igitur haec prorsus cum iis, quae supra de civitate Romana principum Gallorum intellecta sunt ac longe repetitum esse docent, quod tunc usurpabatur. Nec vero Sp. Carvilius in tantis imperii angustiis ea liberalitate utebatur, quae postea in bello Marsico adhibita est necessario, ut promiscue omnibus Latinis optimam civitatem impertiret; nam primum eos elegit, qui privatam civitatis Romanae partem iam haberent, deinde horum ipsorum binos ex singulis populis iudicio senatus admitti iussit, tum binis illis emortuis nullos alios sublegendos esse censebat, ut non ius ullum, sed exemplum tantum, quo senatus si ei videretur uti posset, constitutum esse intelligamus. Quamquam ne haec quidem Carvilii mediocris ac necessitate prope expressa liberalitas senatoribus antiquum morem pertinaciter

retinentibus placuit: tota res veterum senatorum, qui honores suos vulgari nollent, invidia discussa est. Cf. etiam Valer. Max. VI, 4, 1, apud quem tamen tempora hominesque turpiter confunduntur.

Quae cum ita sint, Latinitatis hoc ius fuisse reperimus, ut, si qui Romam migrassent, iis ab censoribus tribum accipere atque optimam civitatem Romanam cum iure suffragii et honorum coniunctam consequi liceret, ut et in senatum pervenirent et summos honores adipiscerentur: si qui in oppidis suis manerent, quamvis vel magistratibus gerendis vel opibus ac virtute excellerent, tamen inferiorem tantum civitatem Romanam obtinerent neque aut ad suffragia aut ad honores senatorios ipsumque senatum admitterentur. Iniustum hoc fortasse quibusdam esse videatur, sed tamen et certum est et moderatione censorum effectum esse arbitror, ut non esset iniustum: quibus cum viderimus liberam hanc potestatem esse relictam, utrum reciperent in tribus Romanas Latinos an non reciperent, olim quidem, cum parva urbs esset eamque multitudine hominum augeri utile existimaretur esse reipublicae, multos promiscue cum magna facilitate receptos esse existimo: post, ubi magnitudo ipsa urbis molesta vel periculosa haberetur, cautio magna a censoribus adhibebatur, ne inopes reciperent. Ita si quid in lege erat iniquitatis, id magistratuum sapientia tollebatur. Neque enim quicquam est, quod eos, qui iam domi cives facti erant, facilius in urbem admissos esse putemus quam eos, qui Latinitate ipsa uterentur, nisi quod illos probabile est fere fuisse divitiores, hos pauperiores. Nam qui ex Latinis incolae tantum erant Romae i. e. qui non transmigrarant ex oppidis suis nec tribum acceperant, sive ii privatam civitatis Romanae partem habebant, sive non habebant, aequaliter utrisque non plus quam una tribus patebat, quam initio comitiorum sorte ductam omnibusque communiter Latinis apertam esse intelleximus. Cuius rei argumentum ex tabulae Malacitanae loco, qui supra p. 291 explicatus est, repeti potest: in qua cum incolae et qui cives Romani et qui Latini sunt, in una quae sorte ducta esset curia suffragium ferre iubeantur, similem olim Romae incolarum rationem fuisse colli-

gemus; incolae autem sunt, quicunque Latinae stirpis non recepti in tribus domicilium quasi Romanum non acceperunt.

Sed ut ad eos, qui ex Latinis domi manentes privatam civitatis Romanae partem adepti erant, disputatio nostra redeat, quibus rebus caruerint, intelleximus: quaeritur iam, qua re iis, qui in Latinitate permanserant, praestiterint. Necesse enim est aliquid praemii quasi habuerint. Non multum id fuisse Tacitus Ann. XI, 23 videtur significare, ubi de Aeduorum principibus eodem civitatis Romanae genere donatis dicit: *fruerentur sane vocabulo civitatis*, de quo loco iam supra expositum est, sed arbitror tamen illum, quicquid privati commodi esset, parvi fecisse, atque ea tantum, quae ad summam rempublicam honoresque pertinerent, intuentem ita scripsisse. Quamquam etiam publice aliquid inter Latinos et inter cives ex Latio existimo intercessisse, in poenis maxime ac iudiciis, ut cives illi reliquis, qui optimo iure essent, in omnibus prorsus rebus aequarentur, nisi quod nec ad tribus nec ad senatum honoresque senatorios admitterentur. Ac de iudiciis quidem multa possent disputari, sed deducerer in campum et magnum et ab hac quaestione alienum; ipsam igitur rem significasse sufficiat. De poenis autem, quas Latinis infligere liceret, civibus Romanis non liceret, dolendum est exiguam sane ad nos memoriam pervenisse. Nihil enim reperio, nisi quod Plutarchus C. Gracch. c. 9 Livium Drusum narrat, tribunum plebis, destruendi Gracchi causa legem tulisse, ne quem Latinum ne in militia quidem virgis caedere liceret (ὅπως μήδ' ἐπὶ στρατείας ἐξῇ τινα Λατίνων ῥάβδοις αἰκίσασθαι). Antea igitur in militia virgis caedere licuerat, extra militam non licuerat. Incertum tamen est, num Livia lex iis Latinorum, qui civitatem haberent, praecipuum aliquod ius prae reliquis Latinis tribuerit, num, qui optimo iure cives essent, tamen hoc in genere praestiterint. Ne illud quidem constat, num, quod Livius tulerat, perlatum ac conservatum sit. Etenim in bello Iugurthino Sallustius c. 69 narrat ab Q. Metello T. Turpilium Silanum, praefectum oppidi ab hostibus capti, quod turpiter profugisset, verberatum capite poenas solvisse. *Nam is*, inquit, *civis ex Latio erat.* Hunc num Latini iuris fuisse putamus? Non vi-

detur; nam si domi nobilis erat (idque inde est probabile, quod hospitii iure cum Metellorum familia coniunctus fuisse dicitur a Plutarcho Mar. 8), iam a maioribus acceptam civitatem Romanam habebat; sin ignobilis, virtute id praemium meruerat atque etiam ipse ad honores municipales pervenerat. Magnum enim omnino in exercitu locum tenebat, praefectus fabrum a Plutarcho l. l. appellatur, regebat complures centuriones, complures tribunos militum, ut omni ratione pro cive Romano habendus sit. Aliter igitur hunc *civem ex Latio* intelligo ac plerique viri docti, qui Latini iuris Turpilium fuisse putantes ita interpretantur, ut *Latini cives* appellantur in aere Malacitano cap. LIII, si vera ibi est lectio nec sculptoris culpa vocabulum *cives* male repetitum est. Quare cum is, qui civitatem Romanam iure suffragii et honorum carentem habebat, in bello ac poena inferior esse dicatur civibus Romanis optimo iure praeditis (neque enim ulla insigni crudelitate Metellus usus est, sed invitus hominem condemnarat, legis necessitate coactus), effici videatur, ut Livia illa lex aut non perlata aut non conservata sit aut denique alio pertinuerit. Quamquam postea anno 51 M. Marcellus cos. colonum Comensem ex Latina colonia, qui apud suos honore gesto civitatem Romanam adeptus erat, virgis cecidit, quod civem esse negaret. Hanc poenam nunquam civi Romano infligi ait App. bell. civ. II, 26; Cicero ad Att. V, 11, 2 in cive illegitimam, in Latino tamen crudelem fuisse significat. Quae utut esse coniiciemus (ac dubito num ultra coniecturam progredi liceat), illud certe intelligemus, in hoc poenarum genere Latinos civitate Romana utentes, quamvis civibus optimo iure praeditis cederent, superiores fuisse reliquis Latinis. Sed haec quidem minora erant in hac civitate: illud longe maius, quod privata quasi tota parte civitatis Romanae utebantur, qui ex Latinis cives facti erant, i. e. connubio et commercio, quo reliquos Latinos caruisse existimo. Quam rem si uberius persequi vellem, multa essent dicenda, instituenda etiam de ipso connubio atque imprimis de commercio quaestio, quam quoniam ab hoc commentario, quo civitatis Romanae propagationem illustrare suscepimus, alienam esse videmus, breviter quid sentiamus, significare sufficiat.

Veruntamen cum de Latinitate tam multa disputarimus, faciendum videtur esse, ut ad ea tempora, quibus orta est, ascendamus, unde non modo nihil, quod sententiae nostrae adversetur, verum etiam quae eam adiuvent, repeti poterunt. Natam eam esse constat anno 493 a. Chr. ex foedere, quod Sp. Cassius cos. cum Latinis fecit, de quo foedere brevissime dicit Livius II, 33, paulo uberius Dionysius VI, 95, nihil tamen commemorans nisi hoc, amicitiam perpetuam iunctam esse inter populum Romanum et inter Latinos, tum de bello communiter et inferendo et defendendo, de praeda aequaliter dividenda, de litibus iudicandis. Intercessit postea magna illa Latinorum defectio, qua oppressa cum quaedam urbes varie essent punitae, anno 338 a. Chr. ceteris Latinis populis connubia commerciaque et concilia inter se adempta esse scribit Livius VIII, 14. Sublata igitur est communis quae antea fuerat, Latinorum respublica, sublati, qui quotannis fieri consuerant, Latinorum magistratus: quibus rebus sublatis necesse erat multa alia, velut de praeda aequaliter dividenda, mutari deterioremque omnino fieri Latinorum condicionem. Sed cum reliqua, qualia ante bellum fuerant, relinquerentur, cum Romanis ipsis idem ius post rebellionem atque antea habuerunt, quaeque exempla antiquiore tempore acciderunt, eadem posterioribus lucem afferunt. Iam paulo antequam bellum exarsit, praetores duo Latinorum L. Annius Setinus et L. Numisius Circeiensis, ex coloniis Latinis oriundi, senatum Romanum adierunt postulantes, ut consulum alter Roma, alter ex Latio crearetur atque senatus pars aequa ex utraque gente esset (Liv. VIII, 5). Haec non ita posse intelligi, quasi iam antea Latinis in senatum Romanum pervenire honoresque Romae gerere licuerit, Latinorum autem hoc tunc fuisse postulatum, ut alterum utique consulem aequamque senatorum partem ex Latio fieri necesse esset, facile omnes credent. Ita enim prorsus Latinorum praetores, antequam Romam proficiscuntur, in suorum concilio, ita in ipso senatu Romano loquuntur, ut eos ad consulatum senatumque Romanum non admitti appareat. Quamquam si id, quod paulo plus quam centum quinquaginta annis post in lege fuisse Livius scribit, sequemur, praetores Latinorum civi-

tatem Romanam habebant. Cur igitur dari sibi volunt, quod iam habebant? Nimirum, quod ea civitas Romana, qua ipsi utebantur, iure honorum carebat, ut quae tunc acciderunt, iis quae postea a Sp. Carvilio belli Punici aetate, tum paulo ante Marsicum bellum acta sunt, simillima esse intelligamus. Omnino autem universum Latinitatis ius facile ex foedere illo Cassiano, quod commemoravi, repeti quaeque Latinorum propria esse vidimus, ex illius legibus explicari posse reperio, idque eo magis nobis hoc loco suscipiendum esse arbitror, quod neminem adhuc virorum doctorum de origine Latinitatis vere atque ita, ut praetermissis inanibus coniecturis quae certis testimoniis nobis tradita essent, sequeretur, disputasse existimo. Primum igitur aequissimum foedus erat (Liv. VIII, 4), sed iunctum inter duas respublicas, quae cum artissima amicitia ac societate continerentur, separatim tamen constarent. Sequebatur, ut unius reipublicae cives in altera honores gerere non possent: ita enim non duae conservatae essent respublicae, sed una extitisset. Quare nec civis Romanus ad Latinorum magistratus, nec Latinus ad Romanum senatum admitti poterat. Quoniam enim ex more vetustissimo Romano nemo duarum civitatum potest civis esse, nec rursus, qui civis non esset, magistratum gerere posse videbatur, si quis Latinus in senatum Romanum pervenisset, Latinus esse desisset, qui Romanus Latinorum magistratum cepisset, Romanam civitatem amisisset. Prorsus igitur ius honorum, cum quo ius suffragii coniunctum erat, foedere Cassiano excipi oportebat. At cum tanta inter duas respublicas amicitia constitueretur, providendum erat, ut, quamvis respublicae distinerentur, mercatura et omnium negotiorum contractio quanta posset maxime communis existeret, ac de litibus vicissim iuste componendis foedere sanctum esse Dionysius l. l. scribit. Eam ob causam migrationem ab Latinis ad Romanos, ab Romanis ad Latinos liberam esse voluerunt, duasque res composuerunt, primum ut qui retento proprio iure in alteram rempublicam migrare vellet ibique ad negotia gerenda incola fieri, partem certe exiguam comitiorum haberet. Ita Latinis incolis Romae una, quae sorte duceretur, tribus data est, in qua suffragium ferrent, nec mi-

nus civibus Romanis, qui non ascriberentur, in coloniis Latinis simile aliquod ius obtigisse existimo: qua de re cum nihil tradatur, nihil tamen est, quod ita existimare prohibeat. Alterum erat, ut, qui relicta patria sua depositoque iure vetere fortunas suas totas transferre vellent, eos per censum (nam etiam apud Latinos censum fuisse constat) recipi atque ad optimum utriusque civitatis ius admitti liceret. Ita et Latinis facillimus ad optimam civitatem Romanam aditus dabatur et civibus Romanis ad Latina oppida: hinc illud natum, quod cum ad perniciem coloniarum Latinarum usurparetur, saepius prohibitum esse supra intelleximus, hinc ipsa coloniarum Latinarum deductio atque origo. Etenim notum est multos cives Romanos in colonias Latinas nomina dare consuesse, qui omnes capite deminuti Romana civitate Latinam necessario mutabant. Atque olim quidem, cum Romanae reipublicae potentia ac dignitas parva esset, saepissime id factum esse arbitror, prout cuique facilioris quaestus occasio vel Romae vel in Latino oppido daretur; sed ne postea quidem magnam iacturam afferebat, quam si quis reparare vellet, facilis Romam reditus patebat. Quare saepe IIIviros ipsos, quibus deductio coloniae mandata esset, audimus colonos esse factos, homines et senatoria dignitate et honoribus illustres, qui sine dubio item ius honorum pristinamque dignitatem amittebant, sed, si aut ipsos aut eorum posteros denuo magistratuum Romanorum cupiditas caperet, facile rursus translata sede sua in tribus recepti recuperabant.

Erat autem, cum Cassianum foedus iunctum est, maximum inter ipsos Romanos discrimen patriciorum et plebeiorum, qui, ut de senatu honoribusque taceam, connubio separabantur; fortasse etiam alia quaedam privata commoda patricii habebant, quorum memoria periit. Quid igitur existimamus, cum illud discrimen constaret, inter Latinos et Romanos iuris fuisse? Hoc opinor, ut patricii, qui soli honores gerere et in senatum venire possent, iis Latinorum pares haberentur, qui in Latina republica honores gererent et senatum efficerent. Hi igitur connubium habebant, alia etiam commoda inter se concedebant, velut patricios cum Campanorum equitibus alia-

rumque civitatum principibus connubium habuisse constat. Cum autem sublato illo discrimine plebeii patriciis exaequati essent, consequebatur, ut Latinorum principes i. e. qui magistratus in Latina republica gesserant, connubium cum omnibus civibus Romanis haberent. Sic accidisse censeo, ut Latinorum magistratus civitatis Romanae partem privatam acciperent, qui magistratus non gesserant, ea carerent. Singillatim haec persequi non licet, propterea quod pauca omnino de Latinis nota sunt, imprimisque illud incertum est, num etiam apud hos simile aliquod principum ac plebis discrimen fuerit et quomodo sublatum sit: sed tantum, opinor, apparet, quo pacto omnis illa, de qua nobis traditur, Latinitas ex foedere Cassii cos. orta sit, nulla nova lege lata, nullo novo iure instituto. Unum hoc tenendum, cum conderetur Latinitas, pari inter se potentia fuisse Romanos et Latinos nec Latinitatem inferiorem potuisse videri civitate Romana; postquam illorum respublica aucta est, paulatim civitatis Romanae dignitatem crevisse ac tempore ipso factum esse, ut Latina oppida cum eodem loco manerent, iis, quae civitatem Romanam haberent, cederent. Sed quid? Ex foedere Cassiano num nihil omnino post oppressionem Latinorum mutatum est? Nihil arbitror praeter unum illud, quod Livius significat, ut Latinorum communis respublica tolleretur, qua sublata tamen magnam mutationem consequi oportebat. Antea enim communes Latinorum magistratus quique in communi eorum concilio erant, pares quasi fuerant Romanorum et magistratibus et senatoribus: tunc, quoniam nulla amplius communis respublica erat, ac singula oppida eodem foedere quo antea universa respublica cum Romanis iungebantur, qui cuiusque oppidi erant magistratus et decuriones, in locum communium magistratuum successerunt. Sic ex ipso antiquissimo iure videtur esse repetendum, quod apud Latinos qui magistratum gesserant decurionesque erant, civitatem Romanos adeptos esse constat.

Diximus de Latinitate, sed dicendum est etiam breviter de tribus reliquis civitatum, quae ante legem Iuliam in Italia fuerunt, generibus, ac primum quidem de municipiis. Ea rursus duplicia fuisse scimus: altera enim carebant suffragio

et iure honorum, quique in iis erant, civitatem sine suffragio habere dicuntur, altera optimo iure civitatis Romanae utebantur. De his non est hoc loco nobis disputandum; plurimos enim ex iis constat ad summos in republica Romana honores esse evectos, nec quicquam omnino fuisse, quo ceteris civibus Romanis cedere viderentur. Ad illa autem pertinent, quae Paul. Diacon. ex Festo s. v. municipium (p. 125 ed. Müll.) habet: *Municipium id genus hominum dicitur, qui cum Romam venissent neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus, praeterquuum de suffragio ferendo aut magistratu capiendo — qui post aliquot annos cives Romani effecti sunt.* Quae qualia fuerint, satis hinc intelligitur. Etenim privatam civitatis Romanae partem habebant, publica carebant, prorsus ad eandem rationem, qua supra Latinorum principes exposuimus. Melior igitur eorum condicio erat quam Latinorum: ex his ii tantum, qui magistratus gesserant, civitate illa utebantur, ex municipiis omnes, nec probo eorum virorum doctorum opinionem, qui quasi horum municipiorum fortuna deterrima fuisset, poenae tantum loco civitatem sine suffragio dari consuevisse censent. Poenae quidem si quid addebatur, id vel in agri ademptione vel in reipublicae constitutione vel in aliis rebus situm erat: civitas, quamvis iure suffragii et honorum carens, ex quo omnino imperium Romanum aliquo in numero esse coepit, semper pro praemio datum est, proximaque ad optimum civitatis Romanae ius erat. Praestabant autem Latinis etiam eo, quod honoratiorem militiae locum habebant; ipsi enim in legionibus, illi inter auxilia merebant (Fest. p. 131 et 142 Müll.). Quare consentaneum erat, ut his municipibus etiam facilior ad optimam civitatem Romanam aditus pateret. Si qui igitur negotiorum causa Romae versabantur ibique incolae erant, non dubium esse debet, quin iis, ut Latinis una tribus, in qua suffragium ferrent, patuerit, idque ipsum significat Festus l. s. l. *cum Romam venissent, omnium rerum fuisse participes praeterquam de suffragio ferendo;* nam si quis in fortuita tribu suffragium ferret, id non pro iure suffragii habitum esse supra vidimus. Item, si qui translatis omnibus fortunis in urbe con-

sidere vellent, facile eos per censum in tribus receptos atque ad optimum civium Romanorum ius admissos esse arbitror; multo certe facilius quam Latini admittebantur, qui ne sortes suas relinquerent oppidumque, cuius tutandi causa deducti erant, desererent providendum erat. Quamquam exempla harum rerum afferri non licet; nam omnia haec municipia in Italia quidem non diu constiterunt (huc enim pertinet apud Paulum *qui post aliquot annos cives Romani effecti sunt)*, sed iure suffragii et honorum donata in alterum municipiorum genus transierunt. Nec vero totum hoc genus extinctum est. Nam cum supra quicunque cives Romani in provinciis essent, docuerimus iure suffragii et honorum caruisse, sequiter certissime, ut quae oppida tota in provinciis civitatem Romanam acceperant, municipia sine suffragio fuerint, quorum quantus numerus fuerit, optime ex naturali historia Plinii, qui Augusti aetatem describit, coniicitur. Quod igitur prius in Italia factum erat, ut oppida bene merita primum civitate sine suffragio, tum paulatim suffragii honorumque iure donarentur, idem postea in provinciis accidit eadem ratione: in quo hoc etiam simile fuit, quod, postquam diu paulatim processum est, ad extremum subito quodcunque reliquum erat una lege ad optimum ius admissum est, in Italia lege Iulia, in provinciis imperatoris Caracalli constitutione.

Colonias autem Romanas, quae proprie appellantur, (nam de his deinceps dicendum est) optimam civitatem Romanam habuisse credimus Nic. Madvigio de condic. et iure colon. in Opusc. acad. I p, 254, dicenti, non demonstranti. Etenim argumenta, quae affert, minus firma esse intelligo, etiam illud, quod quasi pro invicto habet, quod apud Cic. de orat. II, 71 Antistius Pyrgensis ex colonia Romana eques Romanus equo publico fuisse dicitur. Nam equestris dignitas, quam ab imperatoribus etiam barbaris in civitatem receptis saepe tributam esse supra docuimus, longe ab iure suffragiorum et ab iure honorum, quod ad senatum tantum ac summos magistratus pertinet, discrepat. Sed earum coloniarum, quae ab Augusto ceterisque imperatoribus per provincias conditae sunt, similitudo recte adhibebitur: ex quibus longe plurimas iure honorum caruisse

docuimus, easque tantum, quae hominibus Italicis deductae essent, quod ab origine ipsa haberent ius, non amisisse coniecimus. Quare, si in illas quoque colonias tantum cives Romani, qui optimo iure essent, deducebantur, ne hos quidem capite deminutos esse quodque habuissent ius honorum, retinuisse existimo. Reliquum erat ante legem Iuliam in Italia ceterorum sociorum genus multiplex sane ac varium. In quo num neminem fuisse putamus, qui civitate Romana dignus esse videretur? Tot scimus fuisse urbes aequissimis foederibus praeditas, tot antiquissima societate cum populo Romano coniunctas, quae ne Marsico quidem bello fidem mutarint, quarum principes civitatis Romanae praemio prohibitos esse parum probabile est. Si dictator Caesar recens domita Gallia Aeduorum principes tamen, quo artius cum imperio consociaret, civitate donandos esse putavit, si barbarorum reges ac principes fere civitatis Romanae praemium accipiebant, nonne per Italiae oppida quicunque dignitate atque opibus praestabant, ad civitatis Romanae communionem admissos esse intelligemus? In Sicilia quidem, antequam tota insula Latinitatem consecuta est, multos nobiles cives Romanos fuisse constat, velut Cn. Pompeios Basiliscos et Percennios et Q. Lutatium Diodorum et A. Claudium et Cn. Pompeium Philonem (Cic. in Verr. IV, 11 et 17 et 22), qui fere Sullana aetate videntur esse facti: unde quae eius provinciae condicio post legem Iuliam fuerit, eandem Italiae ipsius ante eam fuisse colligemus. Pauciores igitur in sociorum oppidis cives Romanos fuisse iudico quam in Latinis, sed multos tamen nec nimis difficilem civitatem ne his quidem fuisse ad consequendum. Sed hoc video, omnium horum novorum civium nullum aliud potuisse esse ius quam eorum, qui ex Latio erant, ut et iure honorum carerent nec tribum haberent: qui tamen domicilio ex patria translato Romae consedissent, eos non minus quam Latinos per censum in tribus receptos optimamque civitatem Romanam consecutos esse censeo. Quo in genere insigne exemplum refertur apud Valer. Max. III, 4, 5 M. Perpernae, cos. anni 130, qui cum paulo post in proconsulatu decessisset, pater eius a popularibus, quod contra leges civitatem usurpasset, accusatus

atque ad Sabellos in patriam sedem, unde oriundus erat, redire coactus est. Qui qua arte leges eluserit nescimus, sed privatam civitatis Romanae partem certe antequam in urbem migravit, habuit (neque enim ex humili apud suos atque inopi genere videtur fuisse), honorum tantum ius nullo censu in tribus receptus contra leges usurpaverat.

Percensuimus civitatum genera, quae ante legem Iuliam in Italia fuerunt ac cum privata civitatis Romanae pars liberalissime propagaretur, publicam partem, qua ius suffragii et honorum contineretur, cum iis solis, quae municipia proprie appellantur, communicatam esse intelleximus. Quae qui considerabit, dubitare non poterit, quin de lege Iulia et de omni bello Marsico et de multis legibus Corneliis, quibus respublica post plurimas ac maximas perturbationes denuo constituta est, longe aliter debeat iudicari ac viri docti nunc solent iudicare. Quo loco breves erimus atque ipsa capita tantum rerum commemorabimus. Primum socii Italici quid maxime concupiscebant? Eorum principes, non modo Latinorum, verum etiam reliquorum civitatem Romanam habebant neque si qui alii concupissent, populus Romanus non liberaliter eam propagasset; humiliores autem homines cur tantam civitatis cupiditatem haberent? Connubium parum curare poterant, pro commercio alias, saepe etiam commodiores iuris formas habebant. Ac postquam civitas omnibus patuit, in multis tamen oppidis dubitatum esse scimus, num ea veteribus institutis ac veteri libertati esset praeferenda. Sed quia et principum civitas iure honorum carebat nec sine civitatis optimo iure suffragia patebant, ideo socii omnes se parere tantum intelligebant, non imperare vicissim, neminem suorum in senatum, neminem ad summos reipublicae honores admitti. Ut igitur olim Latinos vidimus bis postulasse, ut ex suo numero senatores fierent et consules, ita tunc omnes socii petebant, ut ad gubernandam eam rempublicam, cuius potentiam peperissent, admitterentur. Quae reipublicae gubernatio cum more Romano cum civitate Romana coniuncta esset, scriptores civitatem a sociis expetitam esse solent dicere, velut Vell. II, 15; App. bell. civ. I, 38; Liv. LXXI aliique, optimam illam civitatem Romanam intel-

ligentes: nos quidem hoc tenere debebimus, non de privatis commodis civitatis, sed de iure suffragii et honorum contentionem omnem fuisse. Neque Romae aliam ob causam de civitate sociis danda agitatum est, primum a Fulvio Flacco cos., tum a C. Graccho et Livio Druso, qui non pugnabant, ut ulla privata commoda socii obtinerent, quae facile obtinuissent, sed ut et novorum civium ope comitia populi tota ad partes popularium traducerentur et novis sociorum senatoribus in curiam allectis optimatium potentia frangeretur. Sed impediebant eorum actiones veterum senatorum invidiae, qui suos honores vulgari nollent, fortasse etiam plebis cupiditas, quae cum ex candidatorum largitione magna commoda caperet, ne novorum civium multitudine superaretur, timebat, ut simile prorsus tunc accidere videamus ac postea imperatore Claudio de Gallis admittendis accidisse exposuimus. Nescio autem an socii non tam optimam civitatem Romanam quam illud petierint, ut in vetere iure manentes tamen ad gerendos honores suffragiumque rite ferendum pervenirent. Neque enim solent populi facile ad mutandas vetustissimas leges moveri, cum civitate autem Romana etiam privatum sociorum ius, antiquissimi magistratus, tota prope vita mutabatur, quae multo certe illi maluissent retinere et tamen potentiam in republica adipisci. Neque auctores, qui extant, nihil de hac re tradere mirabimur; extant enim et pauci et admodum exiles: quam certe seditiosi in oppido Corfinio constituerunt rempublicam, ea ita videtur esse composita, ut retentis singulorum populorum legibus ac moribus tamen communis summae reipublicae efficeretur administratio. Veruntamen utut hoc est, senatus Romanus ubi cedendum esse intellexit, conservata vetere consuetudine civitatem Romanam propagare neque quemquam ad senatum comitiaque admittere statuit, nisi qui deposito patrio more totus in novam civitatem transisset. Oblata igitur est civitas Romana sociis et quidem eadem ratione, quam supra in Latinis intelleximus (cf. p. 40 et 308), per censum, ut in lege Iulia nihil fuisse suspicemur nisi hoc, censoribus iisve quibus censoria potestas data esset, liceret quoscunque videretur ex sociis Italicis in civitatem recipere iisque tribum, in qua suf-

fragia ferrent, assignare. Ita omnis omnium rerum communio deferebatur. Quamquam divisio quaedam muneris subiti ab senatu adhibita est. Nam honorum ius continuo dabatur, ut protinus novos cives in senatum pervenire atque honores adipisci liceret; suffragiorum ius initio deminuebatur. Qua de re cum viri quidam docti aliter tradere opinarentur Velleium II, 15, aliter Appianum bell. civ. I, 49, partem dissensionis, quae putabatur, rectiore interpretatione sustulit Becker. Antiq. Rom. compend. II, 1, 170, debuit totam tollere. Nam Velleius in octo novas tribus contributos esse ait socios, Appianus scribit δεκατεύοντες ἀπέφηναν ἑτέρας (φυλὰς), ἐν αἷς ἐχειροτόνουν ἔσχατοι, in quibus decem novarum tribuum mentionem fieri putabant. Verum δεκατεύειν non est in decem partes dividere, sed ita dividere, ut deni sint in singulis partibus, Latine decuriare, vel latiore saepe significatione, ut certus omnino sit numerus in singulis partibus, modo ne magnus. Nihil igitur Appianus de numero novarum tribuum refert hoc tantum narrans, divisos esse socios per novas tribus, ac postremos omnium ad suffragium vocatos. Nec tamen diu socii octo his tribubus continebantur. Nam C. Marius suam potentiam quaerens per veteres quinque et triginta tribus se novos cives distributurum esse promisit ac Cinnae opera, quod promiserat perfecit, ut in Italia in civitatem recipienda eundem veterem morem, qui in proximis oppidis asciscendis conditus erat, retentum esse videamus. At L. Sulla, postquam rerum potitus est, cum sociorum Italicorum optimam civitatem Romanam, non tantum a popularibus, qui proxime dominati erant, verum etiam ab optimatibus olim concessam tollere non posset, quatenus tamen licebat, veterem reipublicae formam reducere conatus est. Etenim ea lege, qua seditiosorum poenas constituit, et singillatim inimicos et civitates, quae arma contra tulerant, complexus (nam unam eam legem fuisse iudico, non duas diversas de hominibus et de civitatibus) sanxit, ut qui propter seditionem proscripti atque occisi essent, eorum liberi bonis privati ius honorum amitterent (Vell. II, 29), i. e. ne ad senatorios honores senatumque ipsum admitterentur, deinde ut civitates, quae deliquissent, et agro, qui veteranis datus est,

et iure suffragii honorumque spoliarentur, qui autem senatorum filii erant, quoniam senatu eiici non poterant, honoribus certe ipsis curulibus prohibebantur. Ac de hominibus quidem proscriptis eorumque liberis punitis et certa sunt testimonia et facilia ad intelligendum, de civitatum autem poena multa a multis disputata sunt ipsique olim diximus in comment. epigraph. I p. 247. Quorum nos non poenitet, sed hoc nunc addimus, videri eas ad illam iure suffragii et honorum carentem civitatem Romanam esse redactas, qualem ante legem Iuliam quicunque ex Latinis et sociis civitate donati erant, habebant. Ita L. Sulla nec a vetere more Romano, quo nemini invito civitatem adimi licebat, desciscere sibi videbatur et ne quid amplius, quae punita essent oppida, in republica valerent cavebat. Quamquam lex illa Cornelia non diu conservata est; nam Cicero p. dom. 30, 79 ne tam diu quidem valuisse ait, quam diu Sullani temporis arma valuissent. Quare a M. Lepido cos. anni 79 sociis optimum civitatis ius restitutum esse coniicio, a quo App. I, 107 etiam de agris, qui erepti erant, reddendis actum esse scribit: de quibus cum ageret, alteram illam civitatis ereptionem praeterire vix potuit, praesertim quam facile ac sine ullius iniuria restitui posse videret. Ac conveniunt Ciceronis verba; nam et quamdiu Sulla vixit, nihil ex eius actis eversum esse constat et in ipso Lepido Sullana arma plurimum valuerunt.

Diximus de propagatione civitatis Romanae, quae per quos quasi gradus primum cum vicinis populis, tum cum Italicis, denique cum provinciis communicata sit, exposuimus. Eandem rationem ad antiqua reipublicae tempora plebeiorumque cum patriciis certamina transferre liceat; tanta enim fuit moris Romani constantia, ut, quod semel probatum esset, pertinaciter retineretur omniaque ab exordio usque ad interitum mire inter se congruerent. Sed longam haec disputationem requirunt nec sine multarum aliarum rerum tractatione cognosci possunt. Nunc quae supra a nobis fusius explicata sunt, paucis complecti placet. Intelleximus igitur civitatis Romanae duas fuisse tamquam partes, unam privatam, quae cum alia quaedam, tum connubium et commercium complecteretur, alteram publicam,

quae iure suffragii et honorum contineretur. Nam duo haec, ut, qui optimum ius suffragii haberet, idem ad honores curules senatumque admitteretur, inter se coniuncta erant, sed cum extincta libertate populi comitia sublata vel ad inanem speciem redacta essent, periit scilicet ius suffragii relictumque est, quod solum apud scriptores posteriores commemorari videmus ius honorum. Deinde hunc morem Romanorum perpetuum observavimus, ne cui omnino optimum ius Quiritium tribuerent; neminem, qui extra civitatem natus esset, dignum iudicabant, qui ad tribus, ad senatum, ad summos reipublicae honores admitteretur. Itaque novi cives in hoc genere simillimi sunt libertinis, qui quod ius in comitiis habuerint, nunc non examinabo, sed certe nec ad parem cum ceteris civibus tribuum communionem, nec ad senatum perveniebant. Verum ut libertinorum filii ab optimo Quiritium iure nihil discrepant, ita eorum, qui in civitatem recepti sunt, posteri ad suffragia atque ad honores rite admitti poterant. Haec lex adeo certa fuit, ut Romani semel tantum bello ac necessitate coacti ab ea desciverint nec cesserint nisi gradu quodam alio civitatis interposito. Iam gradus, per quos civitas Romana per orbem terrarum totumque imperium propagata est, apparent. Nam primum proximis oppidis, sive ea suos magistratus retinebant sive a praefectis Roma missis regebantur, privata civitatis commoda concessa sunt extiteruntque municipia, quae paulatim ad optimum ius Quiritium pervenerunt; tum ex foedere Latino nata est Latinitas, qua plurimis privata civium iura obtigerunt, eademque liberalissime aliorum populorum Italicorum principibus tributa sunt. Deinceps subito una necessitate maximae Italiae parti cum magna reipublicae perturbatione optimum Quiritium ius expressum addiditque fere dictator Caesar, quicquid intra Alpes eo caruerat. Substitit in his finibus Augusti prudentia, nisi quod vetere more, qui olim in coloniis Romanis condendis observatus erat, Italicis hominibus extra Italiam deductis suum ius servavit. Qua severitate ne provincialium hominum animi ab imperio abalienarentur, imperatorum sapientia cautum est, ex quibus Caligula Siciliam et Narbonensem Galliam, Claudius comatam Galliam, Vespasianus Hispa-

niam, ceteri imperatores reliquas provincias ita asciverunt, ut Caracallo, quicquid in toto imperio hominum ingenuorum superesset, uno iure complecti facile esset.

Absolvimus fere, quod nobis erat propositum, sed adiicienda videbantur esse quaedam, quae si non ad propagationem civitatis Romanae, ad continendum tamen imperium pertinerent, redeundumque simul ad eam, a qua profecti sumus, imperatoris Claudii orationem, quae Lugduni inventa est. Etenim demonstratum esse putamus Lugdunenses, ex quo omnino conditi sunt, optimum civitatis ius habuisse neque ad eos Galliae principum preces, qui civitatem dudum adepti ab imperatore ius honorum peterent, ullo pacto pertinuisse. Quid igitur erat, quod tabula orationem Claudii senatusque consultum, quod ex ea factum est, continens Lugduni potissimum collocaretur? Cur haec maxime urbs, in qua memoria beneficii ab imperatore accepti celebraretur, electa est, non aut Aeduorum aut Lingonum aut alia aliqua civitas foederata, quae imperatoris liberalitate ornaretur? Alii Lugdunum metropolim fuisse dicunt (atque ita apud Ptolem. II, 8, 17 appellatur) vulgoque in metropolibus edicta ac leges proponi consuevisse, alii atque imprimis Alph. Boissievius in praestantissimo opere de antiquitatibus Lugdunensibus p. 135 coniunctionem aliquam intercessisse statuunt inter orationem Claudii et inter celebre Augusti templum Lugduni constitutum, sed qualis ea coniunctio fuerit, minus definiunt. Nos quidem dubitamus, an utrumque quodammodo coniungendum Lugdunumque et quod Gallorum metropolis erat et quod templum Augusti habebat, electum sit, in quo imperatoris oratio aeri incisa publice collocaretur. Nam profecto si metropolium illud tantum fuisset proprium, ut leges et edicta praesidum in iis proponerentur, qua de re praeter ceteros copiosissime Ez. Spanhemius de usu et praestant. num. I p. 637 disputat, num esset, cur hoc monumentum non apud eos, ad quos pertineret, sed apud Lugdunenses collocandum fuisse videretur? Neque enim imperatoris oratio legis aut edicti vicem obtinet; ne senatus consultum quidem, quod ex ea factum est, ita erat comparatum, ut quicquam iuberet, sed Gallorum principes, qui ex certis

civitatibus essent, si censum senatorium explerent, Romae honores petere itaque in senatum allegi permittebat: intercedere tamen oportebat imperatoris, qui censoria potestate esset, iudicium. Longe igitur eius natura ab iis legibus, quae ut in hominum notitiam pervenirent, per frequentissima oppida proponendae erant, videtur diversa fuisse: beneficii testandi causa publice est proposita eandemque ob causam Sconsultum adiectum. Quamquam vereor, ne Spanhemius nimis facile de consuetudine legum in metropolibus proponendarum crediderit: quae si fuisset communis, saepe apud Ictos, saepe in legibus commemorarentur. Nunc bis video metropoles in legibus commemorari, semel Graece in Dig. XXVII, 1 (de excusat.), 2, 1, deinde de eadem re in Theod. Cod. XIII, 3 (de medicis) 11, utroque loco ita, ut metropoles intelligantur urbes frequentissimae.

Nimirum Romani postquam libertate extincta provincias, quas armis ceperant, pace coercere statuerunt, iure ac legibus minus eas contineri existimabant ac ne in civitate quidem Romana, quam liberaliter dividere coeperunt, tantam vim esse putabant, ut fidem earum certo constringeret: assumebant sacra ac religionem, ut imperii reverentiam cum deorum pietate coniungerent firmissimoque vinculo animos hominum devincirent. Qua in re adiuvabantur cum vetere suo more, qui antiquitus viros bene de republica meritos divinis honoribus consecrarat, quo tunc usi imperatores bonos in deorum numerum retulerunt ac tamquam imperii sui effigies venerabantur, tum Asiaticorum populorum adulatione, qui quoniam reges suos olim divinis honoribus afficere consuerant, postquam Romanis parere coeperunt, saepe proconsulibus templa posuerunt statimque Caesarum cultum amplexi sunt. Hinc enim hanc rem manasse paulatimque per totum orbem terrarum propagatam esse non modo historia docet, verum etiam Dio LI, 20 testatur, qui ubi de templis divo Iulio Augustoque per Asiam constitutis dixit, καὶ τοῦτ' ἐκεῖθεν, inquit, ἀρξάμενον καὶ ἐπ' ἄλλων αὐτοκρατόρων οὐ μόνον ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ἔθνεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις, ὅσα τῶν Ῥωμαίων ἀκούει, ἐγένετο. Asia igitur patria quasi fuit religionis illius, qua paulatim totum

imperium in fide ac reverentia nominis Romani continebatur, illinc omnia, quae ad imperatorum cultum divinum, qualis postea in omnibus provinciis extitit, profecta sunt. Orta ibidem est metropolium ratio, quae tota cum imperatorum sacris videtur esse coniuncta. Non immorabor in vetere metropolis significatione, quae satis nota est, qua etiam Iosephus Antiq. XII, 3, 1 Antiochiam Seleuci Nicatoris aetate Syriae metropolim appellavit: quo tempore quod nomen honoris ac dignitatis Antiochia a regibus suis acceperat, retentum esse etiam sub imperio Romano nummi in libertate imperii percussi (Eckhel. D. N. III, 271) ostendunt. Neque magis huc pertinet, quod ipsa Roma, tamquam caput ac mater totius imperii, nonnunquam sub imperatoribus metropolis appellata est, velut in nummis Nicomedensium. Sed suam atque inde diversam significationem habebat haec metropolis ratio, quam totam cum imperatorum cultu divino coniunctam fuisse docet ipsum originis tempus. Nam cum templa divo Iulio primum Augusto imperante condita esse certum sit, qua de re infra pauca dicemus, eodem tempore Tarsus in nummis vocatur metropolis, sub Nerone Ancyra Galatiae vulgatumque id nomen sub Traiano et Hadriano. Neque enim certe merum honorem metropolis nomine contineri existimabimus. Solebant id imperatores Romani et tribuere et aliquando adimere (vide Spanh. et Eckhel. l. l.), velut Tyrum ab Hadriano titulum metropolis accepisse refert Suidas s. v. Παῦλος Τύριος, et Septimius Severus Laodicensibus ius metropolis concessit (Malal. XII p. 294 ed. Bonn.; Suidas s. v. Sev.; Herod. III, 69), et Elagabalus Tyriis cum irasceretur, cum reliquo iure etiam metropolis nomen ad Sidonios transtulit (Comment. epigraph. I p. 432; Eckhel. III p. 387). Quare quod honoris causa imperatores deferrent, ignominiae causa civitatibus adimerent, in eo cum utique ius aliquod fuisse necesse sit, nullum aliud reperiri poterit quam hoc quod ex imperatorum templis pendebat. Nam cum republica metropolium honorem ac nomen nullo pacto fuisse coniunctum ex catalogo metropolium, qui ex nummorum auctoritate ab Eckhel. IV p. 273 confectus est, planissime intelligitur. Velut Tarsus iam ab Augusti aetate dicitur metropolis, addito

nonnunquam Ciliciae nomine; at Ciliciam sub Augusto atque aliquanto post nullam fuisse provinciam in comment. epigraph. II p. 96 demonstravimus. In provincia Asia fuerit sane Augusto imperante una metropolis Pergamus, quae sic etiam in nummis Caracalli appellatur, sed extiterunt postea etiam Ephesus (Corp. Inscr. Graec. n. 2990 et saepius), Halicarnassus, Lampsacus, Sardes, in Bithynia Nicomediam nominat Dio LI, 20, sed in nummis commemoratur etiam Heraclea, in Phoenice et Sidon et Tyrus metropoles fuerunt, suamque metropolim habuit Lycaonia, suam Isauria, suam Paphlagonia, suam Cappadocia, et quidem ea aetate, qua nondum ea provinciarum divisio, qua postea singulis illae gentes praesidibus parere coeperunt, introducta erat. Quae cum ita sint, metropoles, quae ad Caesarum cultum pertinerent, nihil cum provinciali Romanorum ratione commune habuisse apparet: ne cum veteribus quidem gentium conciliis, quae antiquitus tradita imperium Romanum non omnia sustulit, existimo, quae cum saepe in novo cultu constituendo servata esse videantur, non minus tamen saepe neglecta sunt.

Originem autem divini imperatorum cultus ac metropolium ad Augustum referendam esse diximus. Nam quod Smyrnaei apud Tac. Ann. IV, 56 iam anno 195 a. Chr. primos omnium se urbi Romae templum fecisse gloriantur eorumque exemplum anno 170 Alabandenses secuti sunt (Liv. XXXXIII, 6), privatae illae quodammodo fuerunt religiones, oppidorumque illorum propriae. Verum anno 29 a. Chr. Dio Cass. LI, 20 (nam is longe praecipuus de hoc argumento locus est) narrat Augustum concessisse, ut cives Romani per Asiam Romae et divo Iulio templum aedificarent Ephesi et Nicaeae, tum ut provinciales homines Romae et sibi per Asiam Pergami, per Bithyniam Nicomediae aedem extruerent, additos etiam esse templo Pergameno ludos. Duo ibi genera templorum commemorantur, unum, in quo Roma cum iis, qui in deorum numerum relati erant, alterum, in quo eadem Roma cum eo, qui tunc maxime imperabat, colebantur; illud proprium erat civium Romanorum, hoc provinciarum. Eumque morem servavit perpetuo Augustus, qui, ut ait Suetonius Aug. c. 52, *templa*

quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia nisi communi suo Romaeque nomine recepit; *nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore.* Mutari tamen hanc rationem oportebat propagata paulatim per provincias civitate Romana, quae postquam multa oppida multosque populos complexa est, nisi confusio quaedam extitisset, quae provincialium templa erant, deserta essent. Tum igitur introductum est, quod Dio l. l. docet, ut in Italia tantum qui coelestibus honoribus digni habiti essent, imperatores colerentur, in provinciis etiam qui imperarent, unde quae ab Augusto Ephesi et Nicaeae divi Iulii templa condita erant, postea cum provincialibus communicata esse, ipsaque illa oppida in metropolium honorem transisse probabile fit. Nam Pergamus, quod prima omnium Augusti templum habuerat, *prima metropolis* in nummis nominatur (Eckhel. II, 472). Ab his igitur initiis profecta est illa metropolium adulatio pervasitque ad omnes provincias. Nam quanta metropolium multitudo per Asiam fuerit, ex nummis cognoscitur, item Philippopolis Thraciae, Thessalonice Macedoniae, Tomi Moesiae. Reliquarum provinciarum metropoles ex aliis testimoniis intelliguntur, sive ipso illo nomine appellantur, sive quod templo Caesarum omnium communi ornatae erant, appellandae fuerunt. In Aegypto celebre Augusteum commemoratur Alexandriae, in Africa proconsulari commune provinciae templum ac sacerdotium (Orell. n. 6904; Renier. Inscr. Alger. 1440 et 1528), Carthagine, opinor, constitutum, item in Hispania Baetica (Orell. 5995), in Lusitania (Orell. 2226), in Tarraconensi Tarracone anno 15 p. Chr. conditum (Tac. Ann. I, 78), in Sardinia (Orell. 5969), in Dacia (Orell. 2171), in qua Sarmizegethusa colonia metropolis saepe appellatur (Comment. epigraph. I p. 404), in Alpibus maritimis (Orell. 2214). Britannia quoque, postquam a Claudio in provinciae formam redacta est, commune totius provinciae templum Claudio dedicatum accepit Camaloduni, de quo Tac. Annal. XIV, 31 narrat. In Galliis quidem tria imperatorum templa fuisse reperio, primum Narbonensis provinciae, quod commemoratur apud Orell. n. 2543 et 6003 ac Narbone tamquam in metropoli (neque enim ipsum hoc nomen reperitur) videtur

fuisse, alterum Germaniarum commune in colonia Agrippinensi apud Ubios iam sub Augusto conditum (Tac. Annal. I, 39 et 57), denique Lugduni, quod maxime erat omnium celebre, quia tres provinciae Galliae, Belgica, Lugdunensis, Aquitania eo contribuebantur, de quo imprimis quae Alph. Boissiev. Inscr. Lugd. p. 78 sq. disputavit, conferenda sunt.

Omnia igitur haec Augustorum templa suam quodque habebant quasi provinciam, cuius principes sacerdotia obirent pecuniamque conferrent, multaque nobis traduntur, et quae cuiusque provincia fuerit et quae sacerdotia et qui ludi et qui reliqui honores. Sed non id agimus hoc loco, ut imperatorum cultum divinum illustremus, de quo argumento cum alii scripserunt, tum breviter ac fere recte disputavit Marquardt. in compend. antiq. Rom. III, 1 p. 268 et IV p. 424. Nos quidem videmur docuisse, Lugdunum fuisse metropolim eam ob causam, quod ibi trium provinciarum commune esset templum imperatoribus Romanis consecratum. Tenemus igitur communionem aliquam, quae inter principes civitatum foederatarum, qui ius honorum ab imperatore Claudio petierunt, et inter coloniam Lugdunensem intercesserit, non ex republica, sed ex privata quasi provinciarum religione repetendam. Atque haec communio sine dubio effecit, ut haec Claudii oratio, quamvis nihil ad Lugdunenses ipsos pertineret, tamen apud eos in templo Augustorum collocaretur. Etenim erant in eo, cum Claudius imperaret, praeter Romam ipsam tres statuae, divi Iulii (nam hanc et in omnibus postea Augusteis fuisse censeo et in Gallicis certe abesse nullo modo potuisse), Augusti, Claudii; Tiberii enim et Caligulae memoria erat damnata. Quare, cum nuntius de beneficio imperatoris ad Aeduos pervenisset eumque eximio honore remunerari placeret, orationem ipsius senatusque consultum eo auctore factum in templo illo iuxta Claudii statuam, cui sacrificare solebant, collocarunt, conferendumque est nobilissimum illud monumentum Ancyranum, quod, cum neque legem neque ullum beneficium contineret, ad commendationem posteritatis in Augusti templo collocatum esse scimus. Illo eius, a quo imperium Romanum amplificatum ac restitutum esse videbatur, res domi ac bello

gestae celebrabantur, hac Lugdunensi tabula imperatoris, si non fortis ac sapientis, at benigni morumque veterum intelligentis, beneficium perpetuae hominum venerationi consecrabatur nobisque monumentum relictum est, in quo interpretando magna pars iuris Romani illustrari dispersaque aliorum scriptorum memoria suppleri possit.

INDEX RERUM.

Absentem petere quid sit pag. 88. 172. quomodo ab eo differat exercitum retinere 174.
L. Aelius Lamia, Galliae Lugdunensis praeses 123.
M. Aemilius Lepidus cos. et Galliae Transalpinae rector 46. cos. et magister equitum 221. 239.
M. Aemilii Scauri iudicium 78.
L. Afranius Italiam regit 65.
Africa provincia fere praetoribus paruit 49. proconsul eius per sex annos 137. per triennium 139. provincia proconsularis a Caligula dividitur 137. in bello Vespasiani legato tradita 141. item sub imperatore Pio 142.
M. Agrippa totam Galliam regit 93. 102. auctor Plinii 100.
Alexandrini in Aegypto ultimi omnium ius honorum accipiunt 341.
Ammianus Marcellinus explicatur 98.
annum militarem fuisse nullum 184 sq. annus vocatur maius spatium quam annuum 213.
Antoninus Pius tribunicia potestate ornatur 265.
M. Antonius orator ex praetura domat piratas 26.
M. Antonius IIIvir legem tulerat de proscriptorum liberis 202. magister equitum factus inscio Caesare 212. eius tertius consulatus cur in fastis non numeretur 215. consilia eius Caesaris interficiendi 226. magister eq. Caesaris 239. cur dictaturae nomen sustulerit 240.
Appianus explicatur 85. 162. 207. 239. 293. 371.
L. Apronius, Germaniae legatus 151.
Aquae Sextiae Latini iuris sunt 34.
Aquitania provincia ab Augusto aucta 99.
Arva Baeticae municipium Flavium 314.
Asconius in Scaur. p. 28 explicatur 78.
Asia provincia quando facta 14. 15. fere praetoria 49. prima provinciarum imperatores divinis honoribus colere coepit 375.
Asturia et Gallaecia provincia quando instituta 142. eius iuridici 148, et legati 149. sub imperatore Pio iam propria provincia 150.
Augusti instituta in Gallia 98. auctor Plinii 100. 102. mutat provincias Galliae 108. monumentum Ancyranum illustratur 115. Tiberium colle-

gam imperii assumit 125. eius imperatorii tituli 233. olim magister eq. dictatoris Caesaris, in quo repulsam tulerat 239. Aug. tribunicia potestas quae fuerit 250. subselliis tribuniciis utitur 251. 263. quando primum tribuniciam potestatem acceperit 255. corporis sanctitatem et subsellii tribunicii honorem accipit 256. summam omnium iudiciorum potestatem accipit 258. calculus Minervae in iudiciis ei datur 259. ius relationis in senatu accipit 260. eius soror et uxor tribunicia potestate ornantur 263. successoribus suis tribuniciam potestatem tribuit 264. civitatem dat Uticensibus 304. pro censoria potestate edicit 308. foedera concedit quattuor populis Gallicis 328. civitatem dat multis Gallis 329.

C. Aurelius Cotta Galliam cum Italia regit 51. M. Cotta quomodo Ciliciam acceperit 52.

bellum servile a quibus gestum sit 52.

M. Bibulus provincia caret 69.

Bithynia nova provincia 48. eius praeses C. Carbo 61.

Q. Caecilius Metellus, proconsul Galliae Narbonensis 64. 75. Q. Nepos procos. Hispaniae citerioris moritur 77.

M. Caelius Rufus praetor 241.

Caesar explicatur 86. 165. 166. 177. 179. 184. 192. auctor belli Hispaniensis emendatur 223.

C. Caesar, Augusti filius, qua potestate fuerit in Syria 122.

Caligula imp. Narbonensi Galliae ius honorum dat 334. et Siciliae 336.

C. Calpurnius Piso cos. Galliam Narb. obtinet 55.

C. Caninius Rebilus cos. ann. 45 a. Chr. 227.

Cappadocia anno 92 nondum provincia est 28.

C. Carrinas, proscripti filius 202.

Carteia, Hispaniae colonia 34.

C. Cassius Italiae praeest 52.

Sp. Cassii foedus cum Latinis factum 362.

Catilina a quo devictus sit 59.

censores in civitatem recipiunt 36. 308. 370. censoria potestas imperatorum 308. censura prisco more per quinquennium acta 326.

Cicero quam provinciam in cos. habuerit 57.

Ciceronis oratio pro M. Fonteio quando habita sit 6. explicatur 58. 60. 62. 63. 70 et 73. 79. 84. 163. 166. 171. 177. 179. 226.

Ciliciae rectores L. Octavius et L. Lucullus 52. rector M. Piso 63.

civitate donantur homines bene meriti 30. cives Romani in frumenti publici tabulas inscribi possunt 187. civitas datur ab imperatoribus solis sine lege 303. in libertate olim data ab imperatoribus 304. ea donantur principes gentium subactarum 329. per Italiam propagata civitas 342. datur etiam parentibus quorundam 355. qui in oppidis Latinis sunt cives, iure honorum carent 357. Sp. Carvilius agit de iure honorum Latinis dando 358. cives nominantur, qui ius honorum habent 358. civitas sine suffragio quomodo orta sit 366.

Claudius imp. leges fert 299. Galliae Comatae principibus ius honorum dat 306. pro censoria potestate edicit 308. eius censura 326.

C. Clovius praefectus urbi a Caesare anno 46 a Chr. 247.

coloniae Latinae civitate donatae 32. coloniae habent diversa incolarum genera 286. qui in colonia sunt, saepe municipes appellantur 287. coloniarum Latinarum ius 367.
comitia sub imperatoribus habita 298.
communicare provinciam quid sit 58.
consules Italiam provinciam habere solent 9. in civitatem recipiunt ex lege Iulia 35. quando coeperint exacto magistratu in provincias abire 73. consules, qui pro consulibus sunt, non appellantur 182. consulatus semper finitur prid. Kal. Ian. 210. nonnunquam non numeratur in fastis 214. consules quando primum parte anni esse coeperint 218. continuus cos., non perpetuus est Caesar 224. consulum ius in senatu referendi 261.
P. Cornelius Dolabella, Illyrici rector 114. 116.
L. Cornelii Sullae legatio in Cappadocia 28. dicitur imperator II ex uno bello, sed non saepius eum titulum repetivit 232.
M. Crassus Italicis favet 36.
Creta nova provincia 48.
curiae municipiorum Hispanicorum 291. 321.
Cyrenae provincia 48.

decuriones vel cives Romani vel Latini 282. 296. pro rata parte fiunt ex diversis civitatis generibus 296. ad honores admittuntur, qui non sunt decuriones 297.
delectuum tempora esse incerta 189.
Delmatae in provincia Italia sunt 9. cur tradita sit provincia populo Romano 106.
dictaturae incipiuntur quovis die 193. a lege, ex qua delatae sunt 205. 210. eius varia genera 207. 209. quando repeti putentur 223. dictatura perpetua 224. eademque quarta quomodo appellanda sit 232. 238. num in fastis consulatui anteponenda sit 238. num in dictatura nulli alii magistratus fiant 244.
Dio Cassius explicatus 82. 86. 96. 136. 159. 161. 178. 210. 215. 220. 222. 239. 251. 253. 255. 341. non contemnendus 158. emendatur 230.
diplomata imperatorum de civitate 303.
Domitianus imp. nunquam patris aut fratris in imperio consors 307. censor perpetuus et censoriae potestatis 308. quid Hispanis dederit 309. eximio honore affectus ab Salpensanis 318.
Cn. Domitius Calvinus, dictatoris Caesaris mag. eq. 240.
L. Domitius, Augusti propinquus, Galliae praeses 119.
Domitius Corbulo Germaniam regit 153.
Drusus, Augusti privignus, quale imperium in Galliis habuerit 117.
Drusus, Tiberii filius, Illyricum regit 116.

edicta imperatorum tribunicia et censoria 307.
Ennius poeta civitate donatus 353.
Epora, Hispaniae Baeticae municipium 319.

Q. Fabius Maximus cos. 45 a. Chr. 226.
fasti Capitolini aperte falsi 201. pugnant cum nummis 215 sq. annos quomodo significent 227. male descripti 229. fasti Colotiani 230. Capitolini suppleti 241. fasti a Caesare ordinati 244.

foederatae civitates in Hispania 315. praemii causa nunquam Latinitatem, sed civitatem Rom. accipiunt 316. foederatas esse tantum civitates, non homines 327. quando foederatae civitates existant 327.
M. Fonteius quo tempore Galliam Transalpinam rexerit et Ciceronis pro eo oratio quando habita sit 6.
frumenti publici tabulae 187.
Q. Fufius Calenus consul 217.
fundi fiunt, qui civitatem Rom. accipiunt 317.

Gallia Cisalpina. variae de eius origine opiniones 5. cum Italia nunquam praetoribus paruit 49. praesides eius post Caesarem 89 sq. tollitur provincia 92.
Galliam Belgicam M. Vinicius praetorius regit 102. M. Lollius 104. eius fines cum Lugdunensi 109.
Gallia Lugdunensis ad Danubium pertinet 120.
Gallia Transalpina. eius praeses M. Fonteius 6. cum Italia coniuncta 15. anno 114 nondum fuisse provinciam 19. provincia Romana fit 24. ei M. Porcius Cato praeest 27. C. Caecilius Metellus 28. M. Lepidus 50. L. Murena 61. Q. Metellus 64. Caesaris legati in ea 89. seiuncta ab Narbonensi et in duas partes divisa 91. M. Agrippa et C. Carrinas et Nonius Gallus 93. Augusti instituta 98. ab ipso mutantur 108. Galliae civitates foederatae 328. Galli multi appellantur C. Iulii 329. Gallia ius honorum accipit 340.
Germaniae. falsae virorum doctorum de earum origine opiniones 96. quando institutae sint 130. eis praesunt Visellius Varro et C. Silius 131. 151. carent legatis 152. earum legati usque ad Vespasianum ab Gaio 153. Germani multi appellantur Iulii 330.
Germanicus, Drusi filius, primum in Galliam mittitur 124. qua potestate deinde Gallias rexerit 126. suos in iis legatos habet 128 sq. Tiberio ab Augusto opponitur 129.
C. Gracchi lex de provinciis 17. eius actiones de sociis ad civitatem Rom. admittendis 293.

Hadrianus Antonino Pio tribuniciam potestatem dat 265. eius maiores 310.
Helvetii utrum in Lugdunensi an in Belgica Gallia fuerint 101. 107.
Hispalis colonia 34. diversa hominum genera habebat 286.
Hispaniae rectoribus imperium prorogatur 12. 13. Ser. Sulpicius Galba praeest; item L. Piso Frugi ex praetura 21. C. Valerius Flaccus ex consulatu, successor T. Didii 27. L. Volcatius Tullus in ulteriore provincia 56. D. Silanus in citeriore 61. Q. Metellus Nepos in citeriore. 76. universa traditur Cn. Pompeio 77. Hispania citerior coniuncta cum Gallia Narbonensi 90. Hispaniarum provinciae sub imperatoribus 143. quot legiones habuerint 145. a Mauris vexatae 145. Hispaniae ius quale sub Augusto fuerit 311. a Vespasiano accipit Latinitatem 309. 313. multa oppida civitate donata ab Vespasiano 314. municipia Flavia 315. liberae civitates et foederatae 315. Hispania ius honorum accipit 340.
Hispania Baetica ab M. Aurelio imp. ad suam curam translata 143. 145. ab Pio imperatore 150.

Hispaniae citerioris legatus Cluvius Rufus 145. ei praeest iuridicus 148. coniuncta sub Severo cum Asturia 149. rursus disiuncta 150.
Q. Hortensius Italiae praeest 54.

Illyricum cum Italia coniunctum 14. 15. provincia quamdiu fuerit 114. Augusti in ea legati 122.
imperatoris nomen in Caesare eiusque successoribus quale fuerit 232. imperatorum tribunicia potestas qualis fuerit 248 sq. iis comitia omnia permittuntur, etiam tribunorum plebis 253. corporis sanctitas per totum imperium datur 254. potestas omnia tollendi datur 257. summam iudiciorum et poenae remittendae potestatem habent 258. quod ius relationis in senatu habuerint 260. ius tertiae et quartae relationis 262. subsellio tribunicio utuntur 263. eorum uxores tribunicia potestate ornantur 263. eorum successores tribuniciam potestatem accipiunt 264. 265. imperatores legibus adoptantur et imperium accipiunt 299. soli rem militarem administrant 302. soli provincias imperatorias regunt 306. edicta proponunt pro tribunicia potestate 307. pro censoria potestate 308. cultus imperatorum divinus in provinciis 375.
imperium incipitur eo die, quo lex de eo fertur 82. 193. repetitur item a die novae legis 194.
incolae ius suffragii habent 282. 284. 291. qui proprie dicantur 283. num ad honores municipales admissi 284. qui in municipium commigrant, cum parentibus donantur civitate 356.
Iosephus explicatur 232. 237.
Italia sola duos praesides habet 16. tres praesides habet 53. Italiae nomen Galliam Cisalpinam complectitur 31. quidam in ea populi diu civitate carent 40. pro provincia minimi negotii habetur 66. desit esse provincia 70. traditur ambobus consulibus 72. eius civitates foederatae 316. ius honorum tota habet 332.
in iudicio reus mortui laudatione adiuvatur 78. iudicia per totum annum fieri 190.
Iulii plurimi inter Gallos et Germanos reperiuntur 329.
C. Iulius Agricola, Taciti socer. eius genus explicatur 331.
C. Iulius Caesar dictator. quae ei provinciae ante cos. decretae sint 66. quomodo Gallias acceperit 69. prius eius quinquennium 73. alterum quinquennium prorogatur 81. quo anno alterum cos. petere voluerit 83. 87. 176. 178. proconsularis potestas ei anno 49 decreta 202. eius regnum a quo die numeretur 204. quo die primum dictator factus sit 205. quamdiu primum in urbe commoratus sit 206. spernit dictaturam sibi oblatam 207. consulatus alter 209. qua potestate res Aegyptiorum composuerit 212. eius omnes dictaturae numerantur 215. quando ab Pharsalico bello Romam reverterit 217. consulatus tertius 220. pugna ad Thapsum 221. dictatura tertia 222. quando in bellum Mundense profectus 223. consulatus quartus 224. consulatus decem annorum 225. triumphus Hispanicus 226. dictatura quarta eademque perpetua 229. 238. eius titulus imperatorius et quot eius victoriae fuerint 234. magistratus ab eo in annum 48 a. Chr. creati 241, in annum 47 et 46 facti 243. ad annorum rationem componendam praefectos in urbe creat 244. quam comitiorum potestatem acceperit 245. 252. eius tribunicia potestas expli-

cata 248 sq. corporis sanctitatem per totum imperium accipit 254. quomodo civitatem et militibus et oppidis dederit 304. foedera dat civitatibus Galliae 328. liberalis in iure honorum tribuendo 342.
Iunius Blaesus, Illyrici rector 114.
D. Iunius Silanus in citeriore Hispania 61.
iuridici in Hispania. unde nomen habeant 146. qui commemorentur 147. nomen Augusti in iis omittitur 148.
ius honorum quale sit 331. singillatim donatur 332. quando perierit 341.
ius suffragii Latinorum 344. non habent reliqui socii 345.
ius Italicum continet etiam ius honorum 337. ex coloniis ab Augusto deductis ortum 338.

Latini, qui in vigilibus militarunt, civitatem consequuntur 187. Latina oppida nunquam appellantur municipia 274. Latina oppida multos habent cives Romanos 277. quando existant 290. Latina oppida per Gallias et Hispanias civitate donata 314. Latinae non fiunt, quae foederatae fuerant civitates 316.
Latinitas data quibusdam populis Inalpinis ab Antonino Pio 286. Latini ius suffragii Romae habent 291. 344. Latini Roma expulsi 294. 348. Latinitas ex foedere orta 317. Latini Romam migrando civitatem accipiunt 346. Latini tempore comitiorum in urbem confluunt 348. Latini magistratibus municipalibus gerendis civitatem accipiunt 352. 353. et quidem dum fiunt, non postquam gesserunt 354. in Latinis oppidis discrimina civium sunt 360. 364. Latinitatis origo explicata 362. postea quomodo mutata sit 364.
legati legionum duplicis generis sunt 111. Augusti nomen in iis omittitur et nonnunquam sine provinciis sunt 113. 146. legati a legionibus appellantur, sed populis praesunt 134.
legati Numidiae. eorum nomen 139.
legio I Adiutrix 110. legio III Italica quando instituta 114. leg. II Italica 117. legiones pro provinciis nominantur 133.
lex Sempronia de provinciis 17. lex Iulia de civitate 30 sq. quid proprie secuta sit 369. 371. Plautia Papiria de civitate 37. Gabinia de provinciis 54. Vatinia de provinciis 69. 184. quando sit lata 74. Pompeia de provinciis 76. 169. 173. 179. Trebonia de provinciis 78. Pompeia Licinia de Caesaris provinciis 81. Gabinia de imperio Pompeii 193. Titia de IIIviris reip. const. 194. 302. Cornelia de proscriptorum liberis 202. Cassia agraria 294. Licinia Mucia de peregrinis eiiciendis 295. lex Iunia Vellaea 298. leges de adoptionibus et imperio imperatorum quomodo latae sint 299. leges et senatusconsulta 300. legum dandarum potestas mandatur 301. lex Valeria de L. Sulla dictatore creando 301. leges municipales diuturnae sunt 304. in Italiae municipiis 41. legum ferendarum consuetudo sub imperatoribus 298. aliae in provinciis senatoriis, aliae in imperatoriis 306. leges de eiiciendis urbe peregrinis 350. lex Papia 351. lex Sempronia de civitate sociis danda 370. lex Cornelia de civitatibus puniendis 371. 372.
liberae civitates in Hispania 315.
libertini ad honores municipales non admittuntur 280. eorum ratio eadem ac peregrinorum ad civitatem admissorum 373.

M. Licinius Crassus quando in provinciam exierit 73. quomodo provinciam acceperit 78.
L. Licinius Lucullus quomodo Ciliciam acceperit 52.
Ligures in provincia Italia sunt 7 sq.
L. Livineius Regulus praefectus urbi sub dictatore Caesare 248.
Livius emendatur 81. 345. 347. explicatur 292. 357. 362.
Lugduni ara Augusto condita 118. versatur Germanicus 127. quo iure colonia fuerit 335. metropolis fuit et celebre Augustorum templum habebat 374. 379.

Macrobius explicatur 217.
Malaca, Hispaniae Baeticae municipium 319.
magistrum equitum non habet dictator, qui non rei gerendae causa fit 207. annuus contra leges est 211. a consule dictus 212. 222. annui fiunt magistri eq. 241.
L. Manlius Galliae Transalpinae rector 47.
manumissio apud municipales magistratus 279.
C. Marii praetura 17. cur sex consulatus acceperit 22. Galliam Narbonensem in provinciae formam redigit 25.
Martiae Calendae in provinciis decernendis observantur 84.
Mauretaniae procuratoribus et simul legato Numidiae parent 139.
Maurorum impetus in Hispaniam 145.
metropolis quae sit urbs 374. id nomen pendere ex Augustorum cultu divino 376. quomodo per Asiam et Europam propagatae sint 378.
militia nunquam apud Romanos a rebus civilibus seiuncta 186. militarem rem soli imperatores administrant 302.
Q. Mucius Scaevola Asiam regit 19.
L. Munatius Plancus. eius honores 245. eius praetura 247.
municipia de iis vetus virorum doctorum sententia 271. nunquam vocantur Latinae civitates 274. sunt oppida civium Rom. 275. qui ad honores in iis admittantur 280. praefecti pro IIviris et incolae 282. non civibus tantum constant 285. diversa hominum genera continent 287. municipium quid sit 289. eorum per Hispanias multitudo 314. per Lusitaniam 315. municipia sine suffragio quomodo orta sint 365. quomodo per provincias propagata 367. quomodo differant a Latinis oppidis 366.
mutatus civitate Rom. dicitur, qui civitatem Rom. accepit 298.

Nemausensium civitas diversa hominum genera continebat 286. 290.
Nero Alpes maritimas in ius Latii traducit 305.
Noricum cum Pannonia olim coniunctum 106. eius historia 114. eius procuratores et legati 117.
Novocomenses a Caesare conditi 278.
Numidia quando provinciae formam acceperit 136. videtur etiam Africae dioecesis fuisse 140. legatorum Numidiae nomina 139.
nummi pugnant cum fastis 215 sq. Caesaris explicati 216. de dictatura Caesaris quinta explicati 231. 236. de imperatorio Caesaris titulo explicati 234. nummi praefectorum sub Caesare explicati 245 sq. nummi Augusti explicati 263.

Otho imperator Lingonibus civitatem dat 305. 316.

Pannonia provincia instituta 106. quando peculiarem rectorem acceperit 109. 114.
Q. Pedius praetor 241.
Pertinax imperator Raetiam olim rexerat 110.
Plinius nat. hist. explicatur 64. qua ratione in geographia usus sit 100. explicatur 100. In Gallia describenda initium Augusti sequitur 107. 312. 328. explicatur 274. 338. quid de iure Hispaniae doceat 311.
poena capitalis alia in Latinis, alia in civibus Rom., alia in pace, alia in bello 360.
Cn. Pompeius in Gallia hibernat 6. iurat se in nullam provinciam iturum 54. quamdiu Syriam obtinuerit 63. quam provinciam in altero consulatu habuerit 77. ex tertio consulatu alterum provinciae quinquennium obtinet 85. quo die imperium in piratas acceperit 193. quo die mortuus eiusque rei nuntius Romam allatus sit 211. eius titulus imperatorius 234.
Cn. Pompeius Strabo Italiam et Galliam obtinet 29. quid egerit de Transpadanis 30. 40.
P. Popillius in ipsa praetura provinciam habet 17.
M. Porcius Cato Galliam Narbonensem regit 27.
praefecti fabrum totiens fiunt, quotiens imperatores 137. praefecti urbis a dictatore Caesare facti 241 sq. facti anno 46, cum soliti magistratus essent, quod annus ille erat confusionis 244. ex quo ordine facti sint 246. iuri dicundo praesunt 246. eorum nomen 248. praefecti feriis Latinis 246. praefecti classis sub dictatore Caesare 248. praefecti pro IIviris 282. non nominantur IIviri 318.
praetor peregrinus bellum externum gerit 10. praetura urbana et peregrina coniunctae 12. praetores quando inceperint prorogato imperio provincias obtinere 16. praetores qui proprie pro praetores sunt, non appellantur in nummis 182. praetores designatos munera sua sortiri 191. praetores anni 48 a. Chr. 241. praetoriae potestatis sunt legati legionum 111.
proconsul Africae per sex annos 137. per triennium 139.
proconsularis imperatorum potestas quomodo nata sit 202.
procuratores provinciarum parent legatis 105. quando in Raetia et Norico instituti 107. Norici 117. procuratorum provinciae aliae, aliae legatorum 150.
proscriptorum liberi a Sulla honoribus curulibus prohibiti 202.
provincia quae Latine appelletur 4. provinciarum divisio anno 166 a. Chr. 5. reliquorum deinceps annorum divisio 6 sq. obtineri potest antequam quis Roma proficiscatur 59. provincia post ornationem deponitur 60. provinciam desponsam alicui adimere 63. provinciam regit, qui Romae versatur 65. provinciarum administrationem quovis die posse incipi 82. quae provinciae singulis legionibus obtineantur 112. 113. aestimantur numero legionum, quas habent 126. 133. nomen provinciae vel additur vel omittitur 133. de provincia antequam vacua est, potest statui 161. diversa est ab exercitu, qui in ea est 174. provinciae praetoriae ad consulares translatae 182. non accipiebant provincias, qui allecti erant in praetorios 247. provinciae senatoriae saepe apud Tacitum commemorantur, imperatoriae nusquam 305. in provinciis proconsulum et legatorum potestas comparatur 306.

Ptolemaeus explicatur 132.

quaestores anni 48 a. Chr. 243. quaestor pro praetore in Hispaniam citeriorem mittitur 56.
quaestio repetundarum instituta 10.
P. Quinctilius Varus, Augusti in Gallia legatus 123.
quinquennium appellari, quod paulo minus sit quinque annis 86. 169.

Raetia quomodo ab Romanis subacta sit 103. quomodo ab Augusto composita 105. cum Germania superiore coniuncta 105 quando peculiaris provincia facta sit 109. unam legionem et legatum accipit 114.
Roma oneratur multitudine incolarum ac saepius purgatur 348 sq.

Saguntinae reipublicae ratio 288.
Sallustius explicatus 360.
C. Sallustius Crispus praetor 243.
Salpensa, Hispaniae Baeticae municipium 319. Salpensanae tabulae initium suppletur et explicatur 354.
Sardinia fere praetoria provincia 49. ab imp. M. Aurelio aliquando senatui reddita 144.
scriptores historiae Augustae explicantur 143.
senatus plebiscita non potest reprehendere 167. senatoriam consuetudinem ipse potest mutare 260. qui ius referendi ad senatum habeant 261. senatusconsulta vocantur leges 301. senatoribus peregre proficisci non licet 334. 336.
C. Sentius Saturninus, Galliae praeses 121.
Septimii Severi imperatoris praetura et reliqui honores 144.
Sicilia fere praetoria provincia 49. eius foederatae civitates 316. ab Caligula ius honorum accepit 336.
C. Silius, Germanici et Tiberii legatus 129.
socii per Italiam ante legem Iuliam quo iure fuerint 368.
sortitio provinciarum quomodo fieri consuerit 180.
Strabo vindicatur et explicatur 97. 100.
Suetonius Caes. c. 19 emendatur 66. explicatur 103. 162. 170. 216. 241. 245.
L. Sulla nullam novam provinciam instituit 45. potestatem dictaturae lege Valeria accipit 301. quid in civitatibus seditiosis puniendis secutus sit 371. eius acta eversa a M. Lepido 372.
P. Sulpicius praetor 241.
Syriam M. Pisoni adimit Cicero 63. Cn. Pompeii in ea imperium ibid.

Tacitus emendatur 129. explicatur 130. 136. 249. 326. 331. 339. 342.
Tergestina colonia diversa hominum genera continebat 286.
Tiberius imperator Gallias regit 103. 118. 122. 124. quando ex Pannonia triumpharit 115. communes cum Augusto habet provinciarum legatos 116. 125. ei Germanicus ab Augusto opponitur 129. provincias sine legatis tenet 152 tribuniciam potestatem accipit 264. Tarraconensibus templum Augusti extruere permittit 306. ius honorum multis singillatim dat 333.
Titus a patre tribuniciam potestatem accipit 265. consors imperii 307. censor cum patre 308.

Traiani imperatoris maiores 340.
Transpadani civitatem accipiunt 38. ius honorum accipiunt 342. 343.
C. Trebonius cos. ann. 45 a. Chr. 226. praetor 241.
tresviri reip. const. quo die imperium acceperint et repetiverint 194. lege Titia potestatem accipiunt 302.
tribunus plebis consulem vetat in provinciam proficisci 64. tribunicia potestas imperatorum explicata 248. subsellia tribunicia 251. tribunicia potestas praeter imperatores nemini, qui non esset tribunus, delata 253. comitia tribunorum Caesari permissa 254. eorum sanctitas urbe circumscripta et publicis actionibus 254. collegium tribunorum quid publice, quid privatim factum sit decernit 255. quatenus singuli trib. pleb. auxilium ferre et intercedere potuerint 256. eorum potestas non pomoerio, sed mille ab urbe passibus continetur 258. eorum ius senatus cogendi et in eo referendi 261.
triumphus non necesse est ab provincia, ex qua triumphatur, nominetur 116.
tutores dantur a municipalibus magistratibus 281. *iusti* tutores 281.

C. Valerius Asiaticus, Viennensis, iure honorum donatus 333.
C. Valerius Flaccus, Galliae Transalpinae praeses 45.
P. Vatinius augur fit 65. quando consulatum gesserit 217.
Velleius Paterculus explicatur 115. 179. 192. emendatur 121.
Veronensis reipublicae ratio 287.
C. Verres quaestor 44.
Vespasianus Tito filio tribuniciam potestatem dat 265. lege accipit imperium 299. Hispanis Latinitatem dat 309. 313. ab eo plurima oppida per Hispanias cognominata 315.
veterani quando honestam missionem acceperint 188. ab imperatore solo civitatem accipiunt 302.
via Postumia munita 10. viae aliae stratae 14.
C. Vibius Pansa, proscripti filius. eius honores 202.
Viennensis Gallia olim cum Narbonensi coniuncta 99.
Vienna, colonia Galliae, quo iure fuerit 332. 334.
L. Vitellius censor cum imp. Claudio 327.
L. Volcatius Tullus quam provinciam ex cons. rexerit 56.
Utica diversis hominum generibus constat 288.

Berolini, typis I. F. Starckii.

In Ferd. Dümmler's Verlagsbuchhandlung in Berlin sind erschienen:

Zumptii (Aug. Wilh.), commentationum epigraphicarum ad antiquitates Romanas pertinentium volumen. 1850. 4 maj. 5 Thlr. 10 Sgr.

Inhalt: Fastorum municipalium Campanorum fragmentum restitutum et explicatum. — De Quinquennalibus municipiorum et coloniarum. — De Quattuorviris municipalibus. — De coloniis Romanorum militaribus libri quattuor.

— — commentationum epigraphicarum volumen alterum. 1854. 4 maj. 2 Thlr. 20 Sgr.

Inhalt: Titulus Concordiensis Arrii Antonini restitutus et explicatus. — De Syria Romanorum provincia ab Caesare Augusto ad T. Vespasianum. — De Macedoniae Romanorum provinciae praesidibus, qui fuerunt usque ad T. Vespasianum.

— — de fastorum municipalium Campanorum fragmento defensio. 1853. 4. 15 Sgr.

— — de fastorum municipalium Campanorum fragmento ad C. B. de Rossium epistola critica. 1854. 4. 15 Sgr.

— — de Caroli Timothei Zumptii vita et studiis narratio. Accedunt Caroli Timothei orationes Latinae sex. 1851. 8. 1 Thlr. 10 Sgr.

Zumpt (C. T.), Annales veterum regnorum et populorum imprimis Romanorum. Editio altera passim aucta et correcta. 1838. 4. 1 Thlr. 15 Sgr.

— — Decretum municipale Tergestinum de honore Fabii Severi secundum veterem lapidem denuo recensitum et illustratum. 1837. 4. 10 Sgr.

— — de legibus iudiciisque repetundarum in republica Romana commentatio prima et secunda 1845. 4. 20 Sgr.
commentatio tertia. 1847. 18 Sgr.

— —, Ueber die Abstimmung des römischen Volks in Centuriatcomitien und über den M. Curius, der den Velinus abgeleitet. 1837. 4. 10 Sgr.

— —, Ueber den Stand der Bevölkerung und die Volksvermehrung im Alterthum. 1841. 4. 22½ Sgr.

— —, Ueber den Bestand der philosophischen Schulen in Athen und die Succession der Scholarchen. 1843. 4. 25 Sgr.

Dirksen (H. E.), Ueber die Verdienstlichkeit methodischer Sprachforschung in Beziehung auf die Textes-Kritik und Auslegung römischer Rechts-Quellen. Aus d. Abhandl. der k. Akad. der W. zu Berlin. 1855. 4. 8 Sgr.

— —, Der Rechtsgelehrte und Taktiker Paternus, ein Zeitgenosse der Antonine. Aus d. Abhandl. d. k. Akad. d. W. zu Berlin. 1856. 4. 10 Sgr.

— —, Die römisch-rechtlichen Quellen des Magister Dositheus. Aus d. Abhandl. d. k. Akad. d. W. zu Berlin. 1857. 4. 10 Sgr.

— —, Ein Beitrag zur Auslegung der epigraphischen Urkunde einer Städteordnung für die lateinische Bürgergemeinde zu Salpensa. Aus d. Abhandl. d. k. Akad. d. W. zu Berlin. 1856. 4. 10 Sgr.

— —, Die Quellen der römisch-rechtlichen Theorie von der Auslösung der in fremde Gefangenschaft gerathenen Personen. Aus d. Abhandl. d. k. Akad. d. W. zu Berlin. 1858. 4. 10 Sgr.

— —, Der Rechtsgelehrte Aulus Cascellius ein Zeitgenosse Cicero's. Aus d. Abhandl. d. k. Akad. d. W. zu Berlin. 1858. 4. 8 Sgr.

Aufrecht, (S. Th.) und **A. Kirchhoff**, Die umbrischen Sprachdenkmäler. Ein Versuch zur Deutung derselben. Zwei Bände mit 11 lithogr. Tafeln. 4. 10 Thlr.

Kaempf (Dr. F. H.), Umbricorum specimen primum. 8. 10 Sgr.

Krause (A.), Vitae et fragmenta veterum historicorum Romanorum. 1833. 8. 1 Thlr. 15 Sgr.

— —, Geschichte der römischen Literatur. Erster Abschnitt, enthaltend den Anfang der epischen Poesie. 1835. 8. 15 Sgr.

Osann (Fr.), Analecta critica poesis Romanorum scenicae reliquias illustrantia. Insunt Plauti fragmenta ab Angelo Maio in codice Ambrosiano nuper reperta. 1816. 8. 1 Thlr. 7½ Sgr.

HR
2